Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/danicorummonumen00worm

E.H.7b


יְהֹוָה
EXALTABITUR SOLUS
DANICORUM
MONUMENTORUM
Libri Sex:
E ſpiſsis antiquitatum tenebris
et in Dania ac Norvegia
extantibus ruderibus
eruti
ab
OLAO WORM. D.
Medicinæ in Acad. Hafn.
profeſsore publ.
CONTERENTUR
PENITUS
HAFNIÆ
Apud Ioachimum
Moltkenium Bibliopolam
ibidem primar.
Aº MDCXLIII.
Sereniſs: Daniæ, Norvegiæ &c. Regis sculptor Simon de Pas sculpsit.

VIRIS

Magnificis, Illuſtribus, Strenuis,

Dn. CHRISTIANO THOMÆO,

Domino de Stovgard &c. Equiti aurato, Reg. Majeſt. Cancellario Magno, Regni Daniæ Senatori primario, Academiæ Hafnienſis conſervatori ſummo.

Dn. JUSTINO HOEG,

Domino de Giordſlef &c. Equiti aurato, Regni Daniæ Cancellario Magnifico, & Senatori prudentiſsimo, Arcis Calloe Præſidi Regio.

Dominis & Patronis ſuis benigniſſimis

S. P.

NEGLECTA PATRIÆ Monumenta, quæ hactenus conquirere licuit, è tenebris eruta, & noſtra qualicunq; illuſtrata opera, vobis offero, Cancellarii Magnifici. Ignoſcatis ſi homo glaciem primus frangens, & inten-

tata ab aliis incedens via, vetuſtatis quandoque adeo involvatur nubibus, ut monumenta & ſecreta Majorum in quibusdam non ſatis aſſequatur: in quibusdam, exeſos & oculorum aciem fugientes characterum non reddat apices. Juvat prodiiſſe tenus, ſi non datur ultra. Ab interitu reſidua patrum trophæa vindicaſſe & poſteritati gratæ quædam elimanda reliquiſſe, mihi ſuffecerit: ne penitus pereant, quæ adhuc apud nos reſtant præclare actorum documenta. Erit olim qui patriæ accenſus amore, plura addat, atque hæcce non negligat. Scrupoſa antiquitatum noſtrarum difficultate, à patriæ debito officio abſterrita noſtratium pars maxima, ſpretis qui domi ſunt, peregrinis ſe dedit. Aſt proxima negligere, remota ſuſpicere, externa adorare, domeſtica faſtidire, non virtutis, ſed vitii eſt. Hinc enim præclarè à majoribus geſta, ritus, mores, inſtituta, decreta, victoriæ, triumphi, monumenta, & infinita alia Danicæ virtutis trophæa, tenebris ſepulta jacent & æterna obruuntur oblivione. Et quid hactenus ſperare potuimus, cum ipſa Literatura penè fuerit obliterata? Hæc ſæpius mecum ruminans ac ſortem deplorans noſtram,

ten-

tentandum aliquid ratus ſum, ut vel exemplo præclara & patriæ nata excitarem ingenia: vel opera, viam ad Antiquitates noſtras ſternerem expeditiorem. Superiorum animatus favore & benignitate, in Faſtis & Literis tentamenta protuli. Quæ cum à Candidis benignè excepta videam, & hæc Monumentorum addenda duxi *παραδείγματα*, non ſine ſudore & impenſis huc producta; id agens, Danicis non minus quam aliarum nationum Antiquitatibus, ſuus ut redeat honos, ſua in poſterorum æmulationem Majeſtas. Hæc, Cancellarii Magnifici, benigno vultu aſpicere & veſtro patrocinio commendata habere ut haud dedignemini ſubmiſſe peto. Cauſas quæ me huc impulere enumerare ſi vellem, prolixum veſtrorum per omnes dignitatum gradus in Regem, Principem, Patriam, Eccleſiam & Academiam hanc, meritorum contexerem commentarium. Sufficit hic inſignis ille favor & benevolentia, qua à multis annis me clientem veſtrum, haud vulgariter eſtis complexi, quæ ut mihi ſit perennis opto & voveo. Deum ſupplicibus veneror votis, dignetur Illuſtr. Magnificent. veſtr. cum generoſis familiis, benedictionis ſuæ aura-

 lar-

largiter adſpirare, vitam ac valetudinem firmam in ſeram ſenectam largiri, ut diu ſuperſtites Regi, Patriæ, Eccleſiæ & Academiæ profitis, meq; porro vobis commendatum habere pergatis virtutum ac dignitatum veſtrarum cultorem devotum. Hafniæ Cal. Novemb. Anni M DC XLII.

Magnif. Veſtr.

Addictiſſimus

OLAUS WORM D.
Medic. Prof. P.

Lecto-

LECTORI BENEVOLO
S.

EN tibi, amice Lector, Monumentorum & Inſcriptionum Danicarū, tibi dudum promiſſa Specimina, mihi quidem labore & ſudore multo comparata; ſed nunc pluribus communicata, ut eorum quæ de Literaturâ noſtrâ priſcâ & Faſtis olim commentati ſumus Danicis, ſint quaſi Coronis & δοκιμασία. Forſan & in his inveniet antiquitatis curioſior ſcrutator, qvod oblectare poſſit, & de ſeptentrionali gloria, priſcorumq; Danorum virtutis æmulatione teſtari. Claris ſcriptoribus debent Græci & Romani, qvod quæ benè meritis reliquerunt, à tempeſtatum variarumq; adverſitatum procellis liberata, in luce & oculis verſentur omnium, multisq; in locis, priſtino nitori reſtituta conſpiciantur. Noſtris haud contigit hæc felicitas; ſed adeò deſpicatui habita, ſordibus & ſquallore obſita hactenus fuère, ut ad fimeta claudenda & neſcio qvosnam infames uſus quandoq; ſint detruſa: imò benè cum quibusdam actum putabatur, quæ ſors melior ab immanium Lapicidarum ſacrilegis eripuit manibus & vel ſepem claudere, vel horrei alicujus collapſam baſin ſuſtentare dedit. Hinc quandoq; accerſenda quæ hic damus, & à cœno ac putore liberanda, tuum ut liberius prodirent in conſpectum. Vltra jam non miror cur deſerta hactenus & à multis tentata, ſed nemine exculta extiterit hæc provincia: nec anxius diſquiro cur quidam magnæ famæ, admotam tabulæ retraxerint dextram, exclamare coacti:

Sua

Sua ſunt qvoq; funera ſaxo
Et rigidæ cautes cumulant ſibi clade ruinas!

Affatim enim & non minori cumulo mihi, quam illis tot objecta ſunt in hoc ſtadio obſtacula, quæ in medio curſu ad ardua hæc anhelantem adeò remorabantur, ut animo deſpondere, omnemq; horum curam ſeponere dudum coegiſſent, ni patronorum benevolentia, omnisq; melioris Literaturæ Principum fauſtæ acclamationes in orbita me continuiſſent, & ad illa, quæ reſtabant, perficienda feliciter animaſſent.

Primas quidem debeo Magnifico Reg. Majeſt. Cancellario Dno. CHRISTIANO FRISIO *de* KRAGERUP, *equiti aurato, Regni Daniæ Senatori prudentiſſimo, patronorũ benigniſſimo P. M. qui non ſolùm in hanc primus me traxit arenam; ſed & conſiliis, benevolentia, liberaliq; documentorum communicatione, adſiſtere, cohortationibusq; crebris incitare non deſtitit, donec colophonem nacta hæc noſtra opella, luce aliquali digna ipſi videretur. Ab eo plurimum debeo Magnifico, illuſtri & generoſo Dno.* CHRISTIANO THOMÆO *Domino de* STOUGARD *&c. Cancellario Regio & Equiti aurato, qui ut in locum defuncti Patroni apud Sereniſſimum Regem noſtrum, magno ſuo merito & patriæ commodo ſucceſſit: ita conatus patriæ antiquitates eruendi, conſilio juvit eoq; rem perduxit, ut iconibus & typis nitidis, antiquitatum noſtrarum ſcrutatoribus, poſt longa laborum tædia, hæc communicari potuerint. Quibus Heroibus quicquid laboribus noſtris, patriis antiquitatibus acceſſerit lucis, quicquid Borealis*

mun-

mundi ſcrutatoribus, obtigerit delectationis, acceptum in ſolidum eſt ferendum. Ingenuè enim fateor, illorum autoritate & præſidio, me huc adductum, ut inſvetas, multisq; invias planè viſas, tentare auſus fuerim, vias; non ſine famæ & exiſtimationis diſcrimine.

Videbam quidem viri celeberrimi Bonav. Vulcanii (cujus potiora in hoc genere hic delineata, enodata, & in integrum reſtituta videbis) in hoc ſtadio conatus, cum applauſu & admiratione exceptos, & à bonis quibusvis benè habitos: Sed ut eo noſtra aſſurgerent, nec mihi polliceri, nec ſperare unquam valui. Interim tamen, benevola de hactenus editis magnorum virorm judicia, tantum mihi promittunt, quantum optare nunquam potuerim.

Non poſſum igitur, quin magno meo (quem hæc ſtudia mihi conciliarunt) amico, Generoſo & nobili viro Dno. Henrico Spelman Equiti Anglo Britanno, de priſca literatura benè merito, pro candido Runarum noſtrarum examine, gratias agam debitas. Celeberrimo item Petro Scriverio, qui noſtram opellam affectu plusquam prolixo, in ingenioſiſsimo ſuo de Typographiæ origine tractatu proſequitur, eamq; non prorſus indignam, quæ manibus Doctorum teratur, judicat. Nec mihi ab hiſce alienum viſum eſt lectum Hiſtoricorum Danicorum par; clariſsimum dico Joannem Meurſium Academiæ Soranæ Profeſſorem publicum, & Johannem Iſaacium Pontanum, in Gymnaſio Hardevicenſi, bonas literas juventuti olim inſtillantem, νῦν ἐν ἁγίοις: qui hactenus à me de hiſce antiquitatibus divulgata, in ſcriptis ſuis honorificè exceperunt, ſuisq; elogiis haud indigna judicarunt. Id demũ unice mihi in votis tan-

torum virorum conceptæ exſpectationi aliquo modo reſpondere ut poſſet conatus. Hiſce ex Germanis, Italis & Gallis addere haud paucos, eosq; inter eruditos melioris comatis, poſſem, qui partim literis ſuis, partim per alios, urgere haud deſierunt, hæc diutius mihi ſoli ut haud ſervarem.

Cæterum, ne quisquam quicquam hac meâ opellà ſibi præreptum aut laboribus exantlatis defraudatum ſe conqueratur, utq; apographorum quibus in his uſi ſumus, indubitata conſtet fides; nomina illorum non diſſimulabo, qui ſigillatim in cippis eorumq; inſcriptionibus communicandis, gratam patriæ, mihi verò neceſſariam locarunt operam. Sperans horum exemplo incitatos alios, quæ reſtant collecturos, ac Symbolam ſuo tempore, huic operi ultrò collaturos.

Præter ea quæ in Selandia, Scandia & Cimbria ipſe, qua fieri potuit diligentia, annotavi, in multis vicariam mihi operam locarunt, vir Reverendus Dn. M. Bertilus Canutius Præpoſitus & Paſtor Lodderupenſis, Dn. Jonas Schonvigius Regiæ claſſi tum à ſacris, cujus ſingularem in vetuſtioribus delineandis, non poſſum non laudare diligentiam. Aſloenſia accepta ferimus Dno. Petro Adolpho, Medicinæ Doctori peritiſſimo. Stavangrienſia Reverendo & clariſſimo viro Dn. M. Thomæ Cunrado Vegnero, Diœceſeos ejusdem Epiſcopo vigilantiſſimo, amico meo veteri. Alios qui particularius affectum ſuum conatus noſtros juvandi, & hæcce è tenebris eruendi declararunt, ſuo quemq; laudavimus loco.

Hi autem omnes, una mecum teſtabuntur, non exigui eſſe operis, tantoperè faſtiditis gratiam conciliare, duriſſimarum cautium fugitivas notas retrahere, totq; ſeculis ſepulta reſu-

ſci-

ſcitare, & cum temporum tempeſtatumq; violentia quaſi bellum gerere. Quod omnino faciendum fuit ei qui ex hac caligine eluctari decrevit. Literas priſcas uſitatis jam, vel Romanis reddere, non usq; adeò operoſum ei, qui in noſtra Literatura mediocriter verſatus, præſertim ubi integræ, non mutilatæ aut depravatæ occurrunt notæ: ſed carie exeſas reſtituere, pravè deſcriptas emendare, caſcum idioma ad modernum accommodare, & genuinum cujusvis ſenſum elicere, majoris erat operæ. In eo autem ita deſudavimus, ut pluſcula aſſecutos nos ſperemus, conjecturæ in multis locum dederimus, in aliis nobis ipſis vix ſatisfecerimus, conatum in medio relinquentes, quò meliora & certiora docentibus ſuus quoq; eſſet honos & gloria. Si ea induſtria res geſtas Majorum noſtrorum, ſcriptis conſignatas reliquiſſent veteres, qua Græci & Romani ſuas, in his enucleandis via fuiſſet expedita, quæ jam horrida, ſcrupis denſa nullisq; veſtigiis trita occurrit.

Tentamina igitur hæc cape, benigne Lector, ſed immutandi, addendi, detrahendi & corrigendi jure mihi reſervato: Tibi verò de iisdem mecum conferendi, conatus juvandi, inducendi, amplificandi & notandi facultate conceſſa liberrima. Quam qua mente porrigo, ea te valere jubeo.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM HUJUS OPERIS.

Liber Primus ea habet quæ monumenta Danica in genere concernunt.

CAPUT

I. Quid monumentum & cur benè meritis ponatur.
II. De antiquorum monumentorum in Dania extantium generibus.
III. De Delubris & aris veterum Danorum.
IV. De Diis & Idolis veterum Danorum.
V. De ſacrificiis Danorum.
VI. De ſepulturis veterum.
VII. De ſepeliendi ritibus.
VIII. De vallo Danico vulgò *Danevirck*.
IX. De Lapideis monumentis Danicis.
X. De foris veterum & varia dirimendarum litium ratione.
XI. De Ordalio.
XII. De locis Regum electioni dicatis.
XIII. De Epitaphiis
XIV. De aliis monumentis literatis.

Liber Secundus continet monumenta Selandica, qvorum.

I. Verenſe
II. Trygveldenſe
III. Oretinganum
IV. Sandbyenſe Primùm
V. Sandbyenſe Secundum
VI. Sandbyenſe Tertium
VII. Alſtedenſe
VIII. De planitie Haborina cum Meſſenio diſſertatio.

Liber Tertius monumenta Scaniæ exhibet.

I. Lundenſe
II. Valkieranum
III. Stroënſe
IV. Gorſtangenſe
V. Aſumenſe
VI. Alrumenſe
VII. Biergeſøenſe primum
VIII. Biergeſøenſe alterum
IX. Høbyenſe
X. Kiøbingenſe
XI. Scorbyenſe
XII. Siórupenſe
XIII. Huneſtadenſe
XIV. Vedmanshóienſe
XV. Tulſtrupenſe
XVI. Fulienſe

Foſ-

XVII. Foſsienſe
XVIII. Høybyenſe
XIX. Hierupenſe
XX. Holmenſe in Hallandia
XXI. Inter Blekingica primum Løſenenſe I.
XXII. Løſenenſe ſecundum
XXIII. Storkianum
XXIV. Leragrienſe
XXV Liſterenſe
XXVI. Sylvisburgenſe
XXVII. Rupes Haraldiana.

BORINGHOLMICA.

I. Aakirkebuenſe
II. Aakierenſe 1.
III. Aakierenſe 2.
IV. Nicolaitanum 1.
V. Nicolaitanum 2.
VI. Clementinum 1.
VII. Clementinum 2.
VIII. Rœenſe
IX. Laurentianum
X. Guldingardenſe.

Liber Quartus Fionica & Lalandica continet.

I. Ronningenſe
II. Allerupenſe
III. Juleſchoenſe
IV. Avindſloenſe
V. Flemloſenſe
VI. Albeccenſe.

LALANDICA.

I. Tileſenſe
II. Brigningenſe
III. Scolengenſe
IV. Tirſtedenſe.

Liber Quintus ea habet quæ in Cimbria viſuntur.

ARHUSIENSIA.

I. Randruſienſe
II. Hobroenſe 1.
III. Hobroenſe 2.
IV. Glenſtrupenſe
V. Gieſsingholmenſe
VI. Allingenſe
VII. Stenhaltenſe.

ALBURGENSIA.

I. Hunenſe
II. Tuordrupenſe
III. Brynderslevianum
IV. Vregersloenſe
V. Gellerloenſe
VI. Virgula Erotica

VIBURGENSIA.

I. Lenenſe
II. Hiermindanum
III. Torupenſe
IV. Grøndalenſe

V. Longenſe 1.
VI. Longenſe 2.
VII. Grenſtenenſe
VIII. Gudingenſe
IX. Gunderupenſe 1.
X. Gunderupenſe 2.

RIPENSIA.

I. Oddumenſe
II. Hvorumenſe
III. Jellingenſe 1.
IV. Jellingenſe 2.
V. Haverſloenſe
VI. Cornu aureum
VII. Leburgenſe
VIII. Feulingenſe
IX. Vandrupenſe 1.
X. Vandrupenſe 2.
XI. Landerupenſe 1.
XII Landerupenſe 2.

GOTLANDICA.

I. Korpeklintenſe
II Eiſtanenſe
III. Siltenſe 1.
IV. Siltenſe 2.

Liber Sextus ea quæ ex Norvegia delata ſunt, continet.

BERGENSIA.

I. Gerdiſenſe
II. Grindemſenſe
III. Strandbarnenſe
IV. Houſenſe
V. Hopperſtadenſe 1.
VI. Hopperſtadenſe 2.
VII. Quammenſe
VIII. Stedienſe.

STAVANGRIENSIA.

I. Boenſe
II. Sorboenſe.
III. Evienſe.
IV. Byglandenſe 1.
V. Byglandenſe. 2.
VI. Omlidenſe
VII. Avelneſenſe
VIII. Tunſtadenſe
IX. Lundenſe
X. Oldgarenſe
XI. Flikefiordenſe
XII. Scalevordenſe
XIII. Framvardenſe
XIV. Aderſneſenſe
XV. Frœlandenſe
XVI. Hellelandenſe 1.
XVII. Hellelandenſe 2.
XVIII. Nierumenſe
XIX. Skiefvelandenſe
XX. Stangelandenſe

XXI. Klepenſe 1.
XXII. Klepenſe 2.
XXIII. Tangerenſe 1.
XXIV. Tangerenſe 2.
XXV. Scrotvaldenſe
XXVI. Urdalenſe

ASLOENSIA.

I. Dynenſe
II. Grammenſe 1.
III. Grammenſe 2.
IV. Grammenſe 3.
V. Kiuſenſe
VI. Bildenſe
VII. Tunenſe
VIII. Hougerenſe
IX. Holmenſe 1.
X. Holmenſe 2.
XI. Toſſogonenſe
XII. Tottenſe.
XIII. Templum mirabile.

NIDROSIENSIA.

I. Stodenſe
II. Tingvoldenſe
III. Froenſóenſe.

CATALOGUS AUTORUM QUORUM OPERA in hiſce reſtituendis uſi ſumus.

ADamus Bremenſis
Adamantius
Ælianus
Æſcilus
Agatharſides
Aimoinus
Albertus Crantzius
Albertus Magnus
Alexander ab Alexandro
Alexander Gvagnini
Amatus Luſitanus
D. Ambroſius
Andreas Sunonis
Andreas Vellejus
Annales Friſici
Antonius Auguſtinus
Appianus
Apulejus
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Arnerus Scald
Arnoldus Huitfeld
Arnoldus Abbas Lubecenſis
Athanaſius Kirckerus
Athenæus
Avicenna
Autor vitæ S. Uldarici.

B.

Balduinus Ronſæus
Bernardus Malincrot
Beroaldus
P. Bertius
S. Biblia
Blondus,
Boëtius
Breviarium Arhuſienſe
Breviarium Sleſvicenſe

C.

Calpurnius
Cambdenus
Jul. C. Capatius
Capitula Caroli Magni
Capitulum Rhemenſe
Caprolus

Caro-

Carolus Cluſius
Carolus Paſchalius
Caſpar Bartholinus
Caſpar Bauhinus
Caſparus Ens
Catullus
Cauſinus
Chriſtianus Cilicius
Chronicon Carionis
Chronicon Rhitmicum Danicum
Cicero
Claudianus
Claudius Lyſcander
Clemens Alexandrinus
Codex legum Daniæ
Cælius Rhodiginus
Collectarius canonum Burchardi
Columella
Commentator epiſtolæ Bacconis
Concilium Lateranenſe
Coneſtagius

D.

Dalecampius
David Propheta
Democrates
Demophilus
Diodorus Siculus
Dion
Dithmarus Epiſc. Mersburg.
Dudo de S. Quintino
Durus Samius
Dyoniſius Halicarnaſeus.

E.

Edda
Elnottus
Emanuel Urſtiſius
Epicedium Lodbrogi
Epictetus
Eraſmus Lætus
Ericus Pomeranus
Euripedes
Euſebius

F.

Feſtus
Florentinus
Fortunius Licetus.

G.

Galenus
Gaſſarus
Georgius Gvalterus
Gerardus Mercator
Gerardus Voſsius
C. Geſnerus
Gloſſarium Runicum M. S.
Goropius Becanus
S. Gregorius
Gvilhelmus Fabricius Hildanus
Gvilhelmus Lambardus
Gysbertus Longolius.

H.

Hamelmannus
Helmoldus
Henricus Spelman
Hermippus
Herodotus
Hiſtoria Julinenſis
Hiſtoria Norvagica
Hiſtoria Olai Craſſi
Homerus
Hornungus
Horatius
Horus Apollo
Hovedenus
Hugo Linſcotanus
Hyginus.

I.

Jacobus Capellus
Jacobus Matthias
Jarlaſagu
Ingraſsias
Joan. Adolphus Cypreus
Joan. Alſtedius
Joan. Bureus
Joan. Cluverus
Joan. Cunradus Dietericus
Joan. Frideric. Hervardus
Joan. Iſaacus Pontanus
Joan. Kirckmannus

Jo-

Joan. Laurenbergius
Joan. Magnus
Joan. Meſſenius
Joan. Meurſius
Joan. Pediaſimus
Joan. Rhodius
Joan. Seldenus
Joan. Spedus
Joannes Strelovius
Joan. Svaningius
Jonas Coldingenſis
Jornandes
Joſephus Scaliger
Joſephus Terzera
Iſidorus
Jul. Cæſar
Jul. Cæſar Scaliger
Juretus
Juſtus Lipſius
Juvenalis.

K.

Knitlingſagu.

L.

Lactantius
Lanfrancus
Laurentius Schraderus
Leges Adelſtani
Leges Scanicæ
Lex Salica
Livius
Lucanus
Lucilius
Lycophron
Lycoſthenes
Lylius Gyraldus.

M.

Macrobius
Malmesburienſis
Manuſcripta varia
Marſilius Ficinus
Martinus Petrejus
Melchior Goldaſtus
Mercurialis

N.

Natalis Comes
Niali Hiſtoria.
Nicolaus Petrejus
Nicol: Porta Trygonius
Nicolaus Turius
Nierenbergius
Nonnius.

O.

Olaus Magnus
Olaus Petri
Opitius
Oppianus
Ormſagu
Oroſius
Otfridus weiſenburgenſis
Ovenus
Ovidius.

P.

Paradinus
Pareus Chirurgus
Paulus Emilius
Paulus Merula
Paulus Varnefridus
Pauſanias
Petrus Claudii undalenſis
Petrus Lindebergius
Philippus Cypreus
Philippus Melanchton
Philoſtratus
Pierius Valerius
Pignorius
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius
Plutarchus
Pomponius Gauricus
Procopius
Propertius
Prudentius.

Q.

Quintus Calaber

R.

Rabanus
Ranulphus de Glanville
Raviſius
Reſendius
Rhitmus de S. Annone
Richardus Verſtegan
Ricobaldus Ferrarienſis
Rudimentum Novitiorum.

S.

C. Salmaſius
Saxo Grammaticus
Seneca Philoſophus
Seneca Tragædus
Servius
Sigvaldus Scald
Silius Italicus
Simplicius
Snellius
Snorro Sturlæſon
Sophocles
Sophoclis Scholiaſtes
Statius
Stephanus Stephanius
Stephanus Zamoſius
Stobæus
Strabo
Stuckius
Svetonius
Svidas
Symmachus.

T.

Tabula genealogica Schalholtina
Tacitus
Terrentius
Tertullianus
Theopompus
Thomas Bangius
Thomas Bartholinus
Tibullus
Trithemius
Turnebus
Turnerus

V.

Valerius
Valerius Maximus
Varro
Varolus
Vatzdælu
Ubbo Emmius
Vegetius
Vetus Paraphraſtes Teſt. Veteris
Virgilius
Volæ Vaticinum
B. Vulcanius

W.

Willeramus Abbas

X.

Xenophon

Z.

Zacutus Luſitanus

Excel-

Excellentiſſimo, Clariſſimo, doctiſſimoq́ Viro

DN. D. OLAO WORMIO
Medicinæ Doctori & Profeſſori Regio

SAxorum cippos priſco ſermone loquentes
Facunda WORMI, traditione facis:
Inde Tibi debent vivi ſua præmia: debent
Hac vita caſſi præmia ſumma tibi.
At functi ut nequeant, viventes reddere nolint,
Celſa hujus merces Fama laboris erit.

WILLICHIUS WESTHOVIUS,
C. P. & E Lund. Canonicus.

SPlendida ſaxoſis quondam monumenta ſepulchris
Impoſuit ſimplex veterum labor, ut Libitinæ
Neſcia facta Ducum Cippi loquerentur, & idem
Non tegeret famam tumulus, qui putre cadaver
Obruerat: ſed vana fuit, licet ardua cura,
Oſſa laborato Magnatum ceſpite condi.
Nam duros ſilices, cæloq́; minantia ſaxa,
Et rigidas valuit cautes abolere vetuſtas.
Secula diminuunt colles: nec perſtat in ævum
Illuſtres claudens Manes, generoſaq́; Regum
Funera compeſcens, cumulato pulvere, tumba.
At non mortalis, ſubito nec fine caduca,
Gloria defunctos ſequitur, quamcunq́; diſerti
Victuris celebrant chartis, & in omnia, vates,
Tempora diffundunt. Candenti ſola favillæ,

Fama ſuperſtes erit, cui ſacri culmen honoris
Et meritæ laudis decus, inclytus arrogat autor.
Fortes Heroum dextas, animoſaq; bello
Rapta trophæa, neces promptas, claroſq; triumphos,
Muſa perire vetat: nec in ullum decidit ævum,
Quicquid perpetuis ſignatum Annalibus extat.
Hinc Wormi, ſtigiis per te redivivus ab undis
Conceſſus procerum, venerandaq; turba potentum,
En tibi purpureo nectit de flore coronas
Et tua victrici præcingit tempora lauru:
Danica quod tandem, deperdita buſta reſurgant,
Buſta vel abſtruſis, hinc inde recondita dumis
Obſita, vel viridi muſco quæ ſparſa jacebant.
Hactenus ignotos RUNARUM flexus & ampli,
Arctoæ gentes ſtupuere ænigmata ductus:
Saxaq; mirandis dudum cælata figuris,
Solicitos vario fallebant commate ſenſus.
Munere ſed Wormi jam tanta arcana pateſcunt,
Poſtea quæ doctis ſatis intellecta legentur.
Jamq; typis expreſſa, diu, non marmore ſcripta,
Runa perennabit; ſcopulos dum ſecla fatigant.
At nos ingenuo SCALDRORUM munere functi
Hoc titulo ſtatuam toto tibi figimus orbe:
ᚹᛆᚱᛘᛁᚿᛋ ᛡᛁᚴ ᛁᛙᛙᚽ ᚽᛋᛐ ᚹᚿᚠᚼᛘᛆᛁᛋ ᚦᛋᛐᛁᛘᛆ ᚱᚿᛘᛆᚽ
ᛐᚱᛁᛋᛆᛁᛒᚿᛋ ᚽ ᛆᚽᛘᚽᛒᚱᛁᛋ ᛆᛆᛆᛆᛘ ᚠᚿᛁ ᚿᛁᛘᚦᛁᚴᛆᛆ ᛆᚱᚴᛆᛆᚴ.

M. Stephanus Johannis Stephanius
Hiſtoricus Regius & in Academia
Sorana Profeſſor P.

AD

AD

INCOMPARABILEM.

DANICÆ. ANTIQUITATIS.

VINDICEM·

ET

RUNICORUM. MONUMENTORUM.

INTERPRETEM.

PRIMUM. UNICUM. FELICEM.

D. D.

OLAUM. WORM.

MAGNIFICUM. P. T. RECTOREM.

MEDICINÆ. PROFESSOREM. REGIUM.

COLLEGAM. PLURIMUM. HONORANDUM.

EPIGRAMMA.

SCRIPTUM.

A

THOMA. IO. BANGIO. S. LING. P. P.

ᛏᛂᛘᛒᚢᛋ. ᛂᚦᛆᚼᛋ. ᚱᛂᚱᚢᛘ. ᚢᛂᛐᛂᚱᚢᛘ. ᛍᛆᛚᛋᚢᛘᛁᛐ. ᚼᛆᛚᛆᚱᛂᛋ.

ᚦᛆᛚᛆᚱᚢᛘ. ᛂᚼᛋᛁᛐᛁᛆ. ᚱᚢᚿᛁᛆ ᛋᛆᚼᛋᛆ. ᚦᛂᚦᛁᛐ.

ᛏᛂᛘᛒᛆᚱᛆ·ᛋᛂᚦ. ᚦᛁᛆ. ᚢᛁᛁᛐ. ᛚᚢᛚ. ᚡᛆᚱᛘᛁᚢᛋ. ᛆᚱᛐᛂ.

ᛋᛆᛚᛚᛁᛁᛐᛆ. ᛋᛐᚢᚦᛁᛆ. ᚱᚢᚦᛂᚱᛆ. ᛒᚱᛁᛋᛁᛆ. ᛚᛆᚢᛆᛚᛋ

ᛏᛂᛘᛒᛆᚱᛆ. ᛋᛁ. ᛋᛐᚢᚦᛁᛁᛋ. ᛍᚦᚢᛚᛐ. ᚢᛆᛋ. ᚢᛁᚢᛁᛐᛂ. ᚱᚢᛚᛆᛂ.

ᚡᛆᚱᛘᛁᚢᛋ. ᛂᛏ. ᚢᛁᚢᛆᛐ. ᛐᛂᛘᛒᛆᚱᛆ. ᚢᛁᛐᛆ. ᛁᛆᛂᛆᛐ.

CVncta ruunt, firmum nil eſt mortalibus, auræ
Præter Divinæ neſcia dona mori.
Quid ſaxis cippisq́; quid ære perennius? Illis
Interitum tellus, tempus & unda parant.
Dania non ceſsit priſcis virtute Pelasgis:
Romulidis terror, ſæpe ruina, fuit.
Ipſius & quondam cecinerunt Martia facta
Congeſti tumuli, ſaxa, ſepulchra, nemus.
Illa tamen neglecta jacent. Quæ ſtructa ſuperbis
Molibus, heu! tantùm celſa fuiſſe vides.
Grande decus Patriæ, WORMI *doctiſſime, ſolus,*
Ne penitus pereant hæc peritura, facis.
Eruis è denſis Regum monumenta tenebris:
Et ſimul ingenii das monumenta tui.
Tu facis æternum, quod fecit priſca caducum
Sedulitas: hinc te gloria quanta manet?

M. GEORGIUS FROMMIUS
Prof. P.

Parodia ad Oden XIII Libri III Carminum Q. Horatii Flacci

ad

Clariſs. & Excellentiſs. Virum

D. OLAUM WORMIUM.

O WORMI, Medici pars potior chori,
Quanta digne tuba, non ſine poſtumo
Te ſacrabit honore
Seris Runa nepotibus.
Et nunc meritis præmia deſtinas
Laudum fama tuis, ringitur invido
Flatus ſidere Momus,
Muſei ſcabies gregis.

Te

Te liventis atrox ſanna Calumniæ
Neſcit tangere, tu lumen amabile
Plenis numine Scaldris
Præfers, & patriæ tuæ.
Eſto nobilium tu quoq; frontium
Lauru ornate decus, cui merito ſuo
Doctorum usq; virorum
Aſſurgat melior chorus.

Magni amici mei meritis
æternum devinctus

JOANNES MEJERUS
Sch. Cathedralis Ripenſis
Rector.

Antiquitatum Septentrionalium celeberrimo Vindici

OLAO WORMIO,

Medicinæ Doctori & Profeſſori, poſt reſtauratam Literaturam Runicam, jam tot Daniæ Monumentorum Aſſertori.

MErſerat exſtinctas ſeclorum injuria RUNAS
Et ſpolium ignavi temporis Arctos erat:
DANICA in obſcuro ſtabant monumenta receſſu
Putria, & æterno deſidioſa luto:
Tantum argilla tenax & toto marmore rugæ
Antiqvum poterant reſtituiſſe chaos
En jacet, & tuguri veſtitum ceſpite ſaxum
Merſit ad emeritam naufraga buſta domum:
Cardine truſa nota eſt; liquere cubilia voces,
Ipſaq; pars minima eſt litera foſſa ſui.
Tot tenebras WORMI, *Boreæ celeberrime vindex,*
Diſcutis, & longo ſecla ſepulta ſitu,

Lap-

Lapſaq́ reſtauras damnati fruſtra feretri
Et ſuppoſta ſuis fulcra inimica rogis,
Exſeruere caput, quæ mordax ſorpſerat ætas
Et ſeclum linguæ vincula laxat anus.
Hoc CORNU, hi CIPPI, LAPIDES, quæq́ inſita chartæ
Vibrat Amazoniâ tela puella manu,
Rurſus ad extinctæ revocantur lumina formæ
Et mors devictas excubat ante fores.
Livor edax rerum, victrixq́ ſuperbia ſecli,
Ingenio potuit ſuccubuiſſe tuo.
Molliter ite Dani, doctam calcamus arenam,
Quam premimus poterit proxima gleba loqui.
Clauſtra aperit non nota labor, cineresq́ per ipſos
It cura, & varias ignea pandit opes.
Veſtigat mens docta fores, patet omnis eunti
Trames, & ingentes explicat illa ſinus.
Felices doctorum animæ! queis ſæpe pependit
Indelaſſatâ pagina feſſa manu.
Dum ſeclum eruitis tenebris. Vos poſthuma merces
Fama triumfali pandet ad aſtra face.
Tolle decus WORMI*! Tibi docto pulvere vivax*
Laus venit, in mortis non abitura vices.
Non tibi Cirrha ſat eſt, non Coi vaſta papyrus
Aut Arabum quicquid compoſuere Scholæ.
Fertur in arcanos ævi vis celſa labores
Quæq́ per æternas obriguere neces.
Deſinite Hippoliti manes tellure renatos,
Grajum mendaces obſtupuiſſe tubæ?
Nos jam quaſſati, ſenio frendente, ſepulchri
Nos rerum, & ſecli pallida ſceptra damus.
At tu ſi patrias non neſcis DANIA, laudes:
Saxa tamen laudes nec peritura ſonant.

VITUS BERING.

ADDITAMENTA AD MONUMENTA DANICA.

LECTORI BENEVOLO.

EX qvo Monumenta Danica publici juris feci, Varia partim ab amicis communicata, partim obſervata occurrerunt, qvæ ad illorum illuſtrationem & augmentum facere poſſe videbantur. Monumenta qvin etiam ante non obſervata transmiſerunt viri in hoc genere curioſi, qvibus locum inter reliqva, facilè concedes. Dubia qvoq; de qvibusdam mota cum ſint, iis ſatisfaciendum eſſe arbitratus ſum. Qvæ omnia non potui qvin prioribus necterem, ut harum antiqvitatum curioſos nihil eſſet qvod remorari poſſet.

Libr. 1. cap. 3. pag. 5.

Idola ſua Skurguder] Iſlandis *Skurgod* idolum ſculptile dicitur, à *Skurdur*, qvod ſculpturam & *God* idolum ſev ſculptile ſimulachrum. *Skurdur* verò, à verbo *ad ſkere*, ſculpere, cælare, incidere: unde *Skurdhagur*, ſculpendi artifex.

Cap. 4. pag. 11. & 14.

Hiſtoria Norvagica *Frejum*] Hic verò Frejus, pluviæ, ſerenitati & ſplendori Solari prœſidebat, eorumq; arbiter & moderator cenſebatur, alias ᛋᛆᛘ dictus. Cuj⁹ ſacrificium ac ſacrum ᛋᛆᛘᛆᛦ ᛒᛚᛆᛏ, in qvo Verrem immolabant. Hujus documentum præbet inſignis locus in hiſtoria Heidrici Reidgothorum Regis, qvi hæc habet: ᚴᛆᛚᚠᛦ ᛒᛚᛆᛏᛆᚦᛁ ᚠᚱᛁᛁᛦ ᚦᛆᚿᚿ ᚠᛆᛚᛆ ᛁᚱ ᛘᛁᚱᛆ ᚢᛁᛏᛆ ᚼᛆᚿ ᛋᚴᚢᛚᚦᛁ ᚴᛁᚠᛆ ᚠᚱᛁᛁᛦ ᚴᛆᛚᚢᚦᛆ ᚦᛁᚿ ᛋᚢᛆ ᚼᛁᛚᚠᛆᚿ ᚢᛁᚱᛆ ᛆᛆ ᚢᚠᛆᛦ ᛒᚢᚱᛋᛆ ᚼᛆᚿᛋ ᛋᚴᚢᛚᚦᛁ ᚼᛁᚿᚦᛦ ᛚᛁᚴᚴᛁᛆ ᛆᚠ ᛋᚢᛁᚱ-

[runic text] id eſt, interprete Brynolpho Svenonio in Periculo primo in præfationem Saxonis: Conſecraverat Rex (Heidricus) Freyi Verrem, qvem oportune dandum Freyi vehementer voluit. Hunc tantæ ſanctitatis eſſe dictitarunt, ut compoſitis manibus ad ſetas tergoris arrectorias jusjurandum in rebus graviſsimis perſolvere omnes cogerentur. Is Verres in ſacro Sonis mactandus erat. Porrò feſto veſpere (Jola aptan) qvi communem Deorum Dearumq; omnium ſolennitatem auſpicabatur, introducitur Sonis Verres in aulam & ante Regem conſtituitur. Hinc præſentes univerſi tangunt compoſitis manibus ſacras ſetas, & conceptis verbis jurantes vota nuncupant.

Lib. 1. cap. 4. pag. 17.

A qvo *Wibergam Cimbriæ*] Arngrimus Jonas hujus nominis etymon commodè peti poſſe putat à voce *Wie* qvod diſſyllabum immunitatem, & *Biörg*, qvod rupem notat. Locus enim olim fuiſſe videtur privilegiatus, & multis immunitatibus dotatus, inſtar Aſyli cujusdam. Favere huic ſententiæ videtur ejus appellatio priſca, qva Wiebiórgum & Wiebierga appellatur, ut conſtat ex iis, qvæ ex Knitlingſagu adduximus ad ſeries Regum Daniæ pag. 34. & 35.

Lib. 1. cap. 4. pag. 19.

Ellen nobis, vel *Elven*] Priſcis de ſenectute etiam dicebatur ELLE vel ELVEN Hinc illud:

[runic text] &c. id eſt:

Senectus omnes proſternit, homines præcipites dando,
Arbores decorticando & ſua qvaſi veſte denudando.

Hinc *Elliligur*, Senex, ſeu qvi ſenectutem oſtentat facie, barba &c. *Elle modur*, feſſus ſenio, *Elle hrumur*, cui membra ſenio obrigeſcunt. *Elli glop:* ſenectutis errata.

Lib.

Lib. 1. pag. 19. cap. 4.

Paulò aliter originem idoli ac ſtatuæ JODUTÆ ſev Zedutæ memorat Gryphiander de Weichbildis Saxonicis cap. 21, in hunc modum differens: *Zedutæ ſive Jodutæ ſtatuæ veriſſima origo hæc eſt; qvod Saxones, cum ſub Lothario duce inſignem victoriam propè ſilvam Academiæ Helmſtadienſi vicinam (vulgo* Welfelſzholt*) ab Henrico V Cæſare obtinuiſſent, ſtatuam in rei geſtæ memoriam, collocarant, qvam ab occiſorum miſerabili internecione, Zedut ſive ut Saxonicè, Tiodut denominarunt, rapta voce à corrupto Italico, io adjute mi, ut putatur. Cæterum poſteri, obliterata vera rei memoria, eam pro Dea Saxonum adjutrice ſuſpexerunt & coluerunt. Qvousq; Wernerus Præſul Merſeburgenſis eam tandem deſtrueret. Durat adhuc hodie inter Saxones conſvetudo, ut in ſummo dolore Tiodut ingeminent.* Vide Crantzii Saxoniam l. 5. cap. 36. Metrop. lib. 6. c. 7. Lindenbrog. in Chronic. Caroli Magni fol. 29.

Pag. 34. cap. 6.

Ab hiſce tumulis diverſos eſſe eos neceſſe eſt, qvos in agro Auguſtano inveniri ſcribit M. Velſerus, Rerum Auguſt. Windelic. lib. 4. utpote qvos terminorum vices olim ſubiiſſe retur, dum de iis in hunc modum differit: Extant in agro Auguſtano, ad certos pagos, prope viam colliculi exigui, qvos manu aggeſtos ſatis apparet; ita in orbem compacti, ut torno raſi videri poſsint. Eos ad limitum rationem pertinuiſſe arbitror, adductus Fauſti & Valerii verbis: *In limitibus vero ubi rariores terminos conſtituimus, monticellos plantavimus de terra qvos Botontinos appellavimus &c.* Sed ſi Vindelici illi monticelli ad magnitudinem noſtrorum tumulorum accedunt, non exiſtimo eos eſſe de qvibus loqvuntur Fauſtus & Valerius, ſed potius reliqvias monumentorum iis in locis à Cimbris & Gothis ſtructorum, cum oras iſtas occuparunt. De qvo facile judicium feret is, qvi illos monticellos viderit, ac cum noſtris contulerit.

Pag. 36. cap. 6. lin. 4.

Qui inſignem horum tumulorum copiam & varietatem uno in loco videre geſtit, inſulam Hiarnöe ſic à Rege Hiarno, qvi ob Epitaphium Regi Frothoni ſcriptum Diademate & Regis titulo exornatus eſt, dictam adeat, & ſat ſcio mirabitur. Sita verò hæc inſula eſt in ſinu maris, qvà Hottersneſiam Cimbriæ navigatur. In auſtrali ejus parte in planitie prope littus ultra viginti invenies eo ordine & ſitu locatos, qvo in ſeqventi cernere licet diagrammate. Hiſtoriam verò, hujus Hiarni, lege apud Saxonem, in principio lib. VI.



Memorabile ſi verum, qvod referunt incolæ ex qvodam horum tumulorum, taurum cornubus enſem effodiſſe, qvem cum domum ruſticus qvidam detuliſſet, noctu vocem percepit, monentem reſtituendum eum loco ſuo eſſe, ni male mulctari vellet. Quod facere non neglexit qvi illum aſſervavit.

Omnes

Omnes hi tumuli, qvi minores cernuntur, longitudine ad 12 aut tredecim accedunt ulnas, latitudine 4 aut 5. ſed maximus cui mandatum volunt cadaver ipſius Regis ad triginta accedit, latus viginti circiter. Hiarnum vero hic cum toto exercitu tumulatum exiſtimant.

A. Sepulchrum putatur Regis Hiarni, eò qvod longitudine, amplitudine & lapidum diſpoſitione, reliqvos tumulos ſuperare videatur.

B. Fovea qvædam hic videtur, ab iis qvi aut theſauros qværebant, aut lapidem dimovere conati ſunt, effoſſa.

Quia verò ad oras hujus tabellæ, ſpacii qvid relictum vidi, icones urnarum qvarundam ſepulchralium, qvas in Muſæo teneo, apponi curavi. Erutæ vero ſunt hic in Dania, & adhuc cineres & oſsium combuſtorum tenent reliqvias.

Prima maxima eſt & capaciſsima, altitudine pedis unius & unciarum ſeptem, amplitudine qva venter maximè protuberat pedum trium cum unciis qvatuor, colore ex cinereo rubicundo, ex argilla elaborata & in furno cocta. Inventa eſt in Cimbria in tractu Verumenſi, & anno MDCXLIX à Nobiliſsimo viro Domino MAGNO HÓG, Regni Daniæ Senatore prudentiſsimo, dono miſſa M. Stephano Stephanio, Hiſtorico Regio, qvi mihi illam obtulit, ut inter rariora Muſæi aſſervarem.


Secundam ipſe è tumulo in Selandia erui, prope prædium Magnifici DNI. Cancellarii CHRISTIANI FRISII de Kragerup, p. m. Lindholm dictum, non procul Roeſchildia diſtans. Cum enim anno MDCXXXVII ibidem liberorum ejus valetudinem curarem, ac ædes novas ædificaret, complanandus erat tumulus vicinus, commodior ut eſſet exſtructio. Summitatem hujus ubi abſtuliſſent, circa medium fermè, in urnas qvasdam fictiles inciderunt, in circum ordine diſpoſitas. Qvarum unam ubi eruiſſem longitudine erat pedali, teres, capacitate librarũ circiter trium liqvidorum, ex vulgari argilla confecta, colore rubicundo tegularum vulgarium inſtar. Hoc peculiare obſervabam,

qvod qvævis urna cincta & ſtipata erat ſaxis qvibusdam rudibus, ſed planis, ne facilè frangeretur, & ab injuriis tutior ut eſſet, operculum qvoq; obtinebat ex ejusdem generis minera, ſed mole grandiore & planiore, ne qvid incideret, & oſſa ac cineres conſpurcaret.

Tertiam mihi dono dedit Nobiliſsimus OTTHO Krag de Trudsholm, Sereniſs. Reg. Majeſt. Secretarius ſumm9, antiqvitatum æſtimator eximius. Minor qvidem eſt primâ, ſed elegantior, politior, ex materia ſubtiliori elaborata, colore ſubfulvo, levis, altitudine unciarum octo, amplitudine, qvâ venter maximè protuberat pedis unius cum ſemiſſe in circumferentia. Cineres & oſſa claudit ut prima. In Cimbria effoſſam accepi, ſed qva in regione nondum ſatis conſtat.

Sunt mihi multæ aliæ urnarum ejusmodi ſepulchralium fruſta, etiam ex ære deaurato confectarum, qvæ alibi ſuum invenient locum.

Huic inſulæ adjacet altera Alrôe, qvaſi inſula Alrunæ dicta, in qva extat Monumentum Reginæ Alrunæ longitudine ulnarum qvadraginta, latitudine duodecim. Nomen verò Alrunæ ſive Adel-Runæ an proprium fuerit, an officii ſev dignitatis certò non conſtat. Vide qvæ de eo in Literatura Runica diſſeruimus. Hic tumuli ſtructuram exhibuiſſe ſuffecerit.



Pag. 40. Lin. 14. cap. 6.

Huc enim non qvadrat qvod de Finnis referunt, eos nempe mortuos ſuos annôlæ & concavæ arbori includere, nec aliter humare.

Pag. 86. Lin. 11. cap. 11.

Hvitfeldius in Hiſtoria Haraldi VII expreſsè aſſerit, ferri igniti geſtationem in Dania tempore Haraldi VII abroga-

rogatam, ſed mox reſumptam & viguiſſe usq; ad Waldemarum IV, qvo tempore ab Eugenio IV Papa planè fuit abolita. Pontanus lib. V. Hiſtoriæ Danicæ, in ejusdem Regis Hiſtoria, Woldemarum hunc tertium fuiſſe memorat, ſic enim ille: *Receptus eſt poſtmodum & ſervatus adhuc ejusdem Saxonis ævo, ferri uſus, ad usq; Waldemari tertii tempora, qvo regnante in totum eſt abrogatus, admittente præcipuè Pontifice Eugenio, & ejus vice Sacramenti Religio firmiùs ſancita*. Verum ſedente Eugenio IV Papa, circa annum Chriſti MCDXXXI, in Dania imperium obtinuit non Waldemarus IV, ſed Ericus XI ſev Pomeranus, & regnante Waldemaro III, nullus Papa Romæ ſedit cui nomen erat Eugenius, conſule Chronologiam Danicam Clariſs: viri Johannis Svaningii ad iſta tempora. Negari interim non poteſt, qvin tempore Waldemari I, ſuſpecta apud multos in Dania fuerit hæc ignito ferro ſe purgandi ratio. Cum enim Magnus Erici filius, inſidias Regi Woldemaro ſtruxiſſet, atq; injunctum ei eſſet, ut ſe à criminationibus, per ignitum ferrum purgaret, reſpondit: *Anceps id genus experimenti eſſe* (verba Saxonis lib. 14. refero) *nec ſemper miraculo præditum, qvod plærumq; & inſontes damnare, & noxios abſolvere ſoleat, fortuitosq; maximè eventus experimentorum habeat: neq; enim divinam potentiam, tanta mortalium cura flagrare, ut qvibuslibet eorum votis, rerum naturam cedere compellat*. Hujus Woldemari primi tempore circa annum Chriſti MCLI ſedit Eugenius III Papa. Mendum igitur Typographicum in Hvitfeldio & Pontano ut ſit neceſſum eſt, Ac in Hvitfeldio pro Woldemaro IV legendum I, pro Eugenio IV legendum III. In Pontano verò pro *Woldemari tertii* legendum *primi*, tum enim ſedit Eugenius, qvem qvotus fuerit non indicat.

Pag. 88. cap. 12.

Propè ſinum maris, *Iſefiord* dictum, qvi Roëſchildiam alluit, etiam electos & creatos fuiſſe Reges, non uno in loco indicat Saxo. De Hottero loqvens lib. III: *Inde*, inqvit,

inqvit, *Salandiæ portum Iſoram ingenti claſſis numero occupat, imminentis fortunæ beneficio uſurus, ibi Rex ab occurrente Danorum populo conſtitutus.* Lib. II. Haraldus VI Hein dictus, ibidem Regium Diadema obtinuit. *Iſoram*, ait, *habendi delectus gratia conveniunt. &c.* Lib. 3. *Ob rerum anguſtias Ericum Regio apud Iſoram nomine, inſigniri neqviviſſe refert.*

Pag. 89. eodem cap.

In manuſcripto qvodam de origine & geſtis Danorum hæc invenio de Dano, primo Daniæ Rege annotata. *Hoc facto electus eſt in Regem, & poſitus ſuper lapidem, ubi nunc eſt* Kovirke, *in ſignum ſoliditatis Regni & Juſtitiæ factus.*

Cap. 13. pag. 95.

Apud Socratem lib 9. Hiſtor. diſceptatio extat de crucis ſigno apud Ægyptios, qvam hiſce addam. *Cum*, inqvit, *Serapidis templum ſpoliaretur, & in ſacris, uti vocabant, literis, crucis figura inventa eſſet; ea res in diſceptationem venit. Chriſtiani enim, qvibus notarum periti adſtipulabantur, crucem Chriſto adjudicabant: Ethnici vero commune qvidpiam Chriſto cum Serapide eſſe, impiè contendebant. Tutatus eſt cauſam ſuam Deus; Plurimi eorum qvos Diabolus deceperat, Chriſto nomen dedere, & trophæum paſſionis crux triumphalis, notatis frontibus refulſit.* Sed crucis ſignum apud noſtrates, nihil affine habuit Ægyptiaco. Vide de hoc ſigno differentem Richardum Montacutium Origin. Eccleſiaſt. Tom. 1. parte poſt. pag. 390.


Lib. 2. pag. 133.

Noſtratibus *Myklegard* rarò denotabat Megapolim, vulgo **Meklenburg**: Sed Conſtantinopolim, ſev Byzantium, qvod eo ſedem imperii tranſtulerit Conſtantinus, ac tum urbs iſta in maximo erat pretio. *Gard* namq; antiqvitus, urbem, arcem aut regionem ſignificabat; unde & Ruſsia noſtratibus dicta *Öſtregard*, qvod Regio ſit ad ortum Solis ſita.

Lib.

Lib. 3. ad Monumenta Scanica.

In templo Sallerupenſi Baptiſterium extat, ex ſaxo griſeo elaboratum, in cujus labro qvâ ſeptentrionem ſpectat literis Runicis inſcriptum eſt nomen ejus, qvi id elaboravit in hunc modum:




ᛘᛅᚱᛏᛁᚿ: ᛘᛁᚴ: ᚠᛁᛅᚱᚦᛁ:
Martin mik giardi
MARTINUS ME FECIT.

Omnia per ſe clara ſatis & perſpicua: indicat enim nomen ejus, qvi hoc opus elaboravit, fuiſſe Martini.

Aliud extat in muro qvi cingit Cœmiterium templi Glimmingenſis propè januam, qvod maximâ ex parte terra tegitur. Invenit & mecum communicavit anno MDCXLIV clariſsimus Collega meus Dominus Doctor Chriſtianus Stovgardius in Academia Hafnienſi olim Eloqventiæ Profeſſor publicus; qvi cum illac tranſiret, ac in parte ſupra terram eminente notas qvasdam obſervaſſet, remotâ terrâ, & fruticibus adjacentibus, reliqvum detexit, ac ſaxi molem totam ad ovalis figuræ ſpeciem accedere animadvertit, longitudine ulnas fermè

duas, latitudine æqvante unam, cujus ſuperior pars notis inſignita, inferior plana, iis deſtituta, ut & ejus ſuperficies ſeu area interior in hunc fermè modum.



ᛋᚢᛂᛁᚿ: ᛋᛂᛏᛁ: ᛋᛏᛁᚿ: ᚦᛂᛋᛁ: ᛁᚠᛏᛁᛦ: ᛏᚢᛋᛏᛂ: ᚼᛁᚿ: ᛋᚴᛅᚱᛒᛂ: ᚠᛅᚢᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚿ: ᚼᛂᚱᚦᛂ ᚴᚢᚦᛂᚿ: ᛏᚱᚢᛏᛁ: ᚢᛁᚱᚦᛁ: ᛂᛏ: ᚱᛂᛏᛂ: ᚼᚢᚴᛋ: ᚢᛒᚱᛁᚢᛋᛏᛁ.

Sveni ſeti Stin deſi iſtir Tuſte hin ſkarpe faudur ſin; Herde guden truti Virdi æt, Rete hugs upriuſti.

SVENO LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM TUSTÆ ACUTI, PATRIS SUI DEO FIDI, E PROGENIE VIRDI, RETE TUMULUM EXSTRUXIT.

Inſcriptio hæc, qvamvis qvo ad priorem ſui partem difficultatis habeat nihil, qvò ad poſteriorem tamen, non pauca ſunt, qvæ negotium interpreti faceſſere valeant. Nomen Svenonis & Tuſtæ non adeò infreqvens, ſed cognomen ᛋᚴᛅᚱᛒᛂ non magnopere tritum; Acutum verò denotat, ſic cultros, gladios, ſecures & alia qvibus ſcindimus aut pungimus vulgò Skarpe vocare ſolemus. Hic verò ad animum & ingenium tranſlatum puto, eò qvod inge-

ingenio prædictus fuerit acri & excellenti, vel in bellis ſtrenuus & validus.

ᚼᛁᚱᚦ ᚠᚢᚦᛁᚱ ᛏᚱᚢᛏᛁ· Quidam legunt ᚱᚢᛏᛁ· De hac loqvendi formula fuſiùs diſſeruimus libr.3. in Monumentis IX.X.XIV.XVI, lib.4.Mon.VI. & Lib.V.Mon.VI. forſan pro ᛏᚱᚢᛏᛁ aut ᚱᚢᛏᛁ, legendum ᛏᚱᚢᚠ, ut in Monumento 8. libri III.

ᚢᛁᚱᚦᛁ ᛅᛏ, Innuere ipſum arbitror, Tuſtam hunc fuiſſe è familia & progenie Virdi. Qualis verò illa, ſcriptis celebratum invenire haud potui.

ᚱᛁᛏᛁ· Mihi videtur, qvod hiſce verbis eum indicare velit, qvi tumulum & monumentum exſtruxerit, qvi Rete dictus fuerit. Hinc etiam colligere datur ſaxum hoc in tumulo qvodam aut colle poſitum fuiſſe, in qvo ſepultus fuerit hic Tuſta noſter, ac demum exſtructo templo traductum in uſus qvos jam poſsidet.

Lib.3. ad Monumentum Leragrienſe p.218.

De hoc Monumento ex Iſlandiâ occidentali ita ſcripſit Doctiſs: vir Dominus Jonas Areſonius, Paſtor Watzfördenſis digniſs: Monumenti Danici, charta expreſsi, exemplar triplici Literatura Runica inſigne Dn. Arngrimo à te miſſum aliqvando vidi, ubi primum hæc verba occurrebant: *Iſod ſcti her útmuti Sol &c Aprun, Dumrun &c.* id eſt Iſod ſtatuit hic ſub dio contra Solem. Nomen inde proprium Dumrunis involutum erat, Aprunas autem inverſo Alphabeti ordine evolvere eſt, adeoq; in uno illo ſaxo triplex extat Literatura Runica.

Lib.4. Monum 1.Pag.257.

Nec eſt qvod qvis ſuſpicetur] Quia inter noſtrates qvosdam eſſe intellexi, qvi de ſenſu hujus Aimoini loci dubitent, epiſtolam, qvam Nobiliſsimo Domino OTTHONI KRAGIO hac de re ſcripſi, his addere lubuit, ut qvorundam ſcrupulis ſatisfiat accuratiùs.

Viro Nobiliſsimo
Dn. OTTHONI KRAG DE TRUDSHOLM,
Sereniſs: Majeſt: Regiæ Secretario ſummo
OLAUS WORM S. D. P.

EX iis qvæ nuperè variis de rebus jucundiſsimè inter nos acta ſunt, intellexi qvosdam mirari, qvod Nobiliſsimam Urnorum familiam lib. 4. Monumentorum Danicorum, inter antiqviſsimas referam; idq; auctoritate Aimoini Monachi ſtabilire allaborem. Qvocirca non potui, qvin apud Te, patronorum amiciſſimum, inſtituti mei rationes deponerem, ac qvæ mihi objiciuntur diluerem, ut conſtet me nihil ſine rationibus, & magnorum virorum auctoritatibus, hac in re aſſeveraſſe. Tibi verò de omnibus judicium relinqvens liberum, utpote qvi ex caſcis illis & obſoletis, qvam difficile ſit veritatem elicere, probe noſti.

Initio notandum venit, locum qvem pro fundamento ponimus, non ab omnibus eidem autori adſcribi. Hvitfeldius noſter ex Eginardo, qvem alii Einhardum vocant, & Cancellarius Caroli Magni fuit, ejusq; vitam conſcripſit (licet alii Alcuino hoc opus tribuant) hæc verba citat, & qvidem ſermone tàm Germanico qvàm Danico. Verum Eginardi opus Germanicè conſcriptum mihi videre non contigit, in Latino, qvod in corpore Francicæ hiſtoriæ extat, hoc fœdus non reperitur. A Pontano in Hiſtoria Danica Aimoino tribuitur, apud qvem extare ait capite 99 libri qvarti (ſeqvutus editionem Pariſinam anni 1603,) qvod verum eſt, ſi omnia qvæ ſub nomine Aimoini edita ſunt, ejus eſſe credas. At ſi autorem Corporis Francicæ Hiſtoriæ anno 1613 Francofurti apud Wechelium editum ſeqvaris, hujus fœderis deſcriptor non erit Aimoinus, ſed Adelmannus ſev Ademarus Benedictinus apud qvem ad annum DCCCXI pag. 413 id invenies hac

hac formula: *De parte Danorum in primis fratres Hemmingi Hancum & Angadeo. Deinde cæteri honorabiles inter ſuos viri, Offredus cognomento Turdimulo, & Warſteinus & Svonus &* Urmus *& alius Offridus filius Heiligeni & Offredus de Sconaouve & Hebbi & Aovus.*

Hunc locum, qvia proram ac puppim noſtræ opinionis poſuimus, de eo pauca ſunt monenda. Joannes Iſaacus Pontanus Hiſtoricus Regius, qvi tam exterorum qvam noſtratium de rebus geſtis Danorum diligenter perqviſivit documenta, lib. 4. Hiſtor. Danic. in Hiſtoriâ Hemmingi Regis, locum corruptiſsimum agnoſcit, dum ſic diſſerit: *Fœderis ipſius formula apud Aimoinum & alios concepta corruptiſsimè exhibetur.* Si non modo corrupta, ſed & corruptiſsima exiſtimatur, qvomodo corrigenda ſit, operæ precium eſt ut ex ipſo audiamus Pontano. Sic autem ille legit: *Qvorum qvi ab Hemmingo Rege erant miſſi, nominatur uterq; Regis frater Haqvinus & Angadeo, nec non Oſtredus cognomento Turdimulo, Waſteinus, Svonus,* Urnus, *filiusq; Helligeni ſive Haqvini Otfredus & alius ejusdem appellationis de Scanonve, itemq; Ebbo &* Uffo. Hic expreſsè illum qvem alii Urmum vocant Urnum appellat, unius ſaltem lineolæ mutatione. At huic viro in Criticis & Hiſtoricis qvantum tribuendum me melius noſti. Inter veteres Scriptores qvi res geſtas Imperatorum Germanicorum deſcripſerunt, ex bibliotheca Juſti Reuberi editos Hañoviæ typis Weichelianis anno 1619 unus extat, qvi annales Regum Francorum Pipini, Caroli Magni & Ludovici conciñavit, qviq; à Reubero putatur ejus ætatis Aſtronomus, & Regis Ludovici domeſticus fuiſſe, ſed ni fallor ego, is ipſus eſt Aimoinus vel Adelmus, de qvo jam actum. Hic formulam fœderis hujus his verbis exprimit pag. 39: *De parte Danorum in primis fratres Hemmingi Hancwin & Angandeo, deinde cæteri honorabiles inter ſuos viri, Osfred (al. Osfrid) cognomento Turdimulo, & Warſten (al. Warſtein) & Swomi (al. Svomi)*

& Urin, & alius Osfred filius Helligon, Osfred de Sconowe, & Hebbi & Awin. Ubi expreſsè is qvi aliis dicitur Urmus vel Orm, Urin apellatur. Heldvaderus in Sylva chronologica circuli maris Balthici p. 28. hujus etiam meminit, hac verborum forma: Auff der Dennemarker ſeiten waren da entgegen zehen fürnehmen vom Adel alß Oßferd/ Durdineu o/ Warſten/ Swony/ Vrne/ Oßferd/ Heiligon/ von Schonew/ Ebbe und Aage/ neben des Königs Hemmingi beiden Brüder/ alß Atzer und Aage. Et certè corruptum hunc eſſe locum evidenter evincit variæ lectionis collatio, & nominum propriorum diverſa elementa ab autoribus prolata. Specimen exhibeamus.

Corp⁹ Hiſt Frãc. ex Adelmo.	*Aſtronomus.*	*Hvitfeldi⁹ ex Eginhardo*	*Pontanus ex Aimoino.*	*Heldvaderus.*	*Conjectura.*
Hancum	*Hincwin*	*Haqvin*	*Haqvinus.*	Atzer	Haagen
Angadeo	*Angandeo*	*Angadeo*	*Angadeo*	Aage	Aage
Offredus	*Osfred*	*Osfert*	*Oſtredus*	Oßferd	Oſten
Turdimulo	*Turdimulo*	*Turdimulo*	*Turdimulo*	Durdineulo	Thor Mule
Varſtinus	*Warſten*	Warſten	*Waſteinus*	Warſten	Toſten
Svonus	*Sw mi*	*Suni*	*Svonus*	Swony	Sven
Vrmus	*Urin*	*Ofm*	*Urnus*	Vrne	Vrne
Osfredus filius Heiligeni	*Osfred fil Helligon*	*O fert Helge*	*Otfredus filius Helig ni ſeu Haqvini*	Oßferd Heiligon	Oſten Helgeſen
Osfredus de Sconaouve	*Osfred de Sconowe*	*Aſmund von Schonaffe*	*Otfred⁹ & ali⁹ de Scanohve*	Oßferd von Sconow	Oſten aff Scane
Hebbi	*Hebbi*	*Ubbe*	*Ebbo*	Ebbe	Ebbe
Acvus	*Awin.*	*Offue*	*Uffo*	Aage	Offve

Primum qvem nominant Hancum aut Haqvinum, in Genealogiis Danicis non invenio fratrem fuiſſe Hemmingii. Hic enim Haraldo Gormonis filio ortus, (vel Olao, ut Meurſius putat,) fratres habuit Regenbaldum, Atſerum & Agonem, teſte Lyſcandro noſtro in Genealogiis. Niſi hic Hancus ſit Atſerus, Andegao vero Ago, qvi & aliis exteris Hiſtoricis ut Reginoni ad annum DCCCXI dicti ſunt Ancimin, Angaſeo, ut ibidem aſſerit idem. Non levis igitur hæc mox in principio, corruptela. Quid ſi Turdimulo ſit Thor mule? & Suni ſeu Sveno cum Urne conjungendum, ut ſit Suni vel Sven Vrne? Asmundus Hvitfeldii apud alios non legitur. Vides cur

Pon-

Pontanus locum hunc corruptum exiſtimaverit. Idem ſubolfeciſſe videtur Hvitfeldius, cum longè aliter ex Egenhardo in vita Caroli citet qvam reliqvi, Germanica ita habent: **Auff der ander ſeite Haqvin und Andgadeo die Brüdere Henningii / Oßfert / Turdimulo / Warſiuw / Euni / Orm / Oßferdi / Helge / Aßmund von Schonaſſe / Ubbi / und Oſſue.** Ubi obſerva nomen Turdimuli non ut cognomen, ſed ut proprium poni, & Aſmundum addi qvi apud reliqvos non invenitur. Non igitur ſine cauſa hunc locum corruptum conqveritur Pontanus; qvæ mihi etiam haud deeſt, ut ejus amplectar emendationem, qva pro Urme vel Orm ponit Utne. Primus igitur qvi opinionem meam ſtatuminat eſt Aimoinus, ita ut dixi à Pontano emendatus. Huic in Monumentis addidi Gerardum Mercatorem Geographum clariſsimum, qvi in deſcriptione Daniæ, familias apud nos nobiliores enumeraturus, inter eas locat *de Uren, qvi vixerunt Caroli Magni tempore*. Quod procul dubio, non ex ſeipſo, ſed fide dignis hauſit auctorum & hiſtoriæ documentis. Johannem Adolphum Cypræum in partes qvoq; vocavi, ut in ore duorum aut trium omnis conſiſteret veritas. Is libro Annalium Epiſcoporum Sleſvicenſium pag. 5. de eadem familiâ locum exponit Aimoini, ſic diſſerens: *Cum autem Carolus Magnus Roma reverſus, ut Saxones & Friſios liberaret in ipſum* (Gothricum) *arma decreviſſet, res per utriusq; conſiliarios, inter qvos fuiſſe fertur, qvidam ex nobili familia Danica* UHRN *(qvæ etiamnum floret) transacta eſt, &c.* Quamvis plures adducere, forſan non adeo foret operoſum, hos tamen ſufficere arbitratus ſum, ad antiqvitatem nobiliſsimæ hujus familiæ aſſerendam. Quam labefactare qvi geſtit, hos triumviros de ponte prius ut dejiciat neceſſe eſt, qvam nos in vota ſua habeat proniores. Non hic commemorabo in ore omnium eſſe, Nobiliſsimum & Doctiſsimum virum Dominum CAROLUM DANZÆUM Chriſtianiſsimi Galliarum Regis ad nos Legatum, in hac qvoq; fuiſſe opinione, inductum procul dubio documen-

cumentis indubitatis & Aimoini & aliorum MSS; qvæ in Galliis evolverat, ſiqvidem vir fuit ut eruditiſsimus, ita in Hiſtoricis & Politicis verſatiſsimus. Nec repetam ſupra ex Aſtronomo allata fœderis formalia, ubi expreſsiſsimè ponitur URIN. Nec Heldvaderum adducam, qvod pro ſua ſtet probabilitate; ſed ſaltem tot in contrarium ut proferant hujus ſententiæ oppugnatores, urgeo.

Regerebas, ni fallor, cognomina ea ætate Nobilibus Danis in uſu non fuiſſe; ſed imperante in Dania FRIDERICO primo demum aſſumpta. Miror qvo fundamento hæc proferantur, cum hic ipſius Aimoini locus, de qvo diſputamus, contrarium manifeſtè evincat. Nonne expreſsè dicit Oſtredum cognomento dictum fuiſſe Turdimulo? Quod ſi ipſe hoc tempore cognomen tale habuerit, qvidni & plures? Si eos qvi noſtræ ætati propiores fuerunt, & ante trecentos circiter annos, conſideraverimus, patebit cognomina noſtris Nobilibus fuiſſe freqventiſsima. Ut de aliis nihil dicam, *Thimmonis Bammer*, à qvo hæc familia ortum traxit, mentionem facit Saxo Grammaticus Hiſt. lib. 10. floruit verò hic ſub Canuto Magno circa annum Chriſti M XX. *Petrus Bos* ſev Oxe lib. 14 Woldemari primi tempore, circa annum Chriſti MCLX. Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, præſente Rege Waldemaro qvarto Calingburgi celebrabantur comitia, qvibus interfuere ex familiis qvæ etiamnum apud nos florent; Henningus Podebuſk/ Benedictus Ancfeldt/ Petrus Grubbe/ Petrus Munck/ Nicolaus Bind/ Boëtius Hoeg/ Chriſtianus Kaas/ Petrus Lunge/ &c: præter cæteros cognominibus præditos, qvorum familiæ jam non extant. Qui omnes Armigeri vocantur, hoc eſt, interprete Spelmanno meo in Archeologia, viri nobiles & generoſi, qvi arma tractant militaria, ſed eqveſtrem adhuc dignitatem non ſunt aſſecuti. Vide conſtitutiones Woldemari qvarti anno ſupra citato datas, & Regis Chriſtophori anno MCCC XX rogatas, aliasq; qvæ extant in Codice Legum Cimbricarum per Canutum Epiſcopum Wiburgenſem edito, &

hujus

hujus opinionis fundamenta convulſa videbis. Nec aliud evincunt qvæ ex Hiſtoria Friderici primi, à Hvitfeldio concinnata adducuntur. Pagina mihi 365. hæc habet: **Kong Fredrich var førſt Aarſag til at Adelen her i Riget hafve maat kalde dennem aff Slectit oc Vaabenit/ ved deris Tilnafn/ udi ſtedit/ at fleſte delen tilforn/ hafve kaldet dennem efter deris Forældre/ Pederſſon/ Clauſſøn/ etc.** Quod ſi ſuis cognominibus appellari deberent, utiq; ea habuerunt antea in familiis. Deinde dum ait maximam partem, non uſam fuiſſe cognominibus, concedit aliqvam partem iis uſam; falſum igitur nullos cognominibus ſuis appellatos fuiſſe. Decretum Regis Friderici non nova illis dat cognomina, ſed vetera & ſepoſita revocare jubet, ne familiæ confundantur. Sed qvia hanc controverſiam cum viro Nobiliſsimo Domino HENRICO SPELMAN p. m. per epiſtolam olim Monum. Danicorum lib. 3. pag. 163. fuſiùs ventilavi, plura hic non addo.

Objiciunt præterea qvidam, ut audio, errorem à me commiſſum in citando Aimoino, eò qvod libro 4. Monumentorum Danicorum ſcribam extare hunc locum in libro 4 Aimoini cap. 97. Errorem hic nullum agnoſco, & cæcos eſſe oportet qvi non videant ita eſſe. Cæterum qvid ipſos in errorem duxerit facilè animadverto. Cum multæ ſint editiones Aimoini, omnes ex ſua ſunt metiti. Uſus ego ſum codice editionis Parienſis, edito (ut ex Privilegio conſtat, nam in titulo non extat) anno MDXI, curante Joanne Parvo & Aſcenſio, vel ſi Badii epiſtolam aut libri finem ſeqvaris MDXIV. In cujus facie prima auctor non AIMOINUS, ſed Annonius Monachus Benedictinus vocatur. In hujus codicis libro 4. cap. 97, pag. 89, ſi non reperiatur à me citata, cauſa ceciderim. In editione Pariſina anni MDCIII Jacobi de Breul Monachi S. Germani à Pratis, caput eſt 99. pag. 235. ſed in Corpore Francicæ hiſtoriæ Francofurti per Wechelium edito anno MDC XIII, non notatur caput; nec Aimoino, ſed Adelmo adſcribitur ad annum DCCCXI, pag. 413. Vides igitur,

mi KRAGI, inſignem mihi hic factam eſſe injuriam, & non temerè de citationibus auctorum judicandum eſſe, niſi prius omnes editiones evolverimus. Cauſæ hujus diverſitatis ſunt auctorum de ſcriptis Aimoini ſententiæ diſcrepantes, de qvibus, ſi placet, conſule judicia F. Jacobi de Breul, Monachi S. Germani à Pratis, item Marqvardi Freheri, & Gvilhelmi Ranchini, præfixa Corpori Francicæ Hiſtoriæ. Nobis longius divagari hoc tempore non eſt conſtitutum.

Urgent porrò, in plerisq; exemplaribus legi *Urmus*, non *Urnus*. Corruptum hunc locum ſupra conqveſtus eſt Pontanus, atq; hujus rei documentum ſufficiens nos dediſſe arbitramur. Quocirca non poſſumus, qvin Pontani & aliorum admittamus correctiones, donec fuerit qvi argumentis evidentioribus contrarium demonſtret.

Deniq; ſummam rei in eo conſiſtere putant, qvod, ſive Urmus ſive Urnus legatur, nomen tamen ſit proprium, non verò cognomen. Hoc eſt qvod controvertitur, ac niſi probetur, eodem jure negatur, qvo aſſeritur. Addunt qvidam patere hoc ex voce *Cognomento*, qvæ Turdimulo additur, non verò Urno. At hanc vocem apud Eginhardum non legit Hvitfeldius noſter, qvocirca Turdimulo inter reliqva ponit tanqvam proprium; & qvidem, ut mihi videtur, rectiſsimè; convenit enim optimè cum *Tord Mule*. Ac cum locum hunc corruptiſsimum eſſe ſupra evicerimus, certi qvid ex eo, niſi corrigatur, colligi poſſe, vix credo. Quinimo ſi toties, qvoties cognomina ponuntur, repetenda in eadem periodo eſſet hæc vox, inconcinna prorſus redderetur oratio. Nonne videmus uſu receptum eſſe, ut crebrò non proprio, ſed cognomine compellemus ac citemus viros eximios? Te, ubi Nobiliſsimum vocavero KRAGIUM, omiſſo proprio, an qvidpiam contra communem loqvendi rationem peccatum? Cum dico, in Hiſpanica legatione Anno 1620 primas obtinuerunt Scheſtedius & Kragius, omnes ex circumſtantiis temporis & rei, antecedentibus & conſeqventibus

tibus


tibus colligunt, Hannibalem & Otthonem fuiſſe. Pari modo hic nominatur Urnus, qvi tum ob præclara in Rempublicam merita, & Legationes ex voto obitas, fuit celeberrimus, qvi forſan Suno aut Sveno dictus, is ſcilicet qvi hic ponitur. Et qvis ſcit annon alia hujus generis in hac periodo vocabula, potius cognomina qvam propria ſint cenſenda?

Vides, Nobiliſsime KRAGI, tanta non eſſe qvæ objiciuntur, ut me à ſententia dimovere poſsint. Si majora & ſolidiora perceperis, facilis, pro ſolita humanitate mecum communicabis, Is enim ſum, qvi indies diſcere & à doctis ac rerum peritis erudiri diſcupiat. Vale qvam proſperrimè. Hafniæ V. Id. Jan. Anni cIↃ IↃCL.

Lib.5.pag.272.

ARHUSIENSE.

Singula propè Arhuſiam diligentius rimandi negotium dedi Juveni ornatiſsimo Domino Laurentio Bordingio Diſcipulo meo, antiqvitatum noſtrarum haud imperito, qvi ſeqventia demum invenit, & ad me transmiſit.



In ipſa urbe, cœnobium eſt D. Virgini olim conſecratum, in cujus porticu, qvâ in templum itur, non procul à Janua, muro inſertum viſitur lapidis fragmentum, ita ut dimidia fermè pars terrâ & pavimentô tegatur. Longum ulnam unam cum ejus qvarta, latum eadem menſurâ, qvadratum enim fermè conſtituit. Cujus notæ qvibusdam in locis obliteratæ, idea vero talis.

Certi qvid hinc colligere non datur, ſiqvidem maxima pars inſcriptionis deſideretur, & reliqvum ita corruptum, ut nullus ſe hinc expediet. Ex voce ᚦᛅᚴᛋᛁ, pro *deſi* colligere licet ex vetuſtioribus hoc fuiſſe, ſed unde advectum ac huc tranſlatum, nemo eſt qvi narret; ſiqvidem ante fundatum templum, cujus muri partem conſtituit, huc delatum ſatis appareat.

Illud potiſsimum hic obſervandum venit, qvod Monumenti hujus characteres, peculiari modo ſint expreſsi, adeo ut rationem ſcribendi imitari videatur eam qvam Literatura Runica cap.24 deſcripſimus, & βουςροφηδὸν à qvibusdam vocari diximus. Incipit à ſiniſtra & ubi ad dextram pervenit, ad ſiniſtram recurrit, prorſus eo modo, qvo boves arando ſulcos vomere in terra ducunt. Prima linea hæc continentur ᛦ : ᚦᛁᛉᛋᛚ; jam vertenda charta ut legas ſecundam ᚼ : ᚦᚭᚴᛋᛁ : ᛁᛁ. rurſus vertenda, ut tertiam aſſeqvaris: ᚴ : ᛘᚢᛐᛅ. parem verſionem reqvirit qvarta, ut legas ᛋ : ᚢᛅᛁᛐᚿ. item ultima ᛡᛁᚦᚼᛒᚢ. Extant ergò ᚦᛁᛉᛋᛚ; forte ᚱᛁᛅᛋᛐᛁ reiſti, tumulum ſcilicet, ᚦᚭᚴᛋᛁ, hunc; ᚭᛘᚢᚴᛐᚼ; Omundus, qvod proprium haud infreqvens. ᛋᚢᛅᛁ; forſan ᛋᚢᚼᛁᚴ Sveno. ᛡᛁᚦᚼᛒᚢ; Sleſvicum olim Hedeby vocarunt. Sed qvia ſaxum adeò mutilum, & undiq; ſuis notis ſpoliatum, plura de eo hic differere non datum. Dum in ſua ſtetit integritate, non dubito qvin pulcherrimum fuerit, antiqviſsimum; & res memoratu dignas continens. Micas haſce colligere cogimur, donec ſit qvi epulis lautioribus nos ſatiet.

VEDELBYENSE.

Arhuſia vix uno lapide diſtat pagus Vedelby, in ejus agris

agris ſitus olim erat collis Grydhøy dictus, jam à Ruſtico vicini agri poſſeſſore complanatus fermè. Hîc dum vomere terram proſcinderet colonus, in ſaxum impegit tanta violentia, ut ferrum diſsilierit, rimatus ſingula diligentius, grande offendit ſaxum gleba obrutum. Quod ne iterum eſſet obſtaculo aut ſegetum proventum impediret, aſcitis ſociis eruere non deſtitit molem, longitudine duarum ulnarum cum ſemiſſe, latitudine unius cum ſemiſſe, craſsitie duarum qvartarum, rudem, ſaxi vulgati, altera parte planam & characteribus inſignitam. Quam domum transferre curæ habuit & horrei ſui foribus aptavit, commodior ut eſſet introitus, ibidemq; adhuc extat. Ita verò terræ adhærebat, ut faciem literatam ei obverteret, ſculptura vacuam aëri oſtentaret, qvod arguit ab agri poſſeſſore olim ſtudio disjectam fuiſſe & terra opertam, ne impedimento foret arantibus & meſſem facientibus. Superſtitioni verò vicinum, qvod refert agri poſſeſſor, glebam ejus loci, ex qvo tranſlatum ſaxum, non eſſe ea fertilitate, qva gaudebat antea. Faciem ſaxi hic habes.



ᚦᚢᚱᚴᛁᛚ: ᚱᛁᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛅ: ᚦᛁᛅᛋᛁ: ᚢᚠᛏᛁᛦ: ᛏᚢᚠᛅ:
ᛘᛅᚴ: ᛋᛁᚿ·

Thurkil risdi ſten denſi uftir Tufa mäg ſin.

THORCHILLUS LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM TUFÆ SOCII SUI.

ᚦᚢᚱᚴᛁᛚ Thorchillum verti, ᚦ enim valorem habet Th, præſertim qvando punctatum. In vetuſtioribus verò, licet puncto careat, promiſcuè & D & Th exprimit. Tertia litera obſcurior erat in Monumento: qvi deſcri-

pſit Ꝥ poſuit, ego R legendum cenſeo. Freqventius certè nomen Thurkil qvàm Dudkil.

ᛋᛏᛸ In hac dictione ultima litera compoſita videtur ex ᚼ & ᚴ.

ᛘᛆᚵ: *Maag* olim ſocium, comitem & amicum notat, jam verò conjugem, ut ette Mage/ vel æqvalem aut ejusdem generis; Sic dicimus: De to ere Mage.

Signum crucis ut & manus effigiem, demum ſaxo impreſſa arbitror, ut limitis, aut alterius rei eſſet indicium; majorem enim hoc Monumentum ſapit antiqvitatem, qvam ut Chriſtianis adſcribi poſsit.

Lib. 5. pag. 298.

Virgulam eroticam à nobis dictam, citat Reverendus & clariſsimus vir Dominus Jacobus Philippus Thomaſinus Æmonienſis Epiſcopus, in erudito ſuo de Teſſeris hoſpitalitatis tractatu cap. 18. Qvem ubi mihi obtuliſſet ac Patavio ad me huc transmiſiſſet eruditiſsimus noſter Johannes Rhodius, occaſionem ſumpſi in ejus ſenſum ulterius inqvirendi. Conſului igitur apud nos commorantes Iſlandos, qvi hæc mihi exhibuerunt.

Teſſeram ſev bacillum Runicis literis exaratum veteres vocarunt RUNAKEBLE, id eſt Cabalam Runicam, qvâ Epiſtolæ loco, haud infreqventer uti ſolebant, ut hic factum videtur.

In hujus autem enodatione initium fieri debet ab extremitatum altera in qva hæc occurrit nota ᚴ, qvæ æqvipollet literæ N Latinorum, & *Naud* vocatur, neceſsitatem, triſticiam, aut dolorem indicans. Cui reſpondet in oppoſita extremitate, alia in hunc modum expreſſa ᛆ, Latinis A, Priſcis *Aär* dicta, in Trideilur *Gumnà gaman*, humana jucunditas. Vel ſi non ᛆ ſed Ħ legendum ſit, idem denotabit, Nam Ħ ſeu *Tr*, ibidem exponitur *viter grænſt, vyda Lynſol*, id eſt amœnus ramus & aulæum pictum. Quocirca cum hæc duo in duabus opponantur Teſſeræ extremitatibus oppoſitis, iis indicare volebat auctor, neceſsitatem & dolorem unius, expetere amorem

& ju-

& jucunditatem alterius. (Nota verò haſce duas notas omiſſas eſſe in delineatione qvam nobis exhibuit Tomaſinus.)

Initium legendi ſumendum eſſe videtur ab eo latere, in qvo reperitur hæc nota ⟵ᛒ, qvæ nomen amatæ complecti videtur; & certè literas omnes qvæ nomen *Botild* exprimunt, hinc non difficulter qvis eruerit. Hinc ſeqvuntur:

Bᚢ ᛘᛆᚠᚱ ᚢᛆᛏ· Primas duas literas, vel junctim vel ſeparatim legere licet. Junctim By vel Boe conſtituunt; qvæ locum, habitationem aut domicilium notant. Separatim B nomen forſan proprium *Biornonis*, ᚢ verò *Ulfonis* indicabit, ut ſit amantis nomen. ᛘᛆᚠᚱ nomen. ᚢᛁᛏ novit.

Seqvens latus hæc tenet: ᛁᚱᚦᛆ, Quas literas arbitror ſpectare ad ultimas præcedentis, ut legendum ſit ᚢᛁᛏᛆᚱᚦᛁ unica voce, id eſt noſcens, ſev ſciens, qvaſi diceret: Tu qvi ſcis & cognoſcis nomina noſtra ex appoſitis ſignis. ᛚᛆᚱ ᚦᚢ ᛘ·. ᛚᛆᚱ *Lan*, id eſt commoda, mutua, ᚦᚢ *Tu*; ᛘ· Runicè exponitur *Madur*; qvocirca & ſæpè ſola hæc litera pro tota ponitur voce, qvæ virum notat. Vult igitur dicere: *Da tu vir*.

Tertium latus hæc habet: ᛆᚠ ᚦᛁᚱᚴᛁᛋᛆᛏᛚ, Ex memoriali hoc ligno. *Thencke* vel *þenke* eſt cogito, reminiſcor, ᛋᛆᛏᛚ ſedem vel locum, cui aliqvid impoſitum exprimit. Hanc igitur teſſeram vocare videtur ſedem memorialem, qvod uſum hunc habeat, ut in memoriam Amici revocet affectum Amicæ. Nota qvæ ſeqvitur, & ei aſsimilatur qva ſulphur exprimunt Chymici, ignota eſt, ni ſit ſymbolum aut character ejus, qvæ hæc exaravit.

Ultimo hæc exhibentur: ᛦᛆᛁᚱᛁᛋᛏᛆ ᛘᛆᛚᛁ, dilectiſsimæ virgini. Litera ᛆ, A craſſum aut longum qvandoq; notat, qvandoq; Æ, idcirco non poſſum aliter accipere, qvam qvod cum ſeqventi ejusdem figuræ conſtituat Diphthongum Æ aut AI, qvæ olim in hac voce fuit uſurpata. Scribere enim ſolebant **Kæraſti**/ non ut jam

Kiere

Kiereſte. In Dativo autem hic ponitur *Kæraſta Mäne*. *Män* qvidem olim virgo fuit appellata, ut videre licet in Havamalum, Gróttuſong, Edda, &c. *Vio erum Froda Fridleifs Sonar, mätkar möjar ad mane hafdar*. Id eſt: Nos ſumus Frodæ Fridlevi filiæ, fortes virgines pro puellis habitæ. *Man* propriè mollem puellam ſignificat in Dativo *Mäne*. Si hic intellgendus eſſet vir, per duplex ᚴ ſcribendum foret *Manne*.

Senſus igitur Teſſeræ hic ſit:

AH N. N. NOMEN COGNOSCENS N. MEUM DA TU VIR PER MEMORIALEM HANC TESSERAM CHARISSIMÆ PUELLÆ JUCUNDUM AMOREM.

Lib. 5. pag. 302.

HIERMINDANUM ALTERUM.

Ab Hiermindano primo, vix mille paſſus diſtat alterum, qvod anno MDCXLIII inventum ab Agricola, qvi vomerem arando in illud impegit, ſiqvidem terra obrutum multis annis. In editiori ſitum loco, ut prius. Duas ulnas æqvat longitudine, unam latitudine. Hujus fermè figuræ.



ᛏᚢᚠᛦ:

ᛏᚢᚠᛆ: ᚱᛁᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛁᚿ: ᚦᛁᚿᛋᛁ: ᛁᚠᛏᛁᛦ: ᛏᚢᛋᛏᛆ: ᛋᚢᚿ: ᛋᛁᚿ: ᚼᛁᚱᚦᚴ: ᛏᚱᚢᚴ.

Tufa riſdi ſtin denſi iftir Tuſta ſun ſin, hirgn trug.

TUFA LAPIDEM HUNC POSUIT TUSTÆ FILIO SUO DIIS FIDO.

Inſcriptio ab imo ad ſummum aſcendit, dein recurrit ad imum, mox inde rurſus aſcendit & in apice terminatur, omnia clara & perſpicua, præter ultimum votum, qvod inverſis literis exaratum, ut peculiarem eo contineri ſenſum declaret. Eſt & hoc peculiare, qvod per Syncopem literas qvasdam elidat, vel ob ſpatii anguſtiam vel aliis de cauſis. Pro eo enim qvod ponit ᚼᛁᚱᚦᚴ, legendum arbitror, ut in primo Hiermindano ᚼᛁᚱᚦᛏ ᚴᚢᚦᛆᚴ, & in aliis ſupra citatis, cujus formulæ explicationem vide ſis lib. 3 Monum. 8. ut & 11 ejusdem libri. Hoc præterea hic occurrit; ſuſpicari poſſe qvempiam eos, qvi hac formulâ exornata reportarunt Epitaphia, ſicca morte, ut ille ait, ſeu morbis extinctos in lectulo fuiſſe, atqve ita à Diis, ut volebant, abreptos. Alios verò in qvorum Monumentis hæc non leguntur, aut bello, aut aliis caſibus periiſſe. Sed judicium ſit penes lectores.

Lib. 5. pag 357. Lin. ult.

Cometas forma cornu qvandoqve effulſiſſe, literis conſignatum accepimus. Anno enim qvo Græciam Xerxes decies centenis millibus invaſit, obvia qvævis vaſtans atq; diripiens, Cometen cornu figura viſum tradit Cornel. Gemma Coſmocrit. lib. 1. cap. 8.

Lib. 5. pag. 363. Lin. 19.

Adductorum verſuum auctorem, Drepanium fuiſſe exiſtimat Carolus Paſchalius de Coronis lib. 10. cap. 4. Unde verò irrepſerit error iſte, qvod Pictores vulgo Moſem pingant Cornutum, doctè oſtendit Gaffarella in tractatu qvem vocat Curioſitez inovyes. cap. 4. *Qve povvoit on,* inqvit, *concevoir de plus crotesqve, apres n'avoir compris*

qve le mot קרן *Keren eſtoit eqvivoqve à corne & à lueur, ou ſplendeur, qve de deſpeindre Moiſe avec des cornes; qvi ſert d'eſtonnement à la plus part des Chreſtiens, & de riſee aux Juifs & Arabes.* Id eſt: Sed qvid abſurdius excogitari potuit, qvam cum ignorarent vocem קרן Keren æqvivocam eſſe, tam cornu qvam lumen & ſplendorem denotantem, Moſen cornutum pinxerunt, ut magnæ parti Chriſtianorum terrorem incuterent, Judæis verò & Arabibus riſum moverent.

Pag. 366. Lin. 10.

Hujus iconem vide apud Ulyſſem Aldrovandum de Monſtris pag. 127.

Pag. 379. Lin. 21.

Quod & Virgilius docet Ecloga X.

Libet Partho torqvere Cydonia cornu
Spicula —.

Et in Ciri, ſive ſit Virgilius ipſe, ſive alius.

Gnoſsia Naupacto contentus ſpicula cornu.

Talibus arcubus Finni ac Lappi jam utuntur, qvorum ſpecimina in noſtro extant Muſæo.

Pag. 379. Lin. 10.

Adſtipulatur Livius lib. 9. Decad. 1. Dein, ait, *Concentu tubarum ac cornuum, curſu effuſo in hoſtem feruntur.*

Pag. 383. Lin. ult.

Inter alia de compoſit. Med. per genera cap. 18. hæc habet: *Ego ſane olei libram Romæ vocatam qvam per inciſuras diſtincta cornua metiuntur, ponderavi, qvandoq; diſcere cupiens qvantum gravitatis pondus contineret.*

Pag. 385 Lin. 32.

Regium olim inſigne fuiſſe, colligitur ex iis, qvæ de Aſtarte ſua produnt Phœnicum Theologi apud Euſebium de Præp. Evangel. cap. ultimo, & de Ægyptiis Regibus Diodorus Siculus lib. 1. part. 2. cap. 2.

Pag. 392. Lin. 20.

Quantum verò Urna capiat docet Fannius, cum ait Amphoram capere duas urnas, urnam qvatuor congios, congium ſex ſextarios. Ibid.

Ibidem Lin. 27.

Cujus generis & illa fuiſſe videntur, qvorum meminit Andreas Abbas monaſterii S. Michaelis in vita Otthonis Epiſcopi Bambergenſis cap. 31. ubi inter reliqva qvæ in delubro Stetinenſi conſpiciebantur, refert *Cornua grandia taurorum agreſtium deaurata & gemmis intexta, potibus apta, & cornua cantibus apta.* Quem locum eò lubentius citò, qvod duplicem hunc cornuum uſum probet, & inter cætera pretioſa, repoſita qvoq; fuiſſe cornua hæc, doceat.

Pag. 435. Lin. 15.

Niſi fortè Luſitani Dominum per Dom exprimant. Quod vero ſimile videtur. Sic enim in Procemio Legum Luſitanicarum legitur: *Dom Manuel per grace de Deos Rey &c.*

Pag. 438.

Quia clariſsimus & excellentiſsimus vir, Dn. D. Fortunius Licetus in Academia Patavina Profeſſor eminens, dignatus eſt, non ſolum meam de aureo cornu relationem, ſuo de annulis antiqvis libro, non ſine mei honeſta mentione inſerere; ſed etiam liberè & modeſtè, qvæ in eodem occurrerunt diſcurſu dubia proponere; tanta viri fretus benevolentia, non potui qvin per literas eum ſalutarem, gratias agerem, & ſcrupulos qvi occurebant eximerem. Quæ literæ cum ad hujus negotii illuſtrationem ſpectare videantur, hic qvoq; locum obtinebunt.

Viro Celeberrimo

DN. D. FORTUNIO LICETO,

In Academia Patavina Profeſsori Medico eminenti

S. P.

ERuditiſsimum tuum de Annulis veterum librum, redux ad nos exhibuit Clariſsimus Vir Dn. D. THOMAS BARTHOLINUS, amicus utriq; communis. Eo

autem avidius perlegi, qvod omnia qvæ hactenus abs te profectâ vidi, rarâ & reconditâ eruditione referta animadverterim. Nec me ſpes in aurei hujus voluminis luſtratione fefellit. Quotqvot enim in hoc genere vidi Autores, tantum ſuperare mihi videris, qvantum lenta ſolent inter viburna Cupreſsi. In primis verò animum exhilaravit cap. xxxvi, in qvo, non ſolum (contra invidorum qvorundam rictus) aureum noſtrum in Dania inventum Cornu, tanti æſtimas, ut dignum judices in qvo bonas horas loces; ſed etiam facto ipſo, ingenioſiſsimè & nervoſiſsimè id præſtas, ut inter omnes qvi nervos ingenii in eo enodando intenderunt, emineas, ac palmam facilè referas. Mei verò qvod ſæpiùs mentionem facias honorificam, eſt qvod gratus agnoſcam, & ad mutuum amorem & benevolentiam obligatum me profitear. Non diſplicent ingenioſiſsimæ tuæ de Hieroglyphicis conjecturæ, nec multum à meis abludunt meditationibus; qvod lætus vidi, atq; eo nomine nobis totiq; patriæ gratulor. In levioribus qvibusdam diverſum ſi ſtatuamus, ea tanti non ſunt, ut aut commune humanitatis rumpant vinculum, aut contentionum inter nos moveant turbas. Æqvo tamen animo Humanitatem Tuam laturam confido, ſi de qvibusdam monuero qvæ animadverti commodè non potuerint, niſi ab eo qvi ipſum cornu manibus triverit, & in eo luſtrando curam adhibuerit diligentiorem. Circuli tertii Emblema primum, qvo exhibetur homo alterum mactans, ſive explicetur per priſcum ritum noſtratium, plagam Aqvilinam hoſtibꝰ inferentium, ut vult Saxò noſter; ſive per modum qvò Cimbricæ vates Sacrificia peregerunt, ex mente Strabonis, non multum refert. Quamvis locum à Te ex Strabone adductum, cum hac imagine dum confero, non minores difficultates pati is videatur, qvàm ea qvæ nos ex Saxone produximus. Ita verò Strabo lib. 7: Εθος δὲ τῶν Κίμβρων διηγοῦνται τοιοῦτον, ὅτι ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συστρατευούσαις, παρηκολούθουν προμάντεις ἱέρειαι πολιότριχες, λευχείμονες, καρπασίνας ἐφαπτίδας ἐπιπε-

πορ-

πόρπημέναι· ζῶμα χαλκοῦν ἔχουσαι, γυμνόποδες· τοῖς οὖν αἰχμαλώτοις διὰ τοῦ στρατοπέδου συνήντων ξιφήρεις. Καταστέψασαι δ' αὐτοὺς ἦγον ἐπὶ κρατῆρα χαλκοῦν ὅσον ἀμφορέων εἴκοσι· εἶχον δὲ ἀναβάθραν, ἣν ἀναβᾶσα ὑπερπετὴς τοῦ λέβητος, ἐλαιμοτόμει ἕκαστον μετεωρισθέντα· ἐκ δὲ τοῦ προχεομένου αἵματος εἰς τὸν κρατῆρα, μαντείαν τινὰ ἐποιοῦντο &c. Strabo fœminas haſce vocat divinationis peritas & Sacerdotes, *προμάντεις* eſt in Græco, vates vocant qvidam, qvia ut paulò poſt loqvitur, *μαντείαν τινὰ ἐποιοῦντο*: non igitur aſſeqvor, qvare à Te appellentur mulieres Danicæ incantatrices & veneficæ, niſi exiſtimes omnes Ethnicorum ſacerdotes & vates tam maſculini qvam ſeqvioris ſexus, veneficiis ſacra ſua peregiſſe. Quin harum habitum à Strabone delineatum ſi expendamus, nec hic cum icone qvadrare videtur. *Πολιότριχες*, inqvit Strabo; at noſter ſev noſtra, ſi ita lubet, vix capillorum oſtentat rudimenta, tantum abeſt ut longos mulierum cirros exhibeat. Vatibus iſtis veſtis alba: hic noſter nudus planè; unde nec linteis è carbaſo, ſubter tunicam fibulis nexis, nec Zonâ ullâ aheneâ indiget. Pedes qvidem nudi, cum totum corpus tale ſit. Hæc de habitu. Perpende jam, Vir Clariſsime, ſacrificandi ritum, cum inſtrumentis neceſſariis & modo ipſo, nihil horum tuæ opinioni favere mihi videtur. Ubi hic Crateris veſtigia, ad qvem captivus protrahebatur? ubi pulpitum qvod agiliter ſcandere ſolet ſacrificatura? ubi Lebis? ubi Crater ſangvini excipiendo deſtinatus? Modum aſpice: non in ſublimi tollitur jugulandus noſter: ſed decumbit ſupinus. Jugulabatur captivus juxta Strabonem; noſter vulneribus qvatuor abdomini inflictis (ſi præcisè omnia examinanda) mortem ſubit. Si ultima verba huc ſaltem ſpectare putas, cur pluribus vulneribus ſcinditur venter? cur inteſtina in conſpectum non protrahuntur? qvorum ſpeculatio maximè neceſſaria erat. Sed hiſce non immorabor, cum exiſtimem in tantis antiqvitatum tenebris omnia tam accuratè examinari non debere. Hoc verò non poſſum

non monere, qvod pag. 165, ubi fabricam cornu percurris; tredecim numeres in eo annulos, qvod & pagina 185 innuere videris, contra ocularem demonſtrationem toties à me factam. Deceptum te arbitror internodiorum numero, qvæ circulorum non conſtituunt numerum. Ultimi enim duo minores anuli, qvos qvatuor putas, diſcreti non ſunt, ſed qvilibet eorum bina obtinet internodia. Hinc non me, ſed te in numero horum anulorum hallucinatum eſſe vides. Unde non miror in aliis qvoq; fabricam hujus cornu ſpectantibus erratum eſſe, cum plus Glyptæ imperitiæ, qvam fideli meæ tributum ſit relationi. Optaſſem virum excellentiſsimum, toties aureum iſtud cornu manibus ſuis triviſſe, qvoties ego, qvi minutiſsima ejus momenta ſtudio haud levi ſum rimatus, de qvibusdam qvin longè aliter judicaſſet, non dubito. Animadvertiſſes qvoq;, ſine dubio, qvid cauſæ fuerit, qvod duplicis crucis figuram & terna puncta qvater (qvinqvies volebas dicere, ut infra) in ſexto annulo formata omiſerim, ut p. 174 conqvereris. Hæc enim omnia ad figuras ſignificativas (ut ita loqvar) hujus cornu non ſpectant. Nam nec punctulis conſtant laminæ impreſsis, nec anaglypticè eminent, ut reliqva. Sed foramina ſunt hujus figuræ, exteriorem laminam penetrantia, qvod aliter adumbrare Glyptes non potuit qvam nigro colore, qvo umbroſas corporum partes exprimere ſolent pictores. Nihil igitur denotare poſſunt ſimile reliqvis; ſed uſum aliqvem habuiſſe mihi perſvadeo. Sereniſsimus Princeps noſter CHRISTIANUS V. qvi jam Cornu illud poſsidet, hiſce foraminibus gemmas ad ornatum inſertas fuiſſe exiſtimat, conjecturâ probabili. Ligamenta & lora hiſce aptari potuiſſe, qvibus cornu collo aut humeris geſtantis alligabatur, dicere qvis poſſet. Sed nihil certi hac in re ſtatuo, cum arbitrer nodos & articulos, anulos diſtingventes, huic muneri abundè ſufficere potuiſſe. Qvamvis verò ex hiſce foraminibus duo illa majora in qvibus lineæ decuſſatim ſe ſecant, figurâ cruces referant; hoc tamen voluiſſe artificem, mihi perſvadere

non

non valeo: anaglypticè enim aut punctatim id præſtitiſſet potius, ut reliqvis figuris hæc eſſet conformis; qvam circulum perforando. Ejusdem cenſus eſt & foramen; qvod literam vocas Pythagoricam; qvæ tam aliena eſt à noſtra Literatura; qvam Pythagoras ipſe à Runis. Mirari igitur deſinat Vir Clariſs: ſi ego *αὐτόπτης* ea hic obſervaverim; qvæ commodè in tabella exprimi neqviverint; qvæq; alii ex Schematiſmo haud rectè colligunt. Quod pagina 176 probate allaboras, Cornu aureum in hunc ſolum uſum fabricatum; ut eo præſidum vigilantiam tentaret Rex, qvicunq; tandem is fuerit (Nam de Haraldo id non memorant Hiſtoriæ noſtræ) eo nomine, *qvod Regi nullius fuerit labor cornu artificiosè fieri mandare, qvodqve alia figura, eadem carere non potuerit objectione; qvodqve rudis maſſa facilius occultari poßit à fure, qvam cornu tam magnum miro artificio conditum.* Non video qva ratione hinc ſeqvatur, in nullum alium uſum fabricatum illud fuiſſe qvam qvod eo præſidum vigilantiam exploraverit Rex. Rem juſta lance ſi ponderaveris; videbis armillas fabricatas ut brachia cingant: annulos, ut digitos; cornua ut inflentur: ſed biviis expoſita hæc, fidem hominum iis ut tentarent. Si Rex annulum ſuum qvem digitis geſtabat expoſuiſſet ad præſidum vigilantiam tentandam, an idcirco qvis ritè inde collegiſſet non alio fine fabrefactum fuiſſe? cum tamen manifeſto conſtaret, Regem hunc elaborari curaſſe, digitum ut ornaret, atq; hoc officium per aliqvot annos ſuſtinuiſſe potuit, anteqvam in ſecundarium iſtum uſum traduceretur. Si inter finem fabricationis & finem expoſitionis diſtinxerimus, veritas erit in propatulo. Mirum Tibi vir clariſs: & difficile creditu non eſſet, *aureum cornu Danicum adeò magnum, adeò grave fabrefactum fuiſſe ad uſum litui buccinæve; ſeu venatoriæ, ſeu bellicæ:* ſi alia ejus generis apud nos extantia majora & ponderoſiora ex ære vidiſſes. Arhuſiæ in patria mea, unum extitit æreum, qvod, me puero, ad ſuos uſus traduxerunt Muſici, qvod ſive pondus ſive magnitudinem ſpe-

ctes,

ctes, aureo hoc erat duplo majus, alibi apud nos plura ſunt ejus generis. Tuba, eximia arte ſculptili, ex ebore fabrefacta qvam dono Magnifici Dn. Cancellarii Dn. Christiani Thomæi Scheſted teneo, librarum eſt ſex, longitudine pedum duorum, unciarum trium. Quæ in Florentino conſpiciuntur Gazophilacio, ni me fallat ratiocinatio, parum pondere & longitudine ab hoc differt. Is qvi in noſtris non eſt verſatus antiqvitatibus, & fragmenta ac rudera variarum rerum adhuc extantia non viderit, multa eorum veri ſpeciem non habere exiſtimabit. Exterorum ejus generis luſtra Cornua, qvantum Rolandi fuiſſe exiſtimas, *Olivant* dictum, de qvo diſſeruimus Monument. Danic. lib. V? Quantum Alexandri Magni qvo totum exercitum diſperſum colligere valuit, cujus diameter qvinq; fuit cubitorum, ut de eo doctè diſſerit Athanaſius Kircherus lib. 2. Artis magnæ lucis & umbræ parte 1. c. 7. ubi ex profeſſo de eo agit. Nec refert *anſulis deſtitutum qvod fuerit noſtrum cornu ut ſic aſſiduè manu geſtari neceſſum ſit, ac ſic inter dimicandum venandumq; non exiguo foret impedimento.* Caruit enim anſulis Alexandri Magni cornu, carent & anſulis tubæ bellicæ vulgares, qvæ jam in uſu, nec tamen aſsiduè manibus geſtantur, & qvamvis duplo aut triplo majores ſint noſtro cornu, buccinatoribus tamen in bello nullo ſunt impedimento. Quidni igitur & hoc noſtro cornu contingere poſſe credendum? Quod regeris, vir eximiè, experientiæ & oculari demonſtrationi repugnat. *Ad commiſſuras* ſcilicet *annulorum eminentias non tam extuberare prominereq; videri, ut lora facilè diſcurrere non permiſerint.* Cui hic jam credendum, Domino Liceto, qvi cornu illud aureum nunqvam vidit, ſed ex icone ſaltem rem æſtimat; an mihi, qvi toties manibus illud tractavi, & minutiſsimos apices non ſemel magnâ curâ ſum rimatus, candido cenſori æſtimandum relinqvo. Quod pagina ſeqventi 177. conqvereris, me præteriiſſe punctatas imagines qvæ annulo primo proponuntur, id qvo jure fiat, æſtiment illi qvi legerunt ea qvæ de ipſis ſcripſimus

pag. 71

pag. 71. primæ editionis Aurei cornu; & pag. 428 ſecundæ, Monumentis Danicis inſertæ, ubi diſertius, qvid de iis ſentiendum in genere monuimus.. Ego potius jure videor hoc in Te; Vir Clariſs: deſiderare poſſe; qvod figuras & imagines eminentes & principales miſcueris cum punctatis & minus principalibus, qvæ alterius ſunt naturæ & artificii, qvæq; tantam curam reqvirere non videntur. Et miror ego cur non pari ratione explicueris fimbrias triangulares in ſingulis internodiis, cum punctulis etiam conſtent & ejusdem cum reliqvis punctatis ſint cenſûs, qvas à me præteritas arbitraris. Quæreret forſan aliqvis; qvibus indiciis colligat doctiſsimus Licetus, hominem ſiniſtra deſtitutum ſacerdotem eſſe? cum æq; nudus ſit ac reliqvi, nulloq; habitu ſacerdotali præditus; omnesq; qvi hanc imaginem vident, ſatis judicare valeant, non ſtudio, ſed caſu abruptam & demptam ei eſſe ſiniſtram. Tantum refert rem non ex imaginibus, ſed ex ipſius nativa indole & conſtitutione deſcribere. Pagina 183 ſuſpicaris in imaguncula ſexti annuli *non aſpici naſi eminentiam nec oculorum aut oris ulla veſtigia; qvod obliterata fuerint ob auri mollitiem attritione à duritie telluris; in qva diu neglectum jacuit, & compreſsione tum puellæ inventricis cornu; anxiè ſollicitèq; purgantis, tum aurificis; idem juſſu Regis repurgantis.* Hanc ſuſpicionem facilè Tibi exemiſſet ipſa repurgati cornu conſtitutio, ſi vidiſſes. Quin tecum cogita, qvi fieri potuiſſet, ut tantum huic uni figuræ politurâ deceſsiſſet, reliqvis minoribus ſalvis? ſi tantum auri proportionaliter, omnibus icunculis fuiſſet abraſum; plus profectò in pondere fuiſſet deſideratum, nec imagines & figuræ reliqvæ, tam exactè ſuis lineamentis, qvod debebant repræſentarent. In numero annulorum qvod pag. ſeqventi erratum ſit, ex ſupra dictis patet. Non enim ſex ſunt minores, ſed qvatuor; extremis duobus peculiari artificio duplicatis. Sed Tibi Vir Clariſsime; hæc aliaq; minutiora condonanda, qvæ non ex icone peti poterant, ſed re ipsâ; & meâ relatione, cui fides omnino debetur. Optarem

iterum, manibus & oculis ipſum aureum cornu uſurpare ut poſſes: qvin de qvibusdam longe aliter pronuntiaturus eſſes non dubitarem. Usq; dum hoc detur, mihi oculato teſti crede & favere perge. Vale Hafniæ V Kal. Decemb. Anni cIↄ Iↄ CXLVI. T.

OLAUS WORM D.
Med. Prof. Regius.

Huic, annectere non incongruum, elegans Elogium Dn. Pighetti, qvod Epiſtolæ ſuæ ad me inſeruit Reverendus vir Dn9. F. Angelicus Aproſius Vintimiglia in lib. dicto La Sferza Poëticà cap. 11, edito Venetiis Anno cIↄ Iↄ CXLIII.

SPECTATOR,
AUREUM QVOD CERNIS CORNU
MIRIS DITATUM HIEROGLYPHICIS,
MARTIS OLIM
BUCCINA FUI,
CANENSQVE CLASSICUM
MORTALES
AD ARMA, AD CLADES INFLAMMABAM.
NUNC DICATUS BROMIO CYATHUS
REGIAS AD MENSAS EXHILARANDAS
OMINE FAUSTO
TRANSLATUS SUM.
INTUS MERO REPLETUS
IN MORTALIUM PECTORA
PACEM HILARITATEMQ;
DEMITTO.
FORIS VETUSTIS EXORNATUS IMAGINIBUS
AUREA DOCTISSIMI
OLAI WORMII
DISSERTATIONE
ANIMATIS,
PENITIORIS ERUDITIONIS SITIM
ETIAM EXTINGVO.
UNA (MIHI CREDAS)
FELICIOR MANET
SORS;
FAMÆ TANDEM
BUCCINA
FIAM,
UT
CHRISTIANI V.
DANIÆ AC NORVEGIÆ
PRINCIPIS INCLYTI

FER-

FERREA HAC ÆTATE SUIS IN
REGIONIBUS
AUREI SECULI
RESTITUTORIS
DOMINI MEI AUGUSTI
GLORIOSA POSSIM
CANERE
FACINORA
ABI LÆTUS.

Lib. 5. Pag. 449. Lin. 19.

Forſan in Monumento hoc Landerupenſi ſecundo, pro H legendum G, pro HUD, GUD, ut ſit NADE HUS GUD, ut in prima ſerie pro AIE, GIE. In nota Trithemiana deſideratur ſaltim linea transverſa ſiniſtra, circulo apponenda. Pari modo ſi pro ON legas OC, completo circulo cum transverſali, omnia erunt clariora, & hic emergit ſenſus manifeſtiſſimus. GUD GIE KONGEN DEN IIII CHRESTEAN OC HANS DRONNING ANNA KATRINA NADE HUS GUD.

DEUS DET REGI IIII CHRISTIANO ET REGINÆ ANNÆ CATHARINÆ GRATIAM APUD DEUM. Lib. VI. pag 489.

DE TEMPLO MIRABILI.

Tandem ex qvodam qvi diligentius templum hoc ſubterraneum perluſtravit, intellexi illud longitudine eſſe pedum 67, latitudine 24, pari fermè altitudine.

Romæ templum fuit ſubterraneum Conſi, & ſubterraneæ Ditis aræ; imò veteres Diis inferis ſcrobes ſubterraneas & Nymphis antra effodiſſe legimus.

Aſt qvid miramur templum ſubterraneum? cum teſte Agricola libro de ſubterraneis Animantibus, in Alpib⁹ Corolum, arx conſpiciatur ſubterranea, in qvam, nec eqvites nec pedites poſſunt aſcendere, ſed cum homines, tum omnia ad vivendum neceſſaria ad ipſam attrahuntur. Quinimò in Sedunis in tractu Sittenſi ad Bremiſam pagum extare ait Cœnobium ex rupe exciſa, ſine ullis ſignis & trabibus ligneis formatum. Hoc eſt templum, cubiculo, conclave, culina, cella vinaria. In Saxonia inter Blankebur-

gum & Halberſtadium Arx eſt Reineſtenum dicta, in ſaxo inciſa, continens hypocauſta, conclavia, ſcamna, ſtabula, præſepia, januas, feneſtras, templum teſtudinis figura, pila media rotunda inſigne, licet cætera ſint qvadrata.

In Turingia qvoq; inter Vimariam & Blanchenheinam propè Mellingum pagum, ſimilis fermè templo excepto. De qvibus hoc circumfertur Ænigma.

Dic qvibus in terris arx alto condita monte
Mille ubi per tectum poſſunt errare bidentes.

Conſule ipſum Agricolam de pluribus.

Pag. 492.

ᚴᛅᛚᚠᛒᛁᚬᚱᚿ Melius & priſcis appellationibus magis congrue à Kalf vel Kalfr & Biórn, qvæ utraq; propria ſunt. Kalfur dictus eſt nobilis qvidam aulicus, Olai Craſsi Regis Norvegiæ, qvi in pugna Stikelſtadenſi factus eſt Regis ac Domini ſui parricida, teſtante Hiſtoria Norvagica. Sic uſitatum eſt Kolbiorn à Kolur proprio & Biorn.

Lib. VI Monum. XIII. Pag. 506.

Prælo typographico præmimus]. Hunc morem nomina ſua ejusmodi dentibus ſive vario atramenti genere inſcribendi, ſive ferro incidendi veteribus in ſeptentrione freqventem fuiſſe, vel ex eo colligere licet, qvod Unicornu qvod Ultrajecti in Belgio viſitur, literis Runicis hoc nomen ᛌᚢᚽᚱᚱᛁ inſculptum oſtentet. Sverri autem nomen fuit proprium XXV Regis Norvagiæ, qvi imperavit circa annum Chriſti MCLXXX, cujus hiſtoriam deſcriptam vide in Chronico Norvagico lingva vernacula à me edito anno MDCXXXIII. Hujus autem Regis cornu illud fuiſſe arbitror, eo qvod nomen ejus talibus literis qvæ tum apud Norvegos & nos in uſu fuerunt, inſculptum poſsideat. An inter Κειμήλια Magni Regis, qvæ Sverro occupavit dum eum Bergis ex improviſo adortus in fugam conjecit, occupatis omnibus ejus Regalibus, extiterit, ut docet Chron. Norv. pag. 414. diſqvirendum relinqvo. Quo pacto Ultrajectum devenerit dicere neqveo: Relatio illa de Henrico imperatore mihi valde ſuſpecta. Dens eſt Balenæ,

qvæ

qvæ in Septentrione in freto Davis capitur, nomen Regis Norvagici, literis Norvagicis inſcriptum obtinet, ex Norvegia igitur delatum arbitror.

Pag. 513.

ᛋᛏᛂᚿ ᚦᚢᚱᛁ· Monuit me clariſs: Dn. Arngrimus p.m. talia nomina propria compoſita, non commodè reſolvi in proprium & appellativum, ſed ſemper ex duobus propriis conſtare. Unde *Bergthor* ex propriis *Bergur* & *Thor* rectiſsimè trahitur, ut & inverſum ejus *Thorbergur*. Sic *Steinthor* & *Thorſtein*, qvorum utrumq; proprium eſt.

ᛋᚴᛅᛚᛐ· De nomine *Skalt*, qvod rectiſsimè per duplex L in medio & D in fine ſcribendum volunt accuratiores priſcæ lingvæ Critici, hoc tenendum, qvod à verbo *Ad ſkiælda*, qvod Poëticè aliqvid ſcribere denotat, derivetur, unde non rectè aut alterum L omittitur, aut T in fine pro D ponitur. Runis verò qvi literas ſaxis mandabant condonandum, ſi qvando in his & aliis exorbitaverint, ut in hoc Monumento factum. Orthographiam verò dictam comprobant vetuſtiſsima MSS. & lex Metrica de conſonantiis ſyllabarum, ut in illo:

ᛋᚴᛅᛚᛚᚦ ᛂᚱ ᛂᚠ ᚼᚢᚽᚱᚠᛂ ᚼᛅᛚᚦᛁᚴ,
ᚼᛂᚠᛆ ᛚᛁᛋᛆ ᛂᚠ ᚦᛅ ᛘᛁᛋᛆᛅ. id eſt:

Nemo me pro Scalldro habet
Periit enim mihi ars iſta.

Rhythmus hic eſt qvarta pars, ſive *Fiordungur* Rhythmi, qvem *Sextanmællt* & *Drottqvætt* appellant, & conſtat priore Hemiſtichio *Snidhendú* vel *Snidhending*, poſteriore *Alhendu* vel *Alhending*. Fit verò *Snidhenda* vocali ante conſonantem unam vel geminatam, vel plures ſimul mutata, vel ſaltem ſono differente, ut in præſenti exemplo. A in *Schalld* craſſe pronunciandum, & idem A in *Haldinn* tenue, *Snidhendam* ambo conſtituunt. Quam *Snidhendam*, *Alhenda* vel *Alhendar* lege metrica alternatim ſemper ſeqvitur, ubi vocalis nec mutatur, nec ſono differt ante conſonantem unam vel plures. Jam ſi *Skalt* pro *Skalld* ſcribatur, aut pronuncietur, manifeſtum eſt, non easdem conſo-

nantes vocalem utrobiq; ſeqvi, & peccatum in Rhythmorum leges committi. Eſt autem *Skalld* nomen neutrius generis, ut apud Latinos *Mancipium*, qvod ita declinant [ut exemplum priſcæ declinationis habeas.] Singul. N. *Skalld.* G. *Skallds* vel *Skalldſins.* D. *Skallde* vel *Skalldenu.* A. *Skalld* vel *Skalldit.* Abl. *Skallde* vel *Skalldinu.* Pluraliter N. *Skalld* vel *Skalldin.* G. *Skallda* vel *Skalldana.* D. & Abl. *Skalldum* vel *Skalldunum.* Ac. *Skalld* vel *Skalldinu.*

Pag. 521. MONUM. I.

ᚱᛁᚦᛁᚱ. Orate notat hoc in loco, alioqvin ᛅᛐ ᚱᛁᚦᛁ, ligare & nectere ſignificat, ut cum nodum nectimus in ligamine aliqvo. Qvod etiam huc qvadrat. Vult enim Orationem Dominicam non ſemel ac iterum recitandam, ſed pluries & inſtantius devotè. Alias qvoq; in priſca lingva obtinet ſignificationes, qvæ huc transferri poſſunt.

Pag. ead. MON. II.

Hujus Monumenti ſenſus & hic eſſe poteſt: ROGO PROPTER DEUM, UT ALII VIRI DOCTI QVI HUIC LOCO FUERINT CUSTODES ORDINATI, ET OMNES QVI POSSUNT ASSEQVI PETITIONEM MEAM, UT MEMINERINT ANIMÆ MEÆ IN SANCTIS SUIS PRECIBUS. NOMEN MIHI ERAT GUNNERI, ET DOMUM HANC FABRICAVI. VALETE.

ᚢᛅᚱᚦ-ᚢᛁᛁᛐᛅ Verbum compoſitum à *Vórdur* i. e. Cuſtodia, & *veita*, hoc eſt exhibere. Hinc *Vardveitſla* & *Vardhald* idem notant, & *Vordur* cuſtodem ipſum. *Vórn*|*Landvórn* Terræ cuſtodia & defenſio, ut ſenſus ſit: Qvi huic loco cuſtodiendo ordinati fuerint.

ᛋᛐᛅᚦ. *Stadur* locus eſt qvando generaliter ſumitur: Sed hîc & alias per excellentiam notat Reſidentiam paſtoralem cum ſacrario domeſtico. Inde libellus de cauſis & controverſiis circa præbendas Eccleſiaſticas, *Stada-maal* Islandis vocatur.

ᚱᛅᚦᛅ ᚴᚢᚿᚢ Intelligere & aſſeqvi. Radan. Infinitivus eſt, à Præſenti *Eg Rad*, intelligo, capio, aſſeqvor conjectura. Hinc *Radgata*, Ænigma, Griphus, qvem conjectando aſſeqvi neceſsū eſt. Innuit procul dubio, ævo eo non omnes de animæ immortalitate ſatis fuiſſe edoctos, ſed ſi qvis conjectura aſſeqvi poſſet mentem ejus, pro Anima orent *Pater noſter.* &c.

Pag. 525. *Galliæ deſcripſerunt*, &c.

Hujus delineationem licet promiſerint qvidam, obtinere tamen eam non licuit, anteqvam huc ad nos appuliſſet illuſtriſsim⁹ Heros DN. Caſparus Coignet Dn⁹. de la THVILLERIE, Baro de Courſon, Chriſtianiſſimo Galliarum Regi à conſiliis ſecretioribus, tum ad regna ſeptentrionalia Legatus extraordinarius, vir de Aqvilonaribus hiſce Regnis optimè meritus. In cujus comitatu

tatu cum eſſet vir eruditiſſimus DN. Iſaacus Peyrerius, mihi familiaris, tantum per amicos in Galliis præſtitit, ut jam qvid huic Monumento ſubſit, liqvido conſtet. Hoc verò ut alios etiam non lateat, lubet ejus ad me Chriſtianopoli datas literas, ac una miſſas Domini du Buiſſon hiſce ſubjungere, ut qvantopere ſæpenumero in talib⁹ hallucinentur, qvi vulgi fidunt relationibus, liqvido cō ſtet.

CLARISSIMO VIRO
DNO. OLAO WORMIO
Iſaacus Peyrerius S. D.

EN accipe humaniſſime Wormi, qvas à me petiiſti literas Gothicas, inſcriptas Pyramidi illi, qvæ eſt in Abbatia de Beaulieu, juxta oppidum de Loches agri Galliarum Turonenſis. Pſeudo-Gothicas comperies, qvas puras putas credidiſti Runicas. Abbatiam illam ex profeſſo petiit amicus noſter, mei ſcilicet, Tui & Bourdelotii noſtri, Dominus du Buiſon, ut pyramidem illam inſpiceret & ſcrutaretur characteres, qvos fideli & erudita manu exſcripſit. Hominem puta non publici ſaporis, qvi ficus ficus novit, & qvas novit ficus, ficus vocat, &c. Chriſtianopoli VII Idus Auguſti, Anni MDCXLV.

De Characteribus Gothicis, qvi ſuperſunt
In Monaſterio Bellilocenſi.

OPpidulum de Belliloco ſitum eſt ad Indum fluviolum, & diſtat per qvingentos paſſus circiter ab oppido Lochis [Gal. Loches] territorii Turonenſis. In illo oppidulo Monaſterium eſt ordinis S. Benedicti conſtructum, dotatumq; à Fulcone Comite Andegavēſi & Turonenſi, qvi ibi in templo, ſub lamina lapidea effigiem ejus etiam lapideam ſuſtinente, condit' eſt anno Chriſti MXLI. Ad clauſtrum Monachorū ſtat conus L. pedes circiter altus, lapidib⁹ in ſqvāmarum formam diſpoſitis, tectus, & columnis octo ſuſtentatus. Illi exterius unica qvidem ſuperficies eſt, in conum, ut dixi, vel ut vulgo loqvuntur in punctum deſinens: ſed interi⁹ paries opere tectorio dealbatus, octo angulis & totidem faciebus, juxta ſitum, numerumq; columnarum diſtingvitur. Andreas Qvercetanus, ſive Cheſneus [Gall. du Cheſne] in libro qvem Gallicè edidit & inſcripſit: Des Antiqvites & Recerches des villes & places de la Frāce, pyramidem vocat, aitq; interius repletam eſſe characteribus, qvos alii Gothicos, alii Gallicos eſſe cenſent, ut pyramidem pro Cono; ſic Gothicos characteres, pro antiqvis, vir in Hiſtoria noſtra magnus nominavit, more vulgi. At Gallicos, id eſt, veterum Gallorum literas proponere, vel recipere non debuit in rebus, qvæ à ſexcentis tantum annis ſunt, nec accedunt ad veterum Gallorum tempora. Hanc clariſſimi Scriptoris narrationem legendo non aſſecutus, locum adire conſtitui, rem ipſam conſpicere volui. Illac igitur delat', inveni turriculam hanc faſtigiatam, conditam fuiſſe

à Ful-

à Fulcone Comite, tanqvam pileum mucronatum labro lapideo; ad Monaſterii uſum facto, & nunc qvoq; ſuperſtiti cooperiendo. Scalis poſtea compoſitis aſcendi, meq; & oculos circumtuli per omnem interiorem cavumq; circuitum, facibus propius ſimul admotis, qvibus opus mihi erat ad perlegendum, qvod inibi ſcriptum fama populari circumferebatur. Characteres qvidem Romanos, ſed ævi ſeqvioris & Barbari agnovi facilè. Gothicos etiam vocari ſcivi, verum ſententias colligere nullo modo potui, ſolis apicibus literarum extantibus, & iis qvidem paſſim & multa ex parte penitus deletis. Unicum de tot lineis reſtabat vocabulum, idq; non ſanum: illud erat DEI: IQVE. Qvod ſic accepi, ut ſi latinum eſſet legendum, eſſet DENIQVE, ſi Gallicum faceres RELIQVE vel RELIQVES, id eſt Reliqvias. Qvod poſtremum magis probavi, tanqvam mentio ibi facta fuerit Reliqviarum, qvas Fundator Fulco Jeruſolymis & Roma ipſa rediens, multas & magnas, ut in libris Monaſterii legitur, ibi condidit atq; dicavit. Hæc tam parva & exilia; opinione vulgi magna & ſpecioſa tot verbis explicare debui, ut dum juſſibus amici noſtri Bourdelotii, clariſſimi viri, acqvieſco, tuæ qvoq; curioſitati, Peyrere doctiſſime, ſatisfaciam, tuumq; Wormium, cujus nomen per te illuſtrius indies apud nos eſt, ne aliorum erroribus ſeducatur, admoneam, meliora, ut ſpero, daturus, ſi melior offeratur occaſio. Lutetiæ Pariſiorum Nonis Juliis, Anno ære Chriſti vulgaris CIƆ IƆCXLV.

Du Buiſſon Aubinay.

ICones Regum Galliarum editæ per Jacobum de Bie, in Hiſtoria Chilperici Regis, mentionem faciunt, inſcriptionis cujusdam in Monumento hujus Regis literis Gothicis extante, ſed ſermone latino in hunc ſenſum CHILPERICUS HOC TEGITUR LAPIDE, ſi qvis horum Characterum exactam nobiſcum communicaret delineationem, rem faceret gratiſſimam.

MONUMENTORUM DANICORUM,

LIBER PRIMUS.

Caput Primum.

Qvid monumentum & cur benè meritis ponatur?

UNiverſæ naturæ curſum diligentiſsimè perſcrutatus Philoſophorum Phœnix Ariſtoteles, nihil reperit *Φυσικώτερον*, nihil æquè Naturæ inſitum, ac Divinitaris & immortalitatis ſtudium. Quod adeò omnibus congenitum, ut quæcunq; tentent, quæcunq; moliantur, eò unicè tendant & dirigantur. Elegans in hanc ſententiam extat locus 2. de Anima Text. 34. *Φυσικώτατον τῶν ἐν τοῖς ζῶσιν ἔργων ὅσα τέλεια καὶ μὴ πηρώματα, ἢ τὴν γένεσιν αὐτόματον ἔχει τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτὸ ζῶον μὲν ζῶον Φυτὸν δὲ Φυτὸν, ἵνα τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ Θείου μετέχωσιν ᾗ δύνανται. Πάντα γὰρ ἐκείνου ὀρέγεται, κἀκείνου ἕνεκα πράττει, ὅσα κατὰ Φύσιν πράττει.* Nec mirum, cum etenim ab æterno & divino principio defluxerint & paulatim defecerint omnia; reſidua Divinitatis & perpetuitatis favilla, non poteſt non tantum calorem accendere, & ad tanti boni poſſeſsionem continuè inflammare. Agunt igitur ejus gratia, quantum poſſunt, ac quantum per naturam datum. Ea quidem quibus in Individuo perenna-

re negatum, ſpecierum propagatione animosè id moliri tentant, alia aliis, ſuæ tamen naturæ congruis & conceſſis mediis.

Inter reliqva homo ipſe, animalium diviniſsimum & præſtantiſsimum, cum præ reliqvis ad divinitatis & æternitatis participationem ſe creatum ac natum, tacito naturæ inſtinctu animadvertat, non ſolum naturaliſsima hac via à Philoſopho monſtrata incedit, ut exoptatam hanc divinitatem & perpetuitatem aſſeqvatur: ſed partìm divini luminis irradiatione, partìm proprio mentis acumine, & alias tentare haud deſinit, qvibus ad hanc metam pervenire, deſiderataq; æternitate perfrui valeat commodiſsimè. Tutiſsima qvidem illa eſt, ut & certiſsima, qvæ cœleſtis ſapientia, ſacrarum literarum paginis compræhenſa monſtrat, qvà per veram in Mediatorem fidem, & (qvæ indè pullulat) vitam Chriſtiano homine dignam eò tendimus. Minùs verò tuta, imò infida, lubrica, grata tamen mortalibus, nec ob inſignem in vita communi uſum penitùs repudianda, qvam ſibi excogitarunt ii, qvos recti & honeſti ardor ad arduum virtutis & honeſtatis culmen evexit.

Hæc illa eſt qvâ benè meritis in memoriam Juſtitiæ adminiſtratæ, fortitudine & prudētia defenſæ patriæ, aliorumq; præclarorum facinorum; arte & operâ humanâ in his terris qvædam ponuntur Indicia, qvibus eorum memoria ab oblivionis eripitur violentia, aliiq; ad virtutis iter ſtrenuè calcandum incitantur & animantur. Non enim fruſtrà in Ajace exclamat Euripides:

Φεῦ τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
Χάρις διαῤῥεῖ καὶ προδοῦς ἁλίσκεται.

Hæcce Indicia cōmodo ſatis vocabulo Græci *Κενοτάφια* Romani MONUMENTA dixere, eò quod præſentes de præteritis admoneāt, ac poſteris majorum præclarè geſta in memoriam revocēt. Qvod eloquentiæ parens ad Cæſarem pulchrè hiſce expreſsit: *Sed ego quæ monumenti ratio ſit, nomine ipſo admoneor, ad memoriam magis ſpectare debere poſteritatis, quam ad præſentis temporis*

poris gratiam. In eundem ſenſum Varro de Lingua Latin. lib. 5. *Monere à memoria dictum, quod is qui monet proinde ſit ac memoria. Sic monumenta quæ in ſepulchris, & ideo ſecundum viam, quo prætereuntes admoneant & ſe fuiſſe & illos eſſe mortales.* Et Florentinus Jurisconſ. lib. 7. Inſtit: *Monumentum generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita, in qua ſi corpus vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulcrum.*

Cum verò varia ſint quæ geſtorum ſeriem in memoriam nobis revocare valeant, Delubra ſcilicet, Aræ, Sepulcra, Tituli, Fora, Obeliſci, Statuæ, Templa ejusq; generis infinita; hinc factum ut monumenti vox ad omnia hæc exprimenda ſit traducta. Vel Feſto ſuffragante, cum ait: *Monumentum eſt quod mortui cauſa ædificatum eſt, & quicquid in memoriam alicujus factum eſt, ut fana, porticus, ſcripta & carmina.* Quæ tamen non ſolùm pro diverſitate gentium & nationum variis modis varioqvè opere ſunt fabricata & exſtructa: ſed etiam in uno eodemq; terræ tractu, pro temporis & circumſtantiarum varietate; materiæ, figuræ, apparatus & magnificentiæ diverſitatem ſortita.

De his cum certatìm à multis actum videam, & tamen ea qvæ Monumentorum in Dania exſtructorum concernant rationes, planè prætermiſſa, non nullius precii operam me facturum confido, ſi ea qvæ in hoc genere, vel literis à noſtratibus aut exteris conſignata reperi, vel fide digna relatione & *αὐτοψία* comprobata vidi, in medium, tempore & ulteriori experientiâ elimanda produxero, conatum hunc favorem apud bonos & candidos inventurum confidens.

Caput Secundum.

De variis antiqvorum monumentorum in Dania extantium generibus.

PRiusqvam de Monumentis patriæ noſtræ antiqvis diſſerere aggredior, ingenue proteſtor, neqvaqvam mihi in

animo eſſe, omnia ea qvæ ſub monumenti titulo compræhendi poſſunt, & apud nos reperiuntur, delineando proſeqvi, ſed principalia ſaltìm, & ea qvæ curioſum inveſtigatorem vel raritatis, vel majeſtatis, vel antiquitatis ſingularis nomine allicere poſſunt.

Horum rudera adhuc apud nos extantia dum accuratius perluſtro, non omnia ejusdem generis fuiſſe comperio. Materiam namq; ex qva fabricata conſiderans, vel terrea planè, vel lapidea & ſaxea, vel mixta ex utrisq; ſeſe nobis offerunt. Uſum verò ſeu finem reſpiciens, alia ut Idolorum inſervirent cultui, ac hoſtiis immolandis oportunitatem præberent, erecta cerno, nobis *Delubrorum* & *Ararum* nomine inſignienda: alia *Sepulchra* ſunt & mortuis humandis deſtinata: alia laudes & encomia demortuorum characteribus Patriis ſev Runicis continentia, *Epitaphia* dicimus: Illa verò qvæ genealogias & præcipuas qvasdam res geſtas brevi ac laconico ſtylo perſtringunt ſi *Monumenta* ſtrictè appellaverimus, veniam precamur. Sunt & *Fora* antiqva, litibus dirimendis olim deſtinata: *Circi*, duellis & præliis deputati: *Limites*, ſeu termini ſaxei, principatus, territoria, fundos & agros præcipua qvadam religione dirimentia. Ex hiſce majoris momenti ſeligemus, de qvibus in generali hac Monumẽtorum Danicorum conſideratione qvædam prælibanda, potiora ſpeciali Inſcriptionum tractatui reſervaturi.

Caput Tertium.

De Delubris & Aris veterum Danorum.

A Sacris ut ordiamur; Majores noſtros duobus potiſſimum in locis rem divinam feciſſe & Idolis ſuis ſacrificaſſe invenio. Qvandoq; in Delubris & fanis ſumptuosè ſatis exſtructis; qvandoq; ſub dio, in aris peculiari modo fabricatis: qvod evidentèr ſatis edocent rudera adhuc apud nos conſpicua. Idola n: ſua **Skurguder** dicta, primitus mapaliis & tuguriolis tegebant veteres, præter decorem eſſe exiſti-

man-

mantes Deos tectis claudi, inprimis ubi cultibus debitis placari, & majeſtatem ſuam exſerere debebant. Creſcente verò luxu, qvibusdam in locis ſumptuoſa ipſis ædificabant Delubra, lararia & fana. Hinc eſt quod Tacitus de moribus German. ſcribat veteres Germanos, *alia nulla Deorum templa habuiſſe, quam lucos nemoraq́ Deorum ſuorum nominibus appellata.*

Quin ſi Clementi Alexandrino in Protreptico fides habenda, ex ſepulchris orta ſunt templa. Sic enim ille: *Superſtitio templa condere perſuaſit. Quæ enim prius hominum ſepulchra fuerunt magnificentius condita, templorum appellatione vocata ſunt: Nam apud Lariſcam civitatem in arce, in templo Palladis, Acriſii ſepulchrum fuit, quod nunc ſacrarii loco celebratur: In arce quoq́ Athenienſi, ut eſt ab Antiocho in nono Hiſtoriarum ſcriptum, Cereris ſepulchrum fuit: in templo vero Palladis, quem Poliada Græci appellant, jacet Erichtonius. Ismarus autem Eumolphi atq́ Diaræ filius in Eleuſine, una cum Celei natabus ſepultus.* Hæc ille. Pari modo apud nos obſervare licet, qvod propè ſepulchra Regum Ethnicorum, Templa à Chriſtianis ſucceſſoribus ſint exſtructa, ut monumenta eſſent defunctorum; ſed qvia grandes iſtos ſepulchrorum tumulos ex terra aggeſtos in templa convertere non potuerunt, propè, vel juxta illos, ædes Chriſto dicatas poſuerunt, ut cernere licet Jellingæ in Cimbria, Horleviæ in Selandia & paſsim alibi.

Delubrorum qvibusdam in locis majeſtas major, qvibusdam minor. Sumptuoſiſsimum Upſaliæ fuiſſe ferunt, qvod totum auro fulgebat, cujus delineationem vide apud Olaum Magnum lib. 3. cap. 6. Albertus Crantzius in præfatione libri primi Sveciæ de eo ſic diſſerit: *Nobiliſsima gens Svecorum templum habuit quod Vpſala dicitur: Sedes hodie metropolitana regni ibi perdurat, non longè à civitatibus Sictona & Birca. In hoc templo (quod totum fulgebat ex auro) ſtatuas trium venerabantur Deorum antequam Chriſto crederent.* Et paulo poſt: *Arbor juxta templum ſtabat ingens, patulis diffuſa ramis, æſtate & hyeme juxta virens: genus ejus nemo potuit edicere. Fons ſcaturivit ad locum Sacrificiorum; Sacrificaturi hominem hic immerſere vivum: qvi*

ſi facilè mergeretur ſauſtum renunciavere votum. Aurea catena fertur cinxiſſe templum ad mœniana, domusq; faſtigia ſuſpenſa, latè rutilans acceſſuris. Nam templum in planitie ſitum montibus ambitur.

Nec minoris æſtimii fuiſſe videtur fanum & lararium, qvod in Norvegia propè Nidroſiam extitit in Laden. Quod ab Haqvino comite Ladejarl dicto, magnifice exornatum erat. Refert namq; Snorro Sturlæ in hiſtoria *Olai* Tryggonis, eum, cum Norvegiam ad Chriſtianam religionem perducere conaretur, hujus fani idola confregiſſe, tectum diruiſſe, & ingentem ex auro annulum, qvi januam & valvas exornabat, tanqvam magnificentiæ teſtem abſtuliſſe. Quem annulum deinde *Sigridæ Storradæ* dono miſit, cum ejus ambiret conjugium.

In qvibusdam Norvegiæ locis etiamnum Cryptæ conſpiciuntur ſubterraneæ, partim duriſsimis petris inciſæ, partim ingentium ſaxorum accumulatione congeſtæ, qvæ huic uſui olim deputatæ creduntur. Cujus generis illæ ſunt, qvæ in ditione Aſloënſi juxta parochiam Quille adhuc oſtentantur, item illæ in *Sodenes*, parochia Aſkind aliæq; alibi.

Nec Iſlandia ſuis deſtituebatur Delubris & fanis, Arngrimo noſtro *Lararia* dictis, qvorum delineationem ex ejusdem Crymogeæ lib. 1. cap. 7. hic repetere licet: *Lararium quodlibet*, inqvit, *pro ratione hujus terræ, magnifice exſtructum erat. Quorum duo leguntur fuiſſe CXX pedum longa; Unum in præfectura* Wadſz=dal *Iſlandiæ Borealis: alterum in* Kialarnes *meridionalis Iſlandiæ: & hoc quidem pedes latum LX. Singula ad hæc Lararia Fanum in ſacelli morem ſibi adjunctum habebant. Hic locus ſacratiſſimus: Hic idola & Dii manu facti in ſuppedaneo ſeu ara quadam conſiſtebant: quos circum pecudes iisdem mactandæ diſponebantur.* Mox poſt qvædam ex Watz hyrna: ᚠᚱᛆᛘᛘᛂ ᚠᛁᚱᛂᛅ ᚦᛆᛅ ᚺᛋᛂᚦ ᚺᛋᛆᛚᛚᛂ ᛘᛂᚦ ᛘᛁᚴᛚᚢᛘ ᚼᛆᚴᛚᛂᛁᚴ ᛂᚴ ᚦᛁᛘᛆᚦᚢᛅ ᛂᚠᛆᚴ ᛘᛂᚦ ᛁᛆᚱᚿᛂ. ᚦᛆᛅ ᚺᚴᛁᛚᚦᛁ ᛆ ᚢᛂᚱᛆ ᛂᛚᚦᚢᛅ ᚺᛆ ᛆᛚᚦᚱᛁ ᚺᛘᛂᚴᚿᛆ-ᚦᛁ. ᚦᛆᚦ ᚴᛂᛚᛚᚢᚦᚢ ᚦᛂᛁᛅ ᚢᛁᚠᚦᛆᚿ ᛂᛚᚦ. ᛆ ᚦᛂᛁᛘ ᚺᛋᛆᛚᛚᛁ ᚺᚴᚢᛚ-ᚦᛁ ᛂᚴ ᚺᛋᛆᚿᚦᛆ ᛒᛂᛚᛘᛂ ᛘᛁ ᛂᚠ ᛆ ᚴᛂᛒᛆᛅ. ᚦᛆᛅ ᚺᚴᛁᛚᚦᛁ ᛁᛚᛆᛋᛆ ᛒᛚᛂᚦ ᚦᛆᛋ ᛆᛚᛋ ᚴᛁᛆᛘᛁ ᛆᚠ ᚠᛁᛂ ᚦᚢᛁ, ᛂᚿ ᚦᛆᛅ ᚢᛆᛅ ᛋᛁᛚ ᚠᛂ-

ᚠᛁᚦ,


ᛘᛁᚦ, ᚼᚦᛆ ᛉᚼᚴᚴᚢᛉ &c. ᚦᛆᛆ ᛦᛆᛚᛚᚢᚦᚢ ᚦᚼᛁᛆ ᚼᛚᚢᛆ ᛆᛦ ᚼᛚᚢᛆᛒᛆᛚᛚᛆ, ᚼᚴ ᚼᛚᚢᛆᚢᚴᛉ ᛋᛘᚢᛚᚦᚼ ᛒᛁᚦᛁ ᚦᚱᚼᛁᛘᛆᛁᛘᚼᛆ ᛉᚼᚴ ᛆᛦ ᛘᛁᚼ *Ante Deorum illud Suppedaneum in prædictis fanis ſitum, Ara exſtructa ſtabat ferro ſupernè inveſtita; ne igni, qui ibi perennis eſſe debuit, læderetur. In ara etiam lebes ſeu æneum vaſculum repoſitum erat, quo hoſtiarum ſangvis exciperetur; adjuncta luſtrica & aſpergillo, ad victimarum cruorem aſtantibus aſpergendum. In ara præterea annulus aſſervabatur argenteus (vel ex orichalco) unciarum XX. quem forenſi aliquo munere fungentes, jusjurandum jam præſtituri, victimarum illinitum cruore, religiosè inter jurandum contrectabant. Ad victimas utplurimum quadrupedes deſtinabantur in ſacrificantium epulas convertendæ. Quamvis interim (dolendum) comperiam cœcos ethnicos victimis humanis etiam uſos loco prædicto* Kialarnes: *ubi pro Lararii foribus puteus profundiſsimus, in quem victimæ humanæ demergebantur: Qui puteus à Sacrificio* Blotkelda *dictus eſt.*

In Dania (qvod qvidem ſciam) nullibi talium jám extant rudera; forſan qvod majores noſtri, Chriſtianis ſacris imbuti, omni conatu tantæ idololatriæ abominationem tollere ſtudentes, loca inſigniora huic deſtinata, vel penitùs deſtruxerint, vel ubi viſebantur, eorum loco vero Deo templa dicaverint, ſuperſtitionem in cultum divinum permutantes, omnemq; Idolorum memoriam radicitùs exſtirpare conantes. Unde non raró menſas ararum, adhuc in campis & ſilvis extantium, disjectas & diſsipatas cernere licet.

Ararum ſtructura apud nos varia eſt. Maxima ex parte congeſto ex terra conſtant tumulo, in cujus ſummitate tria ingentia ſaxa, qvartum illudq; majus, latius ac planius ſuſtinent, fulciunt ac ſuſtentant, ut inſtar menſæ tribus fulcris innixæ emineat. Sub hac mole, cavitas viſitur, in qvibusdam vaſta ſatis, in aliis terra & lapidibus repleta, qvæ ſangvini victimarum rècipiendo deputata creditur. Rarum eſt ſi hic ignibus excutiendis aptos ſilices non invenias. Alio enim qvàm ex ſilicibus excuſſo, victimis cremandis adhibere nefas duxerunt.

Quibusdam in locis apparatu majori exſtructas cernere licet,

licet, tam circa radicem qvàm circa apicem coronam ex ſaxis minoribus contextam habentes. Raró unicam ſolam invenies, ſæpiùs tres, brevi intervallo à ſe invicem diſtantes, in honorem trium primariorum Idolorum erectas. Unica ubi viſitur, maxima ex parte ſepulchro impoſita eſſe ſolet, eo fine, ut ibidem in memoriam defuncti qvotannis ſacra peragantur. Hujus generis eximia extat in Selandia, juxta viam regiam qvà itur ad pagum Bircke/ hujus ſtructuræ.



Ex ſaxis rudioribus mediocribus, quadrata in longitudinem tendens, ducta eſt area; huic tres colles ſeu tumuli incluſi, undiq; circa radicem, ejusdem fermè magnitudinis ſaxis cincti. Major meditullium occupans, in apice aram habet ex ſaxis qvatuor ſtupendæ magnitudinis exſtructam, ita ut tria qvartum maximum & planum ſuſtineant. Non procul hinc tumulus viſitur alius, ſub qvo gigantem Langbeen-Riſer dictum, ſepultum ferunt, ſexaginta paſſus longus, duodecim latus, cujus ambitus qvinqvaginta ſex continet ingentis magnitudinis ſaxa. Moles hæc ſaxo percuſſa, reboat, ut concameratum opus

ſub-

ſubeſſe colligere facile qvis poſsit. In Friſia tales aras extare ex Ubbonis Emmii lib. 1. Hiſtor. Friſ. pag. 21. memonuit vir clariſsimus Stephanus Stephanius Hiſtoricus Regius. Ubi de iis ita diſſerit Emmius: *Commemoratione dignum videtur, notatum quoq; ab aliis, quod in Regione hac ingentis molis ſaxa complura, quæ nulla vectatione, nulla vi hominum illac deportari potuiſſe ob magnitudinem credas, congeſta inveniantur, quorum ea diſpoſitio eſt, ut aras referre videantur. Nam jacentibus nonnullis, alia iis impoſita ſunt plana, relictumq; foramen anguſtum, per qvod reptare homo poſſit. Fabula fert paganos quondam humanis hoſtiis litare ſolitos ea per foramina mactandos homines tranſire coëgiſſe, & ſtercore aliisq; immunditiis, conjectu vulgi fœdatos in tranſitu conſtitutosq; ad aras immolaſſe: eum ritum ad Bonifacii Epiſcopi Vltrajectini tempora duraſſe. Qvam ob cauſam etiamnunc turpe nomen foraminibus illis apud incolas reſtare putatur.* Ejus generis & alia multa apud nos extant, quæ curioſum ſpectatorem non immeritò in admirationem rapere poſſunt. Sed quibus & qualibus Diis in hiſce, ſacra fiebant brevibus deſpiciamus.

CAPUT QVARTUM.

De Diis & Idolis veterum Danorum.

DEorum, qvibus vota ſua nuncupare conſueverunt majores, ut numen frivolum, ita numerus incertus: interim in majoris & minoris pretii diſtinctos fuiſſe, hiſtoriæ teſtantur. Saxonem noſtrum de præcipuis audiamus diſſerentem, ac qvibus artibus & machinis mortales hi, apud ſeptētrionales divinitatis gloriam ſint aſſecuti diſertis exponentem: *Olim* inquit, *quidam magicæ artis imbuti Thor videlicet & Othinus aliiq; complures miranda præſtigiorum machinatione callentes, obtentis ſimplicium animis divinitatis ſibi faſtigium arrogare ceperunt. Qvippe Norvegiam, Sueciam ac Daniam vaniſſimæ credulitatis laqueis circumventas ad cultus ſibi pendendi ſtudium concitantes, præcipuo ludificationis ſuæ contagio reſperſerunt. A-*

deò namq; fallaciæ eorum effectus percrebuit, ut in ipſis cæteri quandam numinum potentiam venerantes, eosq; Deos vel Deorum complices autumantes, veneficiorum ſolemnia vota dependerent & errori ſacrilego, reſpectum ſacris debitum exhiberent. Quo evenit ut legitima feriarum ſeries apud nos eorundem nominibus cenſeatur, cum ipſis Latinorum veteres, ſive à Deorum ſuorum vocabulis, ſive à ſepteno planetarum numero, nuncupationem ſingulatim adaptaſſe noſcantur. Thori Idolum, regni Norvegici ſceptra tenente Rege Olao Tryggonis, magna in æſtimatione fuiſſe apud Nidroſienſes teſtatur Hiſt. Norv. Cum in fano Idololatrarum Nidroſienſium, Thori ſtatuam auro & argento magnificè exornatam, & in ſella in medio reliquorum collocatam offendiſſet Rex idem (qui ſe illorum ſacra ſpectatum veniſſe ſimulabat) illud malleo confregit ac dejecit, comitibus ejus reliqua ſtrènuè conterentibus, & idolomaniæ fœditatem cunctis exprobantibus.

Duobus hiſce, numen tertium adjecerunt, quod maſculini aut fœminini num extiterit ſexus, incertum: licet fœmineo choro plures illud adſcripſerint: Hoc à quibusdam, *Fricco* vel *Frigo*; ab aliis *Frigga*, *Frea* vel *Frejia* vocatum invenio; qui Othini uxorem ſcortationibus & furtis celebrem, eam fuiſſe volunt. Ab hac dies veneris Fredag vel Freidag noſtratibus indigitatur, Frejar item quas Fruer jam dicimus, nuncupantur.

Nec mirum cuiquam videri debet de ſexu dubitari, ſiquidem de Venere & Luna quid aliæ gentes ſtatuerint, abundè conſtat eis qui bonos autores cum cura luſtrarunt. Dignus notatu locus eſt apud Macrobium Saturnal. lib. 3. cap. 8. *Apud Calvum Acterianus affirmat legendum:*

Pollentemq; Deum Venerem

non Deam. Signum etiam ejus eſt Cypri, barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro ac ſtatura virili, & putant eandem marem & fœminam eſſe. Ariſtophanes eam Ἀφρόδιτον *appellat. Lævinus etiam ſic ait: Venerem igitur almam adorans, ſive fœmina ſive*

mas

mas eſt, ita ut alma noctiluca eſt. Philochorus quoq; in Atthide eandem affirmat eſſe Lunam, & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas æſtimatur & fœmina. Vide Doctiſs. Seldenum de Diis Syris, Syntagm. 2. cap. 2. & 4. Hiſtoria Norvagica *Freium* à *Freja* & *Frigga* diſertè diſtingvit. Illum natione Schytam, filium Niordi ſtatuens, inter Divos Aſiaticos ab Othino relatum. *Frejam* vero ipſius Othini filiam, incantationibus magicis celebrem. *Friggam* uxorem Othini. *Frejam* etiam aliam Niordi filiam exhibet. Hæcce tria primaria & majorum gentium fuiſſe numina plæriq; arbitrātur. Ac Othinus quidem ab aliis *Vodanus*, quod nominis non recte per Mercurium reddi exiſtimat vir celeberrimus Gerardus Voſsius lib. 1. de Idololatria cap. 7. *Vodan*, inqvit, *ſive Voden eſt idem ac Gvoden ſive Gvode, pro quo* Gode *vel* God *nunc dicimus & Vodan, Gvodan, Godan* ex qvo κατ' ἀποκοπὴν eſt God / καὶ ἀφαίρεσιν Dan / *unde Dani dicuntur.* Eſt autem Vode vel Voden periculum, pernicies. Unde hodie *Oden* pro Diabolo uſurpari cæpit, ut in imprecandi formulis: Oden eige dig / Odinus te poſsideat. Far du til Odens / vade ad Odinum, ſive in malam rem. Item Huada Odens latum? quid hoc mali eſt? Ab aliis *As* dictus, eo qvod Aſianorum huc in Septentrionem migrantium princeps fuerit: Singulariter namq; *As*, at multitudinis numero *Æſar* vel *Æſer* dici cceperunt, teſte Arngrimo Crym. lib. 1. cap. 6. Armatus ſculpi ſolet, cum enſe Martis inſtar. Unde à Poëtis pro Odino Mars ponitur, ut patet ex illo Saxonis circa finem libri 2. Biarco qværit

Et nunc ille ubi ſit qui vulgo dicitur Othin?

Reſpondet Ruta.

Adde oculum propius & noſtras proſpice chelas,
Si vis præſentem tuto cognoſcere Martem.

Eundem Biarco mox vocat *horrendum Friggæ maritum. Ejus effigiem ſeptentrionis Reges aureo complexi ſimulachro ſtatuam ſuæ dignationis indicem, maxima cum religionis ſimulatione Byzantium transmiſerunt, cujus etiam brachiorum lineamenta confertiſsimo ar-*

millarum pondere perſtringebant. Saxo lib. 1. & paulo poſt: *Othinus ſtatuam in crepidine collocavit, quam etiam mira artis induſtria ad humanos tactus vocalem reddidit.* Ex quibus quanta polluerit arte præſtigiatrice liquidò conſtat. Suam implorantibus opem in bello, inſtar ſenis monoculi equo inſidentis, & albo clypeo tecti, quandoq; ſe conſpiciendum præbuiſſe, non uno in loco docet idem Saxo. Hinc illud lib. 2.

Et nunc ille ubi ſit, qui vulgo dicitur Othin
Armipotens, uno ſemper contentus ocello?

Huc etiam trahendum, quod lib. 1. ait: *Spoliatum nutrice Haddingum, grandævus fortè quidam, altero orbus oculo ſolitarium miſeratus &c.* Vide in hunc locum notas eruditiſsimi Viri Stephani Stephanii. Lib. 7. clarius id docet in hunc modum: *Cujus eventum Haraldo oraculis explorare cupienti, ſenex præcipuæ magnitudinis, ſed orbus oculo obvius extitit, qui hiſpido etiam amiculo circumactus, Othinum ſe dici, bellorumq́; uſum callere teſtatus eſt &c.* Quis hic fuerit Othinus, qualis, quibusve artibus ſibi divinitatis opinionem conciliaverit, pluribus docet Hiſtoria Norvagica mox in principio.

Sunt qui non unum ſaltim, ſed plures fuiſſe Othinos in numerum Deorum relatos afferant. Unum namq; Thoro Aſiano antiquiorem ajunt, qui Priſcus dicitur, à Saturno Cretenſe & Regibus Trojanis ortum, atteſtantibus tabulis genealogicis vetuſtiſsimis Scalholtinis. Hic Aſianus Europam nunquam vidit, & Odin hin gamle vocatus. Alterum Europæum, cui apud Suecos Upſaliæ potiſsimum, ſummi honores ſunt delati; Norvegi namq; Thorum Odino prætuliſſe videntur, ut ex variis Hiſtoriæ Norvegicæ conſtat documentis. Hos duos demum confudiſſe noſtratium idolomaniam ex multis patet. *Mithotin*, quaſi Medium Othinum hiſce annumerandum tanquam tertium, exiſtimat Vir clariſsimus M. Brynolphus Suenonius Scalholtenſis Epiſcopus digniſsimus.

Eadem Hiſtoria Norvagica refert ab hoc Odino ad regni

gni adminiſtrationem adſcitos duodecim ex præcipuis ſuis in Magiâ complicibus, qui poſtmodum non ſecus ac ipſe divinis honoribus à rudi plebe culti ſunt.

Apud Upſalienſes in Suecia, in maximo erant æſtimio; ibidem enim inauratum, ut ſupra dictum, iis dicatum fanum, in quo ſtatuæ ſingulari devotione colebantur: quod his docet Albertus Crantzius in præfatione libri primi Sueciæ. *In hoc templo (quod totum fulgebat ex auro) ſtatuas trium venerabantur Deorum, antequam Chriſto crederent. Potentiſſimus Thor in medio triclinio ſtrato pulvinari colebatur. Hinc indè latera ejus cingunt* Wodan *atq; Fricco. Thor inquiunt præſidet in aëre, tonitrus & fulgura, ventos & imbres, ſerenitatemq; gubernans, fruges adminiſtrat cum fructibus univerſis. Alter* Wodan *(hoc eſt fortior) bellis præſidet, hominibusq; fertur in hoſtes vires ſubminiſtraſſe. Tertius Fricco pacem & voluptatem moderatur, cujus etiam ſimulachrum turpitudinem (*Olaus magnus addit *ſexus) præ ſe ferebat.* W*odanum ſculpunt armatum, ut alii Martem, Thor autem cum ſceptro Iovem videbatur exprimere.* Hæc maxima ex parte ex Johanne & Olao Magno deprompta video. Addit verò Olaus lib. 3. cap. 3. *Friggam depictam etiam fuiſſe cum gladio & arcu: cum armis, quod in illis terris uterq; ſexus ſemper ad arma promptiſſimus eſſet. Thor verò cum corona & ſceptro ac duodecim (*alii ſeptem*) ſtellis.* At ſtatua Thori, qvam cum ſociis venerabatur *Dala Gulbrandus*, loco ſceptri malleum manibus tenebat, docente hiſtoria Olai Craſsi, quem inter Divos retulerunt Norvagi. Per hunc ſolemnia juramenta præſtitiſſe veteres comperio: unde etiamnum multis familiaris hæc formula: Ney Thore Gud/ ex mala conſuetudine in uſum tracta. Sunt qui Lucani *Taranem* eſſe putent, de qvo Pharſaliæ lib. 1.

Et Taranis Schyticæ non mitior ara Dianæ.

Quamvis hi tres ſemper primarii habiti ſint Septentrionalium Dii, vetus tamen & ſolennis jurandi formula, quæ extat apud Arngrimum Crymog. lib. 1. c. 4. & 7. omiſſo Tho-

rone, quartum iis annumerat *Niordur* nomine, qui primus Norvegiæ ſtatuitur Monarcha, multis luſtris ante Haraldum pulchricomum. Juramenti formula inter reliqva hæc habet: Hialpi mier ſuo Freyr og Niordur og Hinn almatke As. Qua verò ratione in Deorum numerum relati ſint *Niordur* & *Frej* docet Hiſtoria Norvagica mox in principio. Fuerunt enim hi duo natione Schytæ, inter ſuos maximi æſtimii, obſides dati Othino, à qvo in numerum Deorum Aſiaticorum relati. Horum collegæ ſtatuũtur Thor/ Heiner/ Balder/ quibus ſedes peculiares in Suecia ſunt aſsignati.

Sed nec hoc Idolorum numero contenta fuit Septentrionalis ſuperſtitio, verùm more aliarum gentium, plures adhuc, qvamvis minoris pretii ſibi ſelegit Deos atq; Deas. Inter has & *Diſa* vel *Thiſa* locum invenit Thoronis uxor, qvæ qvod Juſtitiæ ſingulariter favere credebatur, non minus locum inter Deas promeruiſſe videbatur, qvàm Frigga Othini conjunx. Ab hac qvidam volunt ſecundum ſeptimanæ diem dictum Thiſſdag: Ei Upſaliæ magna pompa & ſolemnitate, annuatim ſacra fiebant Tiſſating dicta. Quibus cum interfuiſſet Adels Regulus Sueciæ 22 ab equo delapſus, ad lapidem caput ita confregit, ut paulo poſt vitam cum morte commutarit, atteſtante Hiſtoria Norvagica. Ab ea appellationem ſumpſit pagus in Sælandia Daniæ, Thiſesvelde dictus, ſcaturigine & fonte ibidem exiſtente *Thiſæ* huic olim dicato. Cui, abrogata idolomania, S. Helenam præfecere Pontificii, unde fons ipſe jam S. Helenæ vocatur. Quo etiamnum multi variis affectibus obnoxii confugiunt, ſanitatem ſibi pollicentes.

Fuit & *Tiis*, Anglis *Teves*, Latinis *Teutas*, de qvo Lucanus in hunc modum Pharſal. lib. 1.

Et quibus immitis placatur ſangvine diro
Teutates; horrensq; feris altaribus Heſus.

Quidam *Teutanes* legunt, ut Nicol. Turius Hiſtor. Herulorum lib. 1. cap. 7. ubi addit: *Multi Mercurium interpretati ſunt, in*

qvo

quo nihil diſsidet Cæſar lib. 6. Commentariorum. Alii mortis Deum, Cicero 3. de Natura Deorum Ægyptios Their vocare aſſerit. At hunc noſtratium *Tiis*, non tam Teutatem, quam Heſum Latinorum fuiſſe, ſtatuere videtur Voſsius de Idolol. lib. 2. cap. 33. Sic namq; diſſerit: *Quem Romani Heſum extulere, is Germanis absq; terminatione Romana fuit Hees vel Hies vocali variata.* Et paulo poſt: *unde* Hiſcsdag/ *&* *contractè* Hiſſdag/ *qui Romana Lingva Martis dies. Vulgo uſitatius T. vel D. ut in aliis multis, præmiſſo*, Thiſſdag *vel* Diſſdag. *Niſi malis fuiſſe prius* Thiſſdag *à Cheſus ſeu Chiſus, nam olim H. & CH. variabant.* Sed hic ſuum cuiq; liberum permitto judicium. Lactantius lib. 7. refert Gallos Heſum & Teutatem humano ſangvine placaſſe.

Hiſce affinis *Tyr* fuit, (cujus genitivus eſt Tyrs vel Tys) Odini filius, audacia & manuum promptitudine & ſapientia divinitatis honores adeptus, cui pro victoria, (ſive ſingulari certamine, ſive aliter certandum eſſet) ſupplicationes fiebant. Ab hoc Iſlandi diem Latinis Martis, nobis Thiſſdag/ dictum volunt. Tyrſdag enim ſe legiſſe memorat Arngrimus. De hiſce conſulatur libri primi Faſt. Dan. cap. 15.

Richardus Verſtegan vicinos nobis Saxones ſeptem primaria habuiſſe Idola refert, qvibus ſeptem ſeptimanæ dies conſecrarunt. Primum *Solis* erat, à quo primam feriam Sun⸗dag vocarunt, Solis diem (qvamvis alii Søndag malint diem reconciliationis vel placationis.) Hoc repræſentabat ſtatua viri pube tenus ſculpta & columnæ impoſita, nuda prorſus, facie radiis ſolaribus coruſca, manibus rotam tenens, quâ totum pectus tegebat & circumqvaq; flammarum ſtricturis exornabatur, ſolarem curſum & calorem indicantibus. Diem ſecundum *Lunæ* eos conſecraſſe vult, cujus effigiem ridicule ſic expreſſerunt: Columnari baſi ſtatuam hominis integram impoſuerunt cucullatam, aſininis auribus aſſutis, manibus lunam geſtantis, chlamide brevi genua lambente, ut habitu virum potius qvam fœminam exprimeret. Tertium Idolum *Tuiſconis* fuiſſe refert, à quo tertius ſeptimanæ dies Tuiſdag. Ejus ſtatua barbata, etiam columnæ erat impoſita,

ſce-

ſceptrum dextra tenens & toga pellicea tecta. Quartum erat *Vodani*, à qvo dies Mercurii dictus Vodensdag. Hic armatus pingebatur, qvippe qvi bellis præerat, & cui victorias attribuebant, ac victos & occiſos in bello ſacrificabant, columnæ inſiſtens coronam capite geſtabat, dextra ſacam ſev enſem Saxonicum, ſiniſtra clypeum, pedibus calceatis. Quintum *Thoronis*, à qvo Torsdag ſeptimanæ feria qvinta. Hic ſummus Deorum habitus & ab omnibus Aqvilonaribus cultus, lecto ſpecioſè incumbens fingebatur, capite auream tenens coronam, qvam duodecim ambiebant ſtellæ, dextra ſceptrum, cæteroqvin regio habitu. *Frigæ* ſextum erat, qvod Hermaphroditicum putabatur, ſexus utriusq; membris delineatum, columnæ inſiſtens, dextra gladium, ſiniſtra arcum tenebat, ab hoc veneris dies Frigedag. Ultimum vocat *Saeter*, qvod aliàs etiam *Crodo*, à qvo Saterdag dies Saturni. Supra columnam perca piſcis ſculptus erat, cujus aculeato dorſo inſiſtebat idolum, nudo capite, coma & barba prolixa, ſiniſtra rotam, dextra vas anſatum aqva & floribus refertum tenens, togam circa lumbos linteo ſuccinctam geſtans, nudis pedib⁹. Eorum effigies æri inciſas apud eundem videre licet.

Goeam qvoq; Nori filiam à Suecis pro Dea habitam, eiq; pro victoria conſeqvenda annuatim in Februario ſacra facta eſſe, Arngrimus noſter in ſupplemento rerum Norvagicarum m. ſ. teſtatur. Ab ea menſis anni ſecundus, qvem nos Februarium vocare ſolemus, Goea dictus.

In hunc cenſum relatus *Fro* Deorum Satrapa, *qui ſedem haud procul Vpſala cepit, ubi veterem litationis morem tot gentibus & ſeculis uſurpatum, triſti infandoq; piaculo, mutavit.* Saxo lib. 3. Quale verò hoc fuerit piaculum, caput ſeqvens te docebit.

Hujus etiam claſsis *Mithotin* Deorum pontifex, *Vagnofthus*, *Hadingus*, *Vgartilochus*, aliaq; ejus generis monſtra hominum plurima. Quò enim qvis eo ſeculo audacia & ſceleribus promptior, eò ad divinos honores viam adeptum eſſe compendioſiorem credebant miſeri. Mithothin qvod ſpectat, eum ita dictum qvidam volunt qvaſi medius eſſet *Othinus*,

inter

inter veterem illum Aſiaticum & alterum qui in Europam cum ſociis delatus erat. Sed non diu ejus viguit Divinitatis opinio: redeunte enim Othino illo ſecundo, *relicta præſtigiarum ope, latendi gratia Fioniam*, (*Pheoniam* legit meum exemplar) acceſsit. A qvo qvidam Otthoniam dictam cenſent, ab eo in latibulum exſtructam.

Reges qvoq; facinoribus ingentibus clari, in numerum Divorum qvandoq; ſunt adoptati, eorumq; familiæ à credula turba inſerti. Hac ratione *Haldanus Biergram* debellato Erico *apud Sueones tantus haberi cepit, ut magni Thor filius exiſtimatus, divinis à populo honoribus donaretur, ac publico dignus libamine cenſeretur*, narrante Saxone lib: 7.

Idoli cujusdam W*ig* meminit Elnottus in vita S. Canuti cap. 23: à qvo W*ibergam* Cimbriæ dictam arbitratur: de quo etiam Breviarium Slesvicenſe. Sclavi ad urbem Rethre, *Redigaſt* coluerunt, de quo conſule Adam. Brem. lib. 2. cap. 11. Biarmii ſuum *Iomalam* honorarunt, qvem deſcripſit hiſtoria Olai Craſsi.

Fuiſſe etiam apud noſtrates Idolorum terreſtrium & aqvatilium qvoddam diſcrimen, in manuſcripto quodam inveni. Nam pro annonæ fertilitate & frugum copia quandam ſolicitabant, ut Latini, Cererem, cujus nomen non exprimunt. In mari imperium obtinere *Noccam* credebant, inſtar Neptuni; unde aqvis ſuffocatos à Nocca abreptos ſpargebant: **Nocken tog hañem bort.** Quibusdam in locis Daniæ, hunc Noccam **Nicken** vocant, & non in mari ſolum, ſed & in fluviis & amnibꝰ profundioribꝰ interdum apparere perhibēt, inſtar monſtri marini, caput humanum habentis, præſertim miſeris illis quibus jamjam præſentiſsimum ſubmerſionis periculum imminet. Ferunt etiam ſubmerſos, ex aqva ſublatos, naribus fuiſſe rubentibus inventos, tanquam aliquis compreſſo ore ſangvinem exſuxiſſet: unde illud vulgare: **Nicken haffuer ſugit hannom.** An ejus generis extiterit illud ſpectrum quod anno 1615. à die 13. Octobr. ad 17. viſum eſt Marpurgi prope molendinum S. Eliſabethæ ſupra Lanum fluvi-

um, Waſſer-Nichts illis appellatum, aliis conſiderandũ relinquo. De eo editum carmen Marpurgi ex officina Hutvelkeriana, qvod vide in Ciſta medica Joan: Hornungi p.191. Hoc novi, ibidem literis operam dum navarē, ſingulis annis ad minimũ unum aqvis eodem fermè in loco ſuffocatum fuiſſe. De hoc Nicca ſeu Nicken ut & aliis Septentrionaliũ idolis compendio diſſerit Joannes Waſthovius in præfatione ad vitas Sanctorum, in hunc modum: *Solem, Lunam, ſuosq; Reges, quemadmodum Perſæ ac Chaldæi, ut numina colebant: animantes etiam quasdam, cum Ægyptiis: Duces, Heroas, qui cæteris ſapientia præſliterant, cum Græcis: cum Romanis omnium gentium ſerviebant erroribus & magnam ſibi videbantur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebant falſitatem. Soli ac Lunæ primos hebdomadæ dies dedicatos habebant: Diſæ tertium, Othino ſev Odino quartum; Thoroni quintum, eidemq; primum anni menſem; Friggæ ſextum, Flammæ* (Loverdag qvaſi Lovedag) *ultimum; qvorum nominum, omni reliqua ſuperſtitione ſublata, etiamnum uſus eſt. Et Thor quidem; Odinus ac Frigga, majores Dii dicebantur, non Septentrioni tantum, ſed etiam reliquo ferè orbi noti. Minores verò dicti fuere, Goëa Thoronis filia, cui ſecundus anni menſis nuncupatur, Vagnoſtus* (qvem ille perperam Vagmoſtum appellat) *& Haddingus, præſidiarii in bellis Dii: Roſtiphus, exquiſitis præſcientiæ ſludiis celebris: Roſtarus, ſtupendæ immanitatis: Fro Deorum ſatrapa: Methothin, ſummus Deorum Pontifex, dignus & ipſe qui coleretur judicatus, quod ſacrificia ceremoniasq; quibus reliqui Dii colerentur, diſtinxerit & ordinaverit: Mara* (nobis Maren: unde de eo qui Ephialte ſeu Incubo laborat dicitur Maren rider hannom) *nocturnum ſpectrum & dormientibus inſidioſum. Neccus* (hic ille eſt qui nobis Nocca & Nicken dicitur) *nullam beneficam divinitatis opinionem adeptus, ſed certâ tantum pernitie metuendus, quod aquis ſuffocaret: & ne Gothico Oceano ſuus deeſſet Neptunus, ignoti nominis virgini* Blakulla (fortè Kullen in Scania, promontorium nautis peregrinis, certis ceremoniis & ritibus honoratum, ĕi olim ſacratum) *ventorum ac maris imperium conceſſit antiquitas. Fatales ſorores, ſeu Nymphæ, in ſilvis, montibus & ſpeluncis, ſua templa nullo*

lo humano artificio, præſtigioſis quibusdam carminibus exſtructa habebant. Ab his oracula & conſilia dubiis in rebus petebantur, eisq; vota ſolenni ritu nuncupabantur. Lares, Lemures, Fauni, Satyri, inter quos Mimringus quidam claruit, Larvæ, Stryges, Lamiæ, Manes Gaſtæ dicti (vulgo Gaſter) *& ſimiles monſtrorum greges, Elvarum chorea dicebantur.* (Elfen nobis vel Elven/ unde de mente capto ajunt, Ellen leger med hannom.) *Quid dicam de Lucis, arboribus ac fontibus quibus etiam divinitatem quandam ineſſe credebant?* Hactenus Vaſtonius.

Krodan Saturni partibus hic defunctum memorant, malitiæ & neqvitiæ præſidem, hinc en Krodan Skalck / pro homine deperditæ neqvitiæ. Huic ut & ſeqventi *Jodut* erectas in Hartisborg fuiſſe columnas, teſtatur ad Hiſtoriam Ad. Bremenſis And. Vellejus.

Idolum peculiare exſtitit *Jodut* nomine, qvod invocare ſolebant in doloribꝰ & anguſtiis conſtituti. De qvo hanc Thurii relationem intelligendam puto: *At anno decimoquinto bellum formidabiliſſimum inter Henricum Cæſarem & Lotharium Saxonum ducem ſubortum, quo conſerto prælio, tanta mortalium multitudo deſiderata eſt, ut in foveas proximas interemptorum ſangvis derivaretur. Geſtū prælium hoc locis duobus, ad Cotam Aſcaniorum & ſilvulam Velphiam Mannorum, quo loco & arbor ſalix* CÆADUTUM *ter inter Martem dubium appellavit. At diſpalato ibi Cæſareano exercitu ductore Hojero Mañio interempto, ſtelidam Saxonum armis inſcriptam erexerūt, quam* CÆADUTUM *in memoriam appellarunt, haud procul condito Cænobio quod Videroſtadium nunc.* Locꝰ eſt l. 5. Deflorat: antiqvit. Saxones alioquin columnam ligneā ſub dio collocatā coluiſſe teſtis eſt Liliꝰ Gyrald. in hiſtoria de Diis gent: ſub finem Syntagm. 1. ubi addit *eam Irmēſul vel Irmenſeul dictā, & fuiſſe vel Mercurii ſtatuam, vel commune profugiū & omnium Aſylum.* Narrat idem Gyraldus Syntag 13. ſe in Saxonum hiſtoriis legiſſe, *fuiſſe ibidem fanūm ubi Veneris ſimulachrum hunc in modum exornatum extiterit. Stabat Dea in curru nuda, myrto capite cincta, ardentem facem pectore, dextra mundi figuram, ſiniſtra mala aurea tria ferebat, poſt erant nudæ Gratiæ, nexis manibus poma geſtantes, averſis invicem vultibus*

dona conferentes, jugales quadrigæ aderant, gemini cigni totidemq́ columbæ. Si quid tale in Saxonia extiterit, à Romanis eo delatum arbitror; non enim tantam pompam Saxonica olim admiſit ſimplicitas. Cæterum ſtatuam *Ermenſeul* ita dictam vult Verſtegan, quod pauperum quaſi fuerit patronus & columna. Armatum fingebatur Idolum hoc, inter flores locatum, dextra haſtam tenens, cui parvum affixum erat vexillum Roſam pictam oſtentans, ſiniſtra ſtateram, capiti ejus gallus inſidebat, pectori urſus. Plura qui de eo deſiderat, conſulat ipſum autorem. Qua verò ratione hæc idola à Carolo magno Imperatore ſint deſtructa, docet Nicol. Thurius lib. 5. Deflorationum antiquitatum in hunc modum: *Ille* (ſcil. Carolus magnus) *primo quoq́ tempore Martis ſtatuam qvam Armeſulem nominitabant è monte Martis quæ eſt urbs Iſtævonum in jugo ædito deturbavit anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Octogeſimo dein Saturni ſimulachrum Crotonem, è Hercynopoli ſuſtulit hoſtiliter, & mox octuageſimo primo, Venerem è Partenopoli, qvo anno & Lunam de monte Calcario abſtulit.* Meminit Verſtegan alterius Flynt dicti, qvod ſilici inſiſtens mortem aut Sceleton humanum repræſentabat, dextra facem accenſam tenens. Addit alia ejus generis qvæ obiter recenſet, ut Helmſteed (credo noſtratibus Helmer) *Prono Fidegaſt, Sive* &c. Sed quis abominationes omnes hujus generis ſufficienter enumeraverit? Deo immortali ac vero ſat magnas agere gratias non poſſumus, qvòd eorum memoriam (qvam nimium refricare nefas) Evangelicæ lucis fulgore prorſus diſsipaverit, & animis mortalium penitus eliſerit.

CAPUT QUINTUM.

De Sacrificiis Danorum.


QVia de Delubris, Aris & Diis diximus qvæ occurrebant, de Sacrificiis ut jam agamus neceſſum eſt. Per Sacrificia, hoſtias, victimas, holocauſta & alia ejus generis intelligimus, licet ſint qui inter hæc diſcrimen conſtituant. Sic nam-

namq; Rabanus lib. 5. de Sermonum proprietate & myſtica rerum ſignificatione cap. 10: *Sacrificium quaſi ſacrum factum, Hoſtia vero ſacrificia quæ fiebant antequam ad hoſtes pergerent, Victimæ ſacrificia quæ poſt victoriam devictis hoſtibus immolabant, & erant Victimæ majora ſacrificia quam hoſtiæ. Alii victimam dictam putaverunt quia ictu percuſſa cadebat, vel quia vincta ad aras ducebatur. Holocauſtum, ubi totum igne conſumitur quod offertur. Antiqui n: cum magna ſacrificia adminiſtrarent, ſolebant totas hoſtias in ſacrorum conſumere flamma, & ipſum erat Holocauſtomata.* Hæc Rabanus. Sacrificiorum verò apud noſtrates duo genera viguiſſe comperio: unum majus & ſolemnius, quod nono quovis anno magnâ cum ſolemnitate & pompà peragebatur: minus & vulgare alterum. De priori diſſerentem audi Dithmarum Epiſcopum Mersburgenſem lib. 1. Chron. pag. 12: *Sed quia ego*, inquit, *de hoſtiis eorundem* (Danorum) *antiquis mira audivi, hæc indiſcuſſa præterire nolo. Eſt unus in his partibus locus, caput iſtius Regni* LEDERUN *nomine, in pago qui* SELON *dicitur, ubi poſt novem annos menſe Ianuario, poſt hoc tempus qvo nos Theophaniam Domini celebramus, omnes conveniunt, & ibi Diis ſuismet* LXXXX *& novem homines & totidem eqvos cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis immolant, pro certo, ut prædixi, putantes his eosdem placaturos.* Hæc ille: Pagus quem ille *Selon* vocat, Selandia regio & inſula eſt Daniæ fertiliſsima, olim regni Balthici caput & provincia primaria: in hac locus conſpicitur *Lethra* dictus Saxoni, vulgò Leire/ nunc vilis pagus, olim civitas regia ac Regum Baltheorum ſedes primaria, de qua Saxo noſter lib. 2. in hunc modum: *Lethram pergitur, qvod oppidum à Rolvone conſtructum, eximiisq; regni opibus illuſtratum cæteris confinium provinciarum urbibus, regiæ fundationis & ſedis authoritate præſtabat.* At Huitfeldius noſter DANUM primum Daniæ Regem Lethræ conditorem conſtituit, de Dano agens.

Huic urbi arcem præclaram & bene munitam adjunctam fuiſſe, idem Saxo eodem in libro paulò ante teſtatur, ubi oſtendit, quo pacto Helgo filium ſuum Rol-

vonem Lethrica arce concluſerit, ut ſaluti hæredis melius conſuleret. Arx igitur prius extitiſſe videtur urbe ipſa, utpote quæ demum à Rolvone extructa, Progreſſu temporis ita crevit, ut totius imperii quaſi caput fuerit & regium aſylum. Quod etiam haud obſcurè innuit Hiſtoria Norvagica, ubi ait filium Othini *Skioldum* regem Daniæ, Lethræ habitaſſe. Vixit autem Skioldus hic trecentis circiter annis ante Helgonem.

Moderna ejus in pagum redactæ facies, qualis ſit, cum adjacentium monumentorum ruderibus, in typo adjuncto contemplari licet.



A. Monumentum Haraldi Hyldetandi, auſtrum & aquilonem verſus ſaxis grandibus ſtipatum, in medi-

tullio

tullio immenſa mole quadrata, minoribus aliis innixa exornatum.

B. Area ſaxis undiq; cincta, cujus caput fermè, ſaxum occupat ſellam figurâ referens, accolis Dronin gſtolen ſeu Reginæ ſolium; in eo enim ſedens olim diademate imperii exornabatur, ut ferunt.

C. Locus ubi Regis curia conſpiciebatur, etiamnum titulo curiæ Regis Kongsgaarden gaudet.

O. Hyldehøy coronationi Regum deputata area, ſaxis undiq; cincta. Vicinum habet collem D. cui coronatus jam inſiſtebat, jura populo daturus, & omnibus conſpiciendum ſe præbiturus.

E. Ertedal/ in luco, amæna vallis Herthæ Deæ, ut putatur, olim dicata.

F. Amnis Lethram alluens.

G. Collis Steenhøy dictus.

H. Monumentum Regis Olai ibidem tumulati.

I. Pons major Maglebroe dictus.

K. Locus ubi ſtabulum Regiis equis deputatum olim erat: jam Heſtebierg.

L. Folehøy pullis equinis regum dicata area.

M. Kirckehøy. hic quondam exſtructum fuiſſe fanum autumant quidam.

N. Friiſshøy.

P. Amnis Kornerupio defluens, Kornerup Aae dict⁹.

Alterum Sacrificiorum genus, ut freqventius ita minori ſolemnitate, minoriq; victimarum apparatu peragebatur. Qvamvis & operoſum ſatis qvod deſcribit Olaus Magnus lib.3. cap.7. qvovis nono menſe celebrari ſolitum; *Omni nono menſe ſolemniorem venerationem ipſis impendentes, novem dies ſacrificiis ritè ac religiosè abſolvendis tribuerunt, ſingulisq; diebus novem animantium genera immolabant: qvibus etiam humanas hoſtias adjungebant. At poſt novendium per ſummam totius regni celebritatem templum Vpſaliæ frequentiſſimo incolarum acceſſu viſitabatur, ibiq; novendialibus feriis & præſcripto ſacrificiorum numero*

mero

niero Diis libamenta ad aram maɛtabantur. Homo autem quem ſors immolandum obtulerat, in fontem qui ad locum ſacrificiorum ſcaturiebat, vivus immergebatur: qui ſi facilè efflaret animam, fauſtum renunciavere ſacerdotes votum, moxq; inde ereptum, in vicinum nemus, quod ſacrum credebant, ſuſpendentes, inter Deos translatum affirmabant.

Primitus quidem, Deos omnes conjunctim ſacrificiis placabant; ſed poſtqvam Mithotyn præſtigiator, divinos ſibi quoq; arrogare honores attentaſſet, ſine difficultate, credulæ plebi perſuaſit ſigillatim diſcreto rituum ſacrificiorumq; genere ſingulis eſſe litandum. Qvod non obſcurè hiſce innuit Saxo lib. 1: *Cujus ſeceſſu Mithothyn quidam præſtigiis celeber, perinde ac cœleſti beneficio vegetatus, occaſionem & ipſe fingendæ divinitatis arripuit, barbarasq; mentes novis erroris tenebris circumfuſus, præſtigiarum fama ad cerimonias ſuo nomini perſolvendas adduxit. Hic Deorum iram, aut numinum violationem, confuſis permixtisq; ſacrificiis expiari negabat: ideoq; eis vota communiter nuncupari prohibebat, diſcreta ſuperum cuiq; libamenta conſtituens.* Hinc tot tamq; diverſi ſingulis idolis dicati, orti videntur cultus.

Thoroni qualia peculiariter deſtinata fuerint ſacrificia, oſtendit Dudo de S. Qvintino, in hunc ſenſum de iis diſſerens: *Cæterum in expletione harum expulſionum atq; exercituum ſacrificabant olim venerantes* THUR *Dominum ſuum, cui non aliquid pecudum atq; pecorum, ſed ſangvinem maɛtabant hominum, holocauſtum omnium putantes pretioſiſsimum, eo quod Sacerdote ſortilego prædeſtinante, juga boum una vice diriter icebantur in capite, colliſoq; unicuiq; ſingulari iɛtu ſorte eleɛto cerebro, ſternebatur in tellurem, perquirebaturq; levorſum fibræ cordis ſcilicet vena, cujus exhauſto ſangvine ex more ſuo, ſuorum capita linentes, librant celeriter navium carbaſa ventis, Deosq; tali negotio putantes placare, velociter navium inſurgunt remis.*

Nec Othino fœda hæc & abominanda humani cruoris ſacrificia diſplicuiſſe putabant: is enim bellis præeſſe creditus, exiſtimabatur nullo modo melius placari poſſe, quam

quam ſangvine hoſtium eorumq́; captivos ſecum abduxerunt. Sic enim Olaus Magnus lib. 3. cap. 3: *Othinum qui bellis præſidebat, cruore & morte captivorum placabant, opinantes bellorum præſidem aptius humano cruore placari, à quo viciſsim omnem belligerandi induſtriam, adeò perfectè didicerunt; ut devictis Europæ & Aſiæ potentiſsimis imperiis, ſummum fortitudinis gradum reportarint.* Hinc bello cæſos Odino mactatos dicebant, teſte Arngrimo Crymog. lib. 1. cap. 6. & Saxo noſter lib. 8. Haraldum introducit promittentem ſe proſtratorum manes muneris loco dedicaturum Othino, modò victoria potiretur optata. Vermlandorum incolas, regem ſuum *Olaum Trætelge* primum regionis iſtius Toparcham, igne crematum Othino ſacrificii loco obtuliſſe memorat hiſtoria Norvagica, quo annonæ caritatem cæteraq; incommoda à ſuis averterent cervicibus. Alioquin in eadem hiſtoria à nobis lingva vernacula edita, inter leges ab Othino latas & hæc legitur: Quod ter ſingulis annis ſacrificandum; Brumali tempore pro anni felicitate; media hyeme, pro fertilitate; circa finem hyemis, pro victoria obtinenda.

Horrenda hæc & abominanda humani generis ſacrificia, poſt Othinum, urſit & reſtauravit apud Septentrionales Fro Deorum Satrapa, quod docuit Saxo noſter lib. 3. *Fro*, inquit, *Deorum Satrapa ſedem haud procul Upſala cepit, ubi veteris litationis morem tot gentibus & ſeculis uſurpatum triſti infandoq; piaculo mutavit, ſiquidem humani generis hoſtias mactare aggreſſus, fœda ſuperis libamenta perſolvit.* Quin & ipſe Fro tandem in Deorum relatus numerum, non niſi hoc ſacrificiorum genere ſe placari poſſe credulis perſuaſiſsimum eſſe voluit, quod & idem noſter Saxo lib. 1. innuit, ubi modum quo Hadingus in gratiam cum ſuperis redierit perſequitur: Nec, inquit, *ante malo remedium fuit quam ſcelere ſacrificiis expiato cum ſuperis in gratiam redire potuiſſet. Siquidem propitiandorum numinum gratia Fro Deo rem divinam furvis hoſtiis fecit, quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum poſteris imitandum reliquit. Fro Blod Sueones vocant.* Hinc at blotte ſacrificare &

ſacrificiorum præſes ſacerdos **Blotmadur**. Inter hæc ſacrificia freqvens fuit **Alffblot** dictum, qvod Diis ſubterraneis dicatum. *Alfur* enim ſpectra cautium montiumq́; nuncupabant, qvibus, ne nocerent, ſua qvoq́; dicata erant ſacra. Hinc Sigvaldus Poëta ſeu Scalder Olai Haraldi f. Norvegorum Regis, cum in itinere à fœmina quadam, prætendente ibidem loci **Alffblot** celebrari hoſpitio, excluſus, in hæc erupit:

ᚴᛆᚴᛆᛐᚢ ᛁᚿ ᚴᚢᛆᚦ ᚿᛦᛁᛆᚿ - ᛆᚱᛘᚿ ᚦᚱᛂᚿᚴᚢᛆ ᛚᛂᚿᚴᚱᛆ
ᛡᚱᛂᚦᚢᛚᛌᛐ ᛂᚴᚢᛁᚦ ᛂᚦᛁᚿᛌ - ᛂᚱᚢᛘ ᛡᛂᛁᚦᛁᚿ ᚢᛂᚱ ᚱᛂᛁᚦᛂ.
ᚱᚢᚴᚢᛆ ᚴᚢᛆᚦᛌᛐ ᛁᚿᚿᛂ ᛂᛁᚴᛆ - ᚢᚦᛁᚴ ᛌᚢ ᛂᚱᛘᛂᚱ ᛡᚿᛂᚴᛌᛐ
ᛆᛚᚴᛆᛒᛚᛂᛌᛐ ᛌᛂᛘ ᚢᛚᚴᛂ -- ᛂᛁᚱᛚᛆᚢᛌᛐ ᚴᚱᛆ ᛒᛂ ᛚᛂᛁᚱᚱᛆ.

Apageſis miſelle juvenis, dixit fœmina,
Iram metuo Odini, Ethnici enim ſumus.
Peſsima fœmina! quæ ſine cauſa me expulit,
Inſtar Lupi, prætendens Alfi ſacra ibidem peragi.

Cum enim Sigvaldus hic Chriſtianus eſſet, & S. Olao Regi Norvagiæ à conſiliis, eum ut abſterreret & hoſpitio excluderet, callidè mentita eſt ſe ethnicam eſſe, atq́; in ſuis ædib⁹ celebrari horrẽda illa ſacrificia quæ **Alfblot** vocabãt.

Cæterum inſtigatore atrociſsimo generis humani hoſte Diabolo, idololatras circa tempora Abrahami primum humanis victimis numina ſua placare cepiſſe, ſumpta occaſione ab Abrahami, juſſu divino tentata oblatione, non abſurdè colligit vir Reverendus Johannes Cluverus amicus noſter honorandus, Epitomes Hiſtoriarum lib. 3. in hunc modum diſſerens: *Omnia in pejus rapiente Sathana proximæ gentes ſacrificium illud* (Abrahami) *æmulatæ, Saturno ſimiliter (is rex Belus fuerat, quem Scriptura divina Moloch id eſt regem & Baal hoc eſt dominum ex gentium conſuetudine cognominat) filiorum chariſsimos mactare ceperunt. Quod deteſtabile Cacoëthes à Phænicibus Tyriisq́; acceptum, coloni eorum Pœni in Africam propagarunt, ut multis adeo populis exinde execrandarum hoſtiarum*

rum occaſio & origo nata ſit. Veriſimile igitur Othinum abominandæ Idololatriæ & Magiæ in his oris Magiſtrum (qvē ex Aſia in Septentrionem cum ſuis perveniſſe referunt Antiqvitates noſtræ) hunc ſacrorum ritum unà attuliſſe: eiq; ſatrapam ſuum Ero dictum præfeciſſe. Qui cum opus ſtrenuè urgeret, ac incolis Diis gratiſsimum hunc ritum perſuaderet, deinceps ab omnibus Autor tam horrendi ſacrificii habitus eſt.

Adeo verò abominationes haſce invaluiſſe accepimus, ut nec propriis filiis pepercerint reges ipſi. Haqvinum enim Norvegiæ regem ut de Haraldo victoriam reportaret proprios filios ſacrificio deſtinaſſe refert Saxò lib. 10: *Haqvinus perſpectis copiis cum intolerabile rebus ſuis onus imminere cognoſceret, excipiendi ejus materia non ſuppetente, tanquam humanæ opis diffidentia, divinam amplexus, ſuperos inuſitato piaculo propitiandos curavit. Duos ſiquidem præſtantiſſimæ indolis filios hoſtiarū more aris admotos, potiundæ victoriæ cauſa, nefaria litatione mactavit, patrisq; nomine quam patriâ carere voluit.* Quod de Haraldo Gunildæ filio etiam refert Crantzius Hiſt. Norv. l. 3. c. 3.

Cum incolæ diſtrictus Nidroſienſis Chriſtiana ſacra amplecti recuſarent, atq; regem ſuum Olaum Tryggonis f. ad Ethniciſmum vi reducturos minarentur: reſpondit ſe Diis eorum ita furvis hoſtiis litaturum, ut in eum uſum, non ſervos & vilioris conditionis homines ſeligerentur; ſed Magnates & qui reliquis præeſſent. Quibus commoti ab Idololatria deſiſtere coacti ſunt.

In Islandia occidentali, provincia **Thornes-Thing** circū fuiſſe ex *Eyrbyggia* docet Arngrim9 in quo homines immolabant; verba audiamus: ᚦᛆᛘᛡᚱᛁᛁᚴᚠᚢᛦ ᚢᛆᛦ ᛆ ᚦᛁᚴᚠᛋᛆ-ᛆᚦᚴᚢᛘ ᚼᚱ ᚦᚼᛁᚴ ᛘᚼᚴ ᚢᛆᚱᚢ ᛁᛋᛘᛆᛒᛆᚦᚼᚱ ᚼᚱ ᚦᛆᚦ ᛋᛆᛆᚱᚠ ᛡᚼᚠᚦᚢ, ᛆᚦ ᚦᚼᛁᛦ ᚢᛆᚱᚢ ᚦᚼᛘᚦᚼᚱ ᛆᛁᛚ ᛒᛘᛆᛆᛋ: ᚦᛁᚱ ᛋᛆᚼᚴ-ᚦᚢᛦ ᛋᛆᚼᛁᚴ ᚼᚱ ᚦᚼᛁᚴ ᚢᚼᚱᚢ ᛒᚱᛆᛆᚴᚼᛦ ᚢᛁᚦ. &c. quod ita vertit: Erat in medio fori Circus, in quem homines Diis immolandum deputati, colligebantur, qvi ad ſaxum prægrande ibidem poſitum alliſi necabantur. &c.

colligebantur. Cæterum illam immanitatem non niſi duobus in locis Iſlandiæ viguiſſe idem refert.

Rex Sueciæ Aune novem filios Othino mactavit, ut ætatis obtineret prorogationem, teſte hiſtoria Norvagica. Docet eadem in rege Egillo, Suecos taurum ſacrificiis Othini deputatum, ita alere conſueviſſe ut tandem ad furorem redigeretur; à qvo plurimi quandoq; lædebantur & Egillus ipſe tandem occiſus.

Dum Sacrificia hæc peragebantur varii adhibiti ſunt ritus & litationis modi, convivia celebrata magnifica, pars ſangvinis poſtibus domuum illita, pars aſtantibus propinata. Deorum ſuorum memoriam validis potibus recolebant, expreſſo cujusq; nomine, quid poſcerent aut qvid peterent ſigillatim enumerantes. In epulis pars victimæ apponebatur, ab eqvinis & aliis abominandis neqvaqvam abſtinentes, his tanqvam ſacris & ſelectis ferculis mira alacritate veſcentes. De quo Snorro Sturlæ in hiſtoria Haquini Adelſtani ita diſſerit: Convenerunt omnes in locum ſacrificiis deputatum, ſecum ferentes victui neceſſaria ſingulis ſuffectura, qvousq; ſacrificiorum ſolemnia peragebantur, omnis generis animalia, imò eqvos immolabant, qvorum ſangvis Laut vocabatur, vaſa verò qvibus excipiebatur Lautbollerne; qvæ ita erant comparata, ut in extremitatibus ſpongiam aut ſimile qvid haberent, qvo ſedilia ac fani parietes, intus & extra illinebant. Carnem coctam hoſtiarum, epulis adhibebant: in medio namq; fani focum inſtruebant, coqvendis hoſtiis deſtinatum. Interea verò dum elixatio fiebat, ad focum poculis indulgebant plenioribus (at bæra fult dicebant) antiſtite populo & ſacrificiis benè ominante. Hinc in memoriam Othini pocula exhauriebant, quò Regi & toti Regno bene eſſet. Mox Niordi & Frejæ memoria poculis recolebatur; annua ut ipſis contingeret felicitas, frugumq; & reliqvæ annonæ uberrimus proventus. Multi Bragebeggere exhauriebant, id eſt Heroum, Regum, amicorum & in bello

forti-

fortiter rem gerentium memoriales ſcyphos, quibus eorum manibus parentare ſe credebant & *Minde* vocabant.

Upſaliæ Diis ſuis immolantes Sacrificuli tripudiis & geſtibus effœminatis, nolarum ſtrepitu, inconditæ Muſices barritu, ſpectatorum oculos & aures perſtringebant, adeò ut hiſce offenſi generoſiores, abeſſe qvam adeſſe maluerint. Hinc eſt qvod Starchaterus teſte Saxone lib. 6: *apud Vpſalam ſacrificiorum tempore conſtitutus, effœminatos corporum motus ſcænicosq; mimorum plauſus, ac mollia nolarum crepitacula faſtidiens, ad Haconem Daniæ tyrannum ſe conferre maluerit, quam hiſce intereſſe.*

De furvis hoſtiis & ſacrificiis cruentis, vide qvæ eruditè commentatus eſt in locum ſuprà à nobis ex Saxonis libro 1. adductum, clariſsimus vir M. Stephanus Stephanius Hiſtoriographus Regius, & in Academia Sorana profeſſor publicus. Notatu inprimis dignus, qvem citat, Tertulliani locus qvo vocem ſangvinis cruentis hiſce libamentis, à Latinis ſcriptoribus tribui oſtendit.

Lacerant corpus, funduntq; cruorem,
Quale ſacrum eſt vero quod fertur nomine Sangvis.

In expeditionibus & præliis extra patriam longè alium Diis ſuis ſacrificandi ritum habuiſſe Cimbros noſtros, invenio. Tum enim fœminæ, præſertim ætatis provectioris & literatura priſcâ arteq; divinandi præſtantes Runæ dictæ, ſacerdotum defungebantur munere. Victimæ verò captivi erant. Quos qva ratione immolarent, eleganter docet Strabo de moribus Cimbrorum lib. 7: hac verborum formâ: *Eorum uxoribus in militandi ſocietate conjunctis conſequentes nonnullæ divinationis peritæ ſacerdotes adhærebant, quibus canus capillus erat, alba veſtis lintea, è carbaſo ſubter tunicam fibulis annexa, aheneis incinctæ zonis, pedes nudæ, captivis per caſtra ſtrictis occurrebant enſibus, quos ad humum ſternentes, ad æreum protrahebant craterem, deinde eos in ſublime tollendo, jugulum ferro aperiebant, & profluente tum ſangvine in craterem, eventum belli vaticinabantur.*

Aliæ diſſecto ventre ex inteſtinis victoriam interprætabantur. Inter præliandum verò pelles ad carrucarum velamina extenſas, crebris pulſabant ictibus, ingens ſtrepitus cum horrore edebatur. Hæc Strabo.

Qvib⁹ ſacrificiis *Tiis* ſev *Teutates* placabatur refert Beroald⁹ in locum ſupra à Lucano allegatum in hunc ſenſum: *Galli Deum maxime Mercurium colunt, quem Teutatem appellant. Hujus ſunt plurima ſimulachra, hunc omnium inventorem artium ferunt, ut Cæſar tradit. Huic pro victimis homines immolant, adminiſtrisq; ad ea ſacrificia Dryidibus utuntur. Alii immani magnitudine ſimulachra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent. Quibus ſuccenſis circumventi homines flamma exanimantur. Quosdam ſagittis configunt, & intra ſacras ædes patibulo ſuffigunt*, ut refert Strabo. Hinc immitis à Lucano dicitur.

Saxonum Danis vicinorum, quæ fuerit Idololatriæ ratio docet Adamus Bremenſis lib. 1. cap. 6: *Coluerunt*, inquit, *eos qui natura non erant Dii, inter quos præcipuè Mercurium venerabantur, cui certis diebus quoq; hoſtiis litare conſueverant. Deos ſuos neq; in templis includere, neq; ulla humani oris ſpecie aſſimilare ex magnitudine & dignitate cœleſtium arbitrati ſunt. Lucos ac nemora conſecrantes, Deorumq; nominibus appellantes, ſecretum illud ſola reverentia contemplabantur. Auſpicia & ſortes quàm maximè obſervabant. Sortium conſuetudo ſimplex erat, virgam fructiferæ arbori deciſam in ſurculos amputabant, eosq; notis quibusdam diſcretos ſuper candidam veſtem temerè ac fortuitò ſpargebant. Mox ſi publica fuit conſultatio ſacerdos populi: ſi privata ipſe paterfamilias precatus Deos, cœlumq; ſuſpiciens, ter ſingulos tulit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatus eſt: ſi prohibuerant, nulla de eadem re, ipſa die conſultatio: ſi permiſſum eſt, eventuum adhuc fides exigebatur.* Auguriorum auſpiciorumq; rationes fuſius ab ipſo eodem loco diductas videre licet, quas brevitati ſtudentes conſultò omittimus.

Caput Sextum.

De Sepulturis Veterum.

INter frequentiora Daniæ Monumenta nulla crebrius occur-

currunt Heroum & Magnatum, imò totius quandoq; cæſi exercitus ſepulturis ac buſtis. Hæc autem ſibi Reges maxima ex parte, in locis ubi aulas ac Regias ſuas tenebant, elegerunt, præſertim ſi domi morbo, vel armis mortem oppetere contigiſſet. Cujus generis etiamnum complura monſtrantur, ut Sigari juxta pagum Selandiæ Sigerſted dictum, olim Regiam ac civitatem amplam & ſplendidam; Haraldi Hyldetand juxta Lethram, aliaq; alibi.

Quod & Romanos feciſſe author eſt Servius 6. Æneid. *Apud majores, omnes homines in ſuis domibus ſepeliebantur*, inqvit, *unde ortum eſt, ut lares colerentur in ædibus.* Id confirmat Iſidorus Orig. 15. cap. 11. *Sepulchrum à ſepulto dictum eſt, prius autem in domo ſua quiſq; ſepeliebatur.* At fuit qvondam tempus qvo prohibitum, ne qvis in urbe ſepeliretur. Extat enim in jure digeſt: lib. 47. Tit. 12: de ſepulchro violato, paragrapho 5 hæc lex. *Divus Hadrianus reſcripto pœnam ſtatuit quadraginta aureorum in eos qui in civitate ſepeliunt, qvam fiſco inferri juſsit, & in magiſtratus eadem qvi paſsi ſunt, & locum publicari juſsit & corpus transferri.* Suffragatur lex duodecim Tabular. apud Ciceronem 2. de Legibus: *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito.* Nihilominus in urbe ſepultos legimus, quos virtus legibus ſolviſſet, ut Fabricius in foro: Poplicola, Q. Poſthumus, Tubero, Veſtales, Triumphales & Imperatores, qvorum ſolus Trajanus oſsibus in urbem relatis humatus eſt. Spartanis in urbe ſecus Deorum ædes ſepelire licebat.

Magnates verò in prædiis ac propriis agris quà vias ſpectabant regias, ſepeliri geſtiebant, ſi modò honeſta morte, aut apud ſuos fatis conceſsiſſent.

Et hoc priſcis Quiritibus in uſu fuiſſe, teſtantur adhuc infinita ſepulchrorum rudera in via Appia, Aurelia, Flamminia. Nec diſſentit Varro ſuprà citatus 5. de Lingv. Latin. Sic Propertius lib. 2. Eleg. 1.

Si te fortè meo, ducet via proxima buſto.
Eſſeda cælatis ſiſte Britanna jugis.

Hinc

Hinc ſolemnes illæ formulæ: SISTE VIATOR. ASPICE VIATOR. CAVE VIATOR.

Alioquin ſi ſors aſperior ad hoſtes aut inimicos ipſos detruſiſſet à qvibus vita privati, tumulos apud ipſos obtinebant; Hoſtilem namq; animum poſt mortem depoſuiſſe & hoſpitalem in cadaveribus tumulandis pietatem exercuiſſe, ſummæ ſemper fuit laudis. Hinc Hadingus Uffone oppreſſo, *ejus corpus depoſito odio, conſpicui operis Mauſolæo mandavit, amplitudinem hoſtis, elaborato buſti ſplendore confeſſus: Ita quem vivum hoſtili ſtudio inſectari ſolebat, extinctum honoris impendio decorabat*, teſte Saxone libro I. Hinc Horvendillus Colerum à ſe occiſum, *regio funere elatum, magnifici operis tumulo, ingentiq; exeqviarum apparatu proſeqvutus eſt*: referente eodem lib. III. Sed totum hoc ex compacto factum; anteqvam enim pugnam inirent, inter ipſos conventum, ut ſuperſtes occiſum exſeqviis honeſtis proſeqveretur. Quod idem noſter autor Collerum petiiſſe narrat oratione ſane eleganti, cujus verba hic repetere minus ingratum futurum ſpero. *Quoniam exitus in dubio manet*, inquit Collerus, *invicem humanitati deferendum eſt, nec adeò ingeniis indulgendum, ut extrema negligantur officia. Odium in animis eſt, adſit tamen pietas quæ rigori demum opportuna ſuccedat. Nam etſi mentium nos diſcrimina ſeparant, naturæ tamen jura conciliant. Horum qvippe conſortio jungimur, quantuscunq; animo livor diſſociet. Hæc itaq; pietatis nobis conditio ſit, ut victum victor exſeqviis proſequatur. His enim ſuprema humanitatis officia ineſſe conſtat, quæ nemo pius abhorruit. Utraq; acies id munus, rigore depoſito concorditer exſequatur. Faceſſat poſt fatum livor, ſimultasq; funere ſopiatur. Abſit nobis tantæ crudelitatis ſpecimen, ut quamqvam vivis odium interceſſerit, alter alterius cineres perſeqvantur. Glorioſum victori erit, ſi victi funus magnificè duxerit. Nam qui defuncto hoſti juſta perſolverit, ſuperſtitis ſibi favorem adſciſcit, vivumq; beneficiis vincit, qvisqvis exſtincto ſtudium humanitatis impendent.* Sed fuſius hæc adducta, tum rei tum ſermonis excuſabit elegantia. Lib. VIII. *Hatterus occiſum à ſe Starchaterum honeſta ſepultura beavit, & ne tantum athletam buſti inopem jacere pateretur, corpus ejus in campo*

qvi

qvi vulgò Kolung *ſepulturæ mandandum curavit.* Hic verò campus etiamnum in Scania hoc nomine gaudet.

Si hoſtis hoc munere ſuperſedere viſus eſt, id (in alieno licet & hoſtili ſolo) neqvaqvam neglexerunt ſocii. Unde in cruento iſto prælio juxta Sigerſtadium, qvo Rex Sigarus, multiq; alii Daniæ proceres occubuerunt, in qvo etiam (verba Saxonis refero) *uterq; ſe ſexus ita bello impendebant, ut nec certamen crederes fœmineis caruiſſe præſidiis, ſocii Haconis faſtuoſi funerandi Ducis gratia, collem ſpectatæ magnitudinis exſtruunt, quemque usq; nunc opinione celebrem Haconis buſtum fama cognominat.*

Ut autem ſepulturæ honos præclarè meritis & virtutum laude conſpicuis deferebatur, ita tyrannos & horrendo qvodam facinore notatos, hoc honore planè indignos ſtatuebant. Unde Amletus oratione ad milites lib. 4. à Saxone propoſita, Fengonis cadaver, nec urna, nec tumulo dignum judicavit, ſed ut cineres in auras deſpergerentur his juſsit: *Incineravi ego alios, ſolum Fengonis truncum veſtris manibus concremandum reliqui, in quo ſaltim juſtæ ultionis cupidinem exſatiare poſſitis, concurrite alacres, exſtruite rogum, exurite impium corpus, decoquite ſceleſtos artus, ſpargite noxios cineres, disjicite immites favillas: non urna, non tumulus, nefandas oſſium reliquias claudat. Nullum paricidii veſtigium maneat, nullus contaminatis artubus intra patriam locus exiſtat, nulla contagium vicinia contrahat, non mare, non ſolum damnati cadaveris hoſpitio polluatur. Cætera ego præbui, id ſolum vobis pietatis officium relictum eſt. His exequiis proſeqvendus tyrannus, hac pompa paricidæ funus ducendum. Sed neq; ejus cineres, qui patriam libertate nudaverit à patria tegi convenit.*


Juſtis peractis tumulos in monticuli ſev collis magnitudinem aggeſtâ glebâ & lapidibus artificiosè exſtruxerunt, quos Cambdenus *Barroves* ab Anglis vocari ait. Quorum tanta adhuc apud nos conſpicitur diverſitas, ut magnitudine, rotunditate, ſaxorum vario & diſcreto ordine, invicem certare videantur. Qui rudiores ſunt, ex ſola terra in rotunditatem & conum congeſtâ conſtant: ex iis qui una lapidum ſerie circa baſin cinguntur, exercituum Imperatoribus, aliisq;

magnatibus dicati creduntur; ut ſimplices nullis ornati lapidibus, militibus ſtrenuis, & athletis de patria benè meritis. Et hoc eſt qvod indicat Petrus Lindebergius in ſuis rerum memorabilium commentariis in hunc modum: *Sciendum autem quod Dani cum propter defectum ſaxorum pyramides ac obeliſcos exſtruere minimè potuerint, olim in memoriam Regum & Heroum ſuorum ex terra coacervata ingentem molem montis inſtar eminentem ſtatuerint.* Verùm non tàm ſaxorum quàm artificum qui ritè ea tractare debebant, apud nos olim defectum fuiſſe arbitror. Quamqvam exiſtimem Majores noſtros magis naturâ qvam arte elaboratis delectatos fuiſſe ſaxis, artificium in Runis ſculpendis & tumulis exſtruendis oſtentare contenti.

Romanos quoq; ejusmodi tumulos exſtruere ſolitos, ut militum ſuorum qui in acie occubuiſſent reliqvias tegerent vel ex Tacito conſtat. Sic enim Germanicus Cæſar cladis Varianæ reliquias condi curavit, & ipſemet primum exſtruendo tumulo ceſpitem poſuit, gratiſsimo in defunctos munere & præſentibus doloris ſociis. Supra citatus Camdenus in deſcriptione Wilſchire, aſſerit *ſe legiſſe, in uſu fuiſſe Septentrionalibus ut ſinguli milites prælio ſuperſtites, tantum terræ, qvantum caſſide capere poterant, in occiſorum tumulos aggererent.* Qvod vero haud abſimile: ita enim & celerius tumulos abſolverunt, & adfectum ſuum erga defunctos declararunt, ea promptitudine id præſtando qua illud viciſsim ab aliis exſpectabant.

Ætatis progreſſu plus operæ in magnatum tumulis poſitum videtur, nam non ſolum iis grandes cippos patriis literis notatos impoſuerunt, defuncti titulos exhibentes, ſed etiam tumulos ipſos tam in apice, quam circa baſin viſendæ magnitudinis cinxêre ſaxis, aream inſuper quadratam adjicientes, quæ totam molem grandioribus includeret, in hunc fermè modum.

Hujus



Hujus ſtructuræ duos, vix primo à Roëſchildia lapide juxta viam quæ Fredrichsburgum ducit, cernere licet. Major in quovis quadrati latere paſſus habet quinqvaginta; minor meridiem verſus parum ab hoc diſtans, triginta ſeptem, tumuli ipſi integri adhuc & ſuis ſaxis eleganter ſtipati.

Saxa verò hæc quibus undiq; cingitur monumentum à Græcis *κρηπῖδας* & *περιοικοδομίδας* vocata fuiſſe à Pauſaniæ lib. 11. Eliacor. docuimus in monumento Stróenſi. Non enim infrequens fuiſſe tam Græcis quam Romanis, ſepimentis ejusmodi tumulos defunctorum munire, docet eruditè Kirckmannus lib. 3. de funeribus Rom. cap. 17. Quamvis in hunc uſum non ſemper ſaxa & lapides adhibuerint. Quandoq; enim ex maceria, & humili aliqva materia, quandoq; ex ſilice, ſaxo & marmore, quandoq; ex ferro ea conflabant, quorum exempla ibidem adducta videbis.

Diverſi ab his qvidam cernuntur tumuli, figura oblongiori, congerie depreſsiori, ſaxis grandioribꝰ undiq; cincti, ita ut utramq; extremitatem mole vaſtiora reliqvis claudant. In medio ut plurimum ara extat, formâ ſupra à nobis delineata. In hiſce vulgus gigantes ſepultos credit, qvorum oſſa etiam

haud rarò è talibus effodiuntur. Sed ego ejusmodi integris etiam familiis deſtinatos puto, unde & in his aræ, quæ communia ſacrificia pro totius gentis incolumitate immolata, excipiant.

Extra patriam ſi in prælio occubuiſſet Dux, non minus magnificè quam domi eum tumulatum ſupra innuimus. Sed addunt quidam, ſupra tumulos trophæa ex hoſtium exſuviis collocata, qvod ex Jornande colligunt in funere Attilæ Gothorum ducis, ubi inquit: *Poſtquam talibus lamentis eſt defletus*, STRAVAM *ſuper tumulum ejus ingenti commeſſatione celebrant.* Per STRAVAM hoſtium intelligunt exſuvias, idq; autoritate Plac. Lactantii ad lib. XII Thebaid. Statii, ubi hæc habet: *Exſuviis hoſtium exſtruebatur regibus mortuis pyra, quem ritum ſepulturæ hodie quoq; Barbari ſervare dicuntur, quem* STRABAS *dicunt lingva ſua.* Sed ut quod mihi videtur liberè dicam: Tumulos Regum ac Ducum quandoq; exſuviis hoſtium exornatos fuiſſe facile crediderim; ſed his pyras ſtructas fuiſſe non æq; largior. Jornandes namq; dicit Stravas ingenti commeſſatione celebratas, quod exſuviis haud competit; ſed conviviis potius, & epulis funebribus in honorem defuncti inſtitutis. Lactantius verò manifeſtè ſatis per Strabam rogum aut pyram intelligit, qvâ demortui cremabatur cadaver, qvæqve ex hoſtium manubiis conſtabat Aliud autem eſt rogum ex hoſtium exſuviis conficere, in quo illæ cremantur & pereunt: aliud eas ſupra tumulum ornamenti loco collocare, ut ibi maneant & de victoriis teſtentur. STRAVA igitur aut Trophæum, aut convivia magnifica in honorem defuncti celebrata, denotabit.

Stravæ affine fuit illud quod noſtrates olim **Arffueol** vocabant, convivium nempe ſolemne, quod Reges & Magnates in parentis defuncti celebrabant honorem, cum in Regno & bonis dabatur ſuccesſio. Fas enim nulli fuit parenti demortuo ſuccedere, niſi prius tali convivio & ritibus ſolemnibus magnates & amicos exciperet.

Ubi

Ubi & hoc potiſsimum obſervabatur, quod in defuncti honorem, præeunte hærede, vaſti crateres exhauriendi eſſent, & ſucceſſor ipſe voto ad memorabile & eximium qvid perpetrandum ſe adſtringeret.

Hujus præclarum exemplum cernere licet in geſtis *Haqvini Baronis* Hiſtor. Norv. vernaculo ſermone à nobis editæ pag. 131. ubi *Sueno* Tiuſſeg alias Suenotto dictus, Daniæ Rex ab obitu parentis Haraldi Regnum occupaturus, non ſolum Regni proceribꝰ, ſed & Julinenſibus pyratis ad ſolemne hoc Arffuøl invitatis, priusquam gubernaculis regni manum admoveret, conſcenſo ſolio paterno, primo magnis hauſtibus poculum memoriæ patris dicatum convivis propinat, deinde votum addit, ſe intra triennium Angliam invaſurū, Regemq; Adelradum interfecturum aut expulſurum. Quem inſeqventes Julinenſes poſt hauſtum cratera, ea vovent, qvæ ſine vitæ ſummo diſcrimine præſtare demum non potuerunt. De quibus fuſiùs diſſerentem conſule ipſam Hiſtoriam. Arffuøl hæreditaria cereviſia, ut Feſtensøl locationis aut conductionis cereviſia propriè latine ſonat, quod ut hic ſponſa à ſponſo, mediante tali convivio conducitur quaſi ad futuras nuptias, ita ibi Regnum aut hæreditas à filio & hærede ſolemniter eodem medio occupatur.

Non ſolùm in campis & pratis occurrunt tumuli, ſed etiam in ſilvis & lucis, quos tamen olim apricis in locis collocatos Saxo docet lib. 8. *Colles quos in plano humandorum cadaverum cura veterum labor exſtruxerat, præſens ſilvæ congeries occupat.* Cauſam hujus mutationis refert in terræ ab incolis & cultoribus deſertionem, factam in exitu Longobardorum, tempore Snionis Regis. *Interea*, inquit, *Danorum tellus rareſcente cultorum opera, ſulcorumq; veſtigiis ſitu obductis, ſilveſtrem induit vultum, & quaſi nativi ceſpitis amœnitate depoſita, informi ſuccreſcentium nemorum denſitate perhorruit. Quod præſens quoq; camporum ejus facies prodit. Quæ enim olim feraciā frugum jugera fuerant, eadem nunc arboreo ſtipite conſerta viſuntur. Atq; ubi*

olim cultores, terram altius verſãtes vaſtas diſſipavere glebas; illic nunc enatum nemus, ſervãntia adhuc veteris culturæ veſtigium rura complectitur &c. Interim diſsimulare non poſſum⁹, colles & tumulos ejusmodi etiam in planis reperiri, grandibus undiq; in coronam cinctos arboribus, fagis, quercubus, aliisq; lapidum vices ſuſtinentibus, ſtudio & arte eleganter diſpoſitis: in quibus Regum humata eſſe cadavera credunt. In hunc ſenſum Johan. Cypræus Annalium Eccleſ. Sleſvic. lib. 1. cap. 2: *Dani cum pyramides ac obeliſcos exſtruere non potuerint, olim in memoriam Regum ac Heroum ſuorum ex terra coacervata, ingentes moles montium inſtar eminentes ſtatuiſſe, credibile omnino ac probabile eſt. Atq; illis adeo in locis ut plurimum, quo ſæpe homines commearent aut iter haberent, ut in viis publicis quo poſteritati memoriam clariſſimorum virorum conſecrarent, & quodammodo immortalitati mandarent.*

Hujus generis viſendum in Selandia propè Trygveldum in cœmeterio pagi Horleff cernere licet, in quo regem Hotterum conditum fama refert.

Tale fuit illud regis Dercenni Monumentum, de quo Virgilius lib. 11. Æneidos:

fuit ingens monte ſub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum,
Antiqui Laurentis, opacaq; ilice tectum.

Niſi quis exiſtimaverit, hoc perpetuo non obſervatum, ut in campis & planis tumularentur mortui. Tum quod prædia & fundos in ſilvoſis obtinuerint, tum quod privatas habuerint cauſas qvibus moti hæc illis prætulerint. Quod in Propertio videmus, qui in ſilvis ſepeliri maluit, quam in campis. Sic n. lib. 3. voti ſui ſummam complexus eſt:

Dî faciant, mea ne terra locet oſſa, freqventi
Qvà facit aſſiduo tramite vulgus iter.
Poſt mortem tumuli ſic infamantur amantum,
Me tegat arborea devia terra coma.

Aut

Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ,
Non juvat in media nomen habere via.

Lucanus certe lib. 8. Reges in montibus olim ſepultos hiſce innuere videtur:

Et Regum cineres exſtructo monte quieſcunt.

Unde Iſid. lib. 15. c. 12: *Potentes aut ſub montibus aut in montibus ſepeliebantur, inde tractum eſt, ut cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ ponerentur.* Hinc inſcriptiones illæ in lapidibus: FECERUNT MONUMENTUM ÆDIFICIO IMPOSITO. Georgius Gvalterus in Tabulis Siciliæ aſſerit *Monumenta ad montes vetuſta paſsim per Siciliam reperiri, inprimis Pantalicæ in ditione Cæſ. Cajetani, ubi præruptis hinc inde collibus ab imo ad eorum faſtigia usq; ea exciſa. Quæ cum innumera ſint, qua ſublimioris, qua abjectioris ſortis mortalium conditoria fuiſſe autumat.* Agrigentinos ſepulchris condendis adeo deditos conſtat, ut nec quibusdam equis in certamine probatis nec aviculis olim domi in delitiis negarint, teſte Diodoro Siculo.

Nec levi operâ, aut ſumptibus exiguis hi tumuli conficiebantur. Teſtatur enim hiſtoria Norvagica in Haraldo Harfagre, regulos duos in Naumedal fratres uterinos, tribus integris annis, impenſis magnis in unico tumulo fabricando laboraſſe. Et Haraldus Blaatand Gormonis filius, univerſum ſuum exercitum boumq; numerum ingentem ſaxo ingenti applicuit, qvo parentum buſta exornare decrevit, qvod his perſeqvitur Saxo noſter hiſtoriæ lib. 10: *Poſt hæc Haraldus totam regni claſſem exſerens, ne parvo apparatu magnæ molis pondus aggrederetur, junctis hominum boumq; copiis, inuſitatæ magnitudinis ſaxum Iutico littore repertum, qvo matris tumulum inſigniret, abſtrahi juſsit &c.* Hocq; opus tanti æſtimatum (ut paulopoſt idem ſubjungit) *ut ipſe Haraldus circa tractum lapidis occupatus quendam ſuorum è claſſe ſupervenientem arctius percontari cœperit: an tantam aliàs molem mortali manu tentatam conſpexerit.* Non igitur in ſumptibus parentalibus faciendis ulli genti ceſsiſſe videntur noſtrates, & pluris hi tumuli olim conſtiterunt, qvam jam à nobis æſtimantur.

Apud

Apud alias gentes modus in exſtruendo præſcribebatur. Plato teſte Cicerone 2. de LL. vetabat *ne ſit ſepulchrum altius qvam qvod qvinq; homines diebus quinq; abſolverint, nec è lapide excitari plus, nec imponi qvam qvod capiat laudem mortui inciſam, ne plus qvatuor herois verſibus, qvos longos appellat Ennius.*

Quod Olaus Magnus refert lib. 16. cap. 37. apud nullum alium rerum noſtrarum ſcriptorem reperire licuit; nec omni ex parte veritati litare videtur. Videlicet *morem antiqvorum fuiſſe, cadavera principum in frondoſis arboribus, præſertim quercinis, tanqvam ſacris locis numinibus conſecratis ſuſpendere.* Victimis quidem deputatos, in locis ſacris ſuſpenſos legimus: ſed principes qui vel in bello, vel domi morbo vitam finierunt, poſt mortem ſuſpenſos, apud nullum adhuc legere mihi contigit autorem probatæ notæ.

Caput Septimum.

De ſepeliendi ritibus.

NOn hic variarum gentium defunctos ſepeliendi ritus commemorabo, de qvibus præclarè ſcripſerunt alii, noſtratium ſaltim (qvantum antiqvitates noſtræ permittunt) attingere mores, opere duco pretium.

Rem brevibus perſeqvitur Chriſtianus Cilicius belli Dithmarſici libro 1: *Erant*, inqvit, *eorum ſepulturæ in ſilvis & agris, tumulosq; aggeſtis lapidibus veſtientes muniebant, qvod genus complures paſſim adhuc viſuntur, qvi gigantum ſtrata vocantur. Nonnulli qvoq; (ſed pauci) exſtructis rogis more Romanorum cremari, cineresq; collectos in urna cuſtodiri volebant, cujus rei veſtigia aliqvot noſtro ſeculo reperta ſunt.*

Ab antiqvis epochas qvasdam à ſepeliendi ritibus, apud Septentrionales introductas eſſe, accepi, qvi cum varii fuerint, & illæ, eorum habita ratione, mutatæ. Sic enim membrana mea M.S. Tres numerari ſolent hominum ætates qvæ ab inferiarum modo denominationem acceperunt. Prima **Roisold**/ ſecunda **Høigold**/ tertia **Chriſtendomsold.**

Pri-

Primitus namq; defunctis juſta ſoluturi, in campo plano juxta viam regiam, aut defuncti prædium ſito, circum ratæ magnitudinis lapidibus efformabant, oblongum tamen, viginti quandoq; orgiarum longitudine, latitudine trium, in hoc defuncti cremabant cadaver, cineres collectos urnis includebant, ac in circi meditulio locatos, grandioribus undiq; ſtipabant ſaxis, ſuperinjecto latiori, quo cætera tegerent. Hinc totam aream lapidibus, arena, glebaq; terreſtri replebant, ac in formam monticuli deſuper collem exſtruebant, quem demum ceſpitibus tegebant, ut viriditate ſua oculos prætereuntium recrearet. Hæc ſepulcra **Koiſer** ut & hunc ſepeliendi ritum **at Koiſe** dixerunt. Regibus ſaltim hunc honorem habitum fuiſſe volunt; minori pompa tumulati alii.

Hæc tumulorum ſtructura ex ruderibus adhuc colligitur, præſertim circa littora maris ubi partem terræ marini æſtus abſorpſit violentia, partem verò intactam reliqvit.

In locis ſaxoſis & maritimis, ex lapidum & arenæ congerie monticulos ſtruxerunt, in pingvioribus ex terrâ fertili rarioribus additis ſaxis, baſin coronæ inſtar cingentibus. Ante annos non ita multos Reverendus & Clariſsimus vir Dn. D Caſparus Bartholinus P. M. affinis & collega meus honorandus, cum Academiæ ageret Rectorem Magnificum, negotiorum cauſa ad pagum propè Crucisoram **Eggerup** dictum pervenit, ubi, cum in vicinia collem eſſe intellexiſſet, ex quo argillam comportantes, aliqvoties in ollas quasdam inciderunt cineribus refertas; ipſe locum adiit quid ſubeſſet exploraturus. Effoſsâ aliquantulum terrâ, invenit urnam ex cerulea confectam argillâ, cui incluſi cineres & oſsium combuſtorum fragmenta: Quæ ad nos detulit, mihiq; & ollæ fruſtum, & coſtæ partem dono dedit, quæ inter rariora mea poſsideo. Urna detecta diſsiliit in fruſta, mollis enim erat, ſed aëri a-

liquantulum expoſita fragmenta, debitam acqviſiverunt duritiem. Coſtæ pars qvam teneo, triplo major eſt hominum jam viventium coſtis, proportione ad totum habita. Figuram verò urnæ hujus globoſam fuiſſe ex fragmentis colligo.

Sed cum anno cIↃ IↃ c xxxvii. in prædio Lindholmiano Magnifici Dn. Cancellarii, Christiani Frisii de Kragerup filii valetudini infirmiori curandæ vacarem, ex vicino colle ex parte jam diruto, aliquot erutæ ſunt urnæ huic diſsimiles, figuræ cylindricæ, rubicundæ, cineribus & oſsium combuſtorum particulis refertæ. Ex qvibus unam extraxit Nobiliſs. Dn. Axilius Juel de Willeſtrup, mihiq́; dono dedit, trium circiter mēſurarum danicarum capacē. Urnæ hæ tumuli fermè occuparunt meditullium, in coronam diſpoſitæ, lapidibusq́; undiq́; ſtipatæ erāt, ut violētiæ externæ fortius reſiſterent. Hinc liqvet nec ejusdem materiæ, nec figuræ ſemper fuiſſe. Mecum ſentit clariſsimus Hiſtoriographus Regius M. Stephanus Stephanius, qui anno MDCXLI hæc ad me perſcripſit: *Ante quadriennium prope Giordſlevium, amœniſsimum & ſumptuoſiſsimum prædium Magnifici Daniæ Regni Cancellarii & Senatoris illuſtris, Equitis aurati, Heroisq́ ſumma virtute, pietate, ſapientia, gravitate & humanitate Domini Iuſtini Høeg, Patroni & Mæcenatis mei devoto animi cultu æternum proſequendi, ex colliculo quodam arenoſo, à colonis, fortè illic fodientibus, eruta fuit urna vitrea viſendæ pulchritudinis, & miræ ſpiſsitudinis, unius menſuræ capax, fundo concavo, exterius figuris ſexangulis inſignita, interius verò auro oblita, quomodo hodieq́ ſpecula argento vivo induci ſolent. Ea incluſa erat thecæ ligneæ, ex minutiſsimis aſſerculis affabre compactæ, & circulis æreis undiq́ ſecus munitæ, cui etiam operculum ligneum ære obductum, impoſitum fuerat. Hæc urna vacua & operculo diffracto deſtituta ad Magnificum illum virum tum temporis Regiæ hujus Academiæ (Soranæ) præſidem cum delata eſſet, inquirere ſcrupuloſius cœpit, annon cineres, oſſa, aut id genus alia in eadem urna, cum primum effoderetur, reperta fuiſſent? Ve-*

rùm

rum colonis conſtanter negantibus nihil illic, præter pugillum pulveris extitiſſe; veritas nullo modo ab iis potuit exprimi. Nullus dubito quin res prætioſiſſimas continuerit tam egregiè elaboratum vaſculum, quæ ubi perierint, aut quo pervenerint, noſtrum non eſt ſtatuere. In eodem colliculo, paulo ante repertum fuit integrum ſceleton cujus colli vertebris appenſum fuit monile ex varii coloris lapillis conſtans: quorum nonnulli penes me ſunt. Hæc ille. Quod ſi citimæ antiqvitatis hæc urna vitrea, mirari ſatis nequeo, quomodo à putredine huc usq; conſervari ejus capſula & operculum ligneum potuerit. Suſpicor ex urnis ſepulchralibus non fuiſſe, cum nec vitra talia apud nos eo ævo freqventia, nec perennare huc uſq; circumductum lignum potuerit. In manus Chymici cujusdam & chryſopoeias ſtudioſi ſi incidiſset inauratum hoc vitrum cum incluſo pulvere, aureos procul dubio ſibi pollicitus fuiſſet montes & theſaurum qvem tot vigiliis & ſumptibus quærunt alii.

Regios tumulos ad magnitudinem & figuram carinæ maximæ navis, ex iis qvas poſsidebant, fabricatos volunt.

Secunda ætas Hoigold dicta, ea fuit, quâ cadavera integra & non cremata, cum ſuis ornamentis in circulo ex grandioribus confecto ſaxis locabant, aliisq; circumqvaqve tegebant, arenam & glebam terræ exaggerando, usq; dum in juſtam monticuli exſurgeret altitudinem, qui ceſpitibus & aliis ſaxis demum exterius exornabatur. In bello occiſos in unum cumulum conjiciebant, quem *Valköſtet* vocabant, & ſupra eos terram exaggerabant, ut in monticuli ſpeciem agger excreſceret, quod ex Saxone libro 2. colligere datur, ubi Biarconem introducit inter reliqua ſic canentem:

Quanquam adeo ſolus multorum funere letho
Corpora tradiderim pugnans, ut imagine collis
Editus è truncis, excreſceret artubus agger,

F 2 *Et*

Et ſpeciem tumuli congeſta cadavera ferrent.

Qvandoq; in tumulorum apice ingentium ſaxorum ordinata congeſtione tumbam oſsibus recipiendis fabricabant. Cujus generis tumuli etiam prope Lindholmium Friſianum viſuntur quidam, unum rimatus ſum, in cujus ſummitate crypta 30 circiter pedes longa, 15 lata ex grandioribus ſaxis erat confecta, qvorum latus cavitatem ſpectans politum ſic ſatis erat, exteriora inæqualia, ita diſpoſita & minoribus ſaxis ubi opus erat ſtipata, ut interior cryptæ ſuperficies politura vix cederet muro ex lateribus & cœmento coagmentato & ad libellam erecto. Eminebant verò ſupra aggeſtum collis aggerem ſaxorum latera fulcientium apices, qui vaſtæ magnitudinis alio claudebantur, eo fermè modo quo capite 3 delineatum. Ex hac crypta eruebantur oſſa quamplurima, quæ magnitudine reſpondebant, noſtri ævi hominum oſsibus: Unde plane mihi perſuaſum habeo, illuſtris cujusdam familiæ hoc fuiſſe ſepulchrum, cui plures illati, vel bello proſtrati, vel ignobili morte extincti. Nec illa abludit crypta, quæ lib. 1. Annal. Eccleſ. Sleſvicenſ. cap. 2. à Johanne Adolpho Cypræo delineatur, niſi quod noſtra ſupra terram: illa infra, aggere aggeſto & tumulo terreo tecta. In noſtra oſſa multa non uſtulata: in illa urnis clauſa & in cineres fermè redacta. Sic namq; refert: *Anno* MDLXXXVIII (qvo ego hanc lucem primulum aſpexi) *cùm via illa ſalebroſa qvæ ab urbe Sleſvicenſi in Angliam* (Cimbricã nempe) *ducit, ſterneretur, & ex colle vicino terra & arena egereretur, fornax terra cooperta inſtar furni eruta fuit, ſaxis & lateribus concamerata; in qva urnæ aliqvot fictiles, plenæ oſsibus & cineribus continebantur. Oſſa autem igne ſiccata, uſtulata & indurata fuiſſe, color & durities non obſcurè indicabant.* Hæc ille.

Utrumq; hunc ritum defunctos tumulandi ſeptentrionalibus in uſu fuiſſe, ex iis quæ Romanorum Hiſtorici poſteritati reliquerunt, etiam colligere licet. Νεκροκαυςίαν quidem apud nos viguiſſe, indicare videtur Cæſar de

bello

bello Gallico lib. 6, & Tacitus de moribus German. Quod enim ille de Gallis, hic de Germanis (inter quos Gothinos, Marſingos, Oſos &c. recenſet) refert, de noſtratibus pariter intelligendum; in primis cum ait: *Funerum inter illos nullam eſſe ambitionem, id ſolum obſervari, ut funera clarorum virorum, certis ſignis crementur.* Et dum addit: *Struem rogi nec veſtibus, nec odoribus cumulant, ſua cuiq; arma, qvorundam igni & eqvus adjicitur. Sepulchrum ceſpes erigit.* Alterius v. paſsim meminere, ut fruſta ſimus ſi diutius hiſce immorari velim⁹. Idem fermè de Sarmatis Europæis aſſerit Alexander Gvagnini in deductione Sarmatarum, hunc in modum diſſerens: *Sepulturæ eorum erant in ſilvis & agris, tumulosq; aggeſtis lapidibus veſtientes eminenter muniebant, qvod genus in Ruſsiæ regionibus paſsim adhuc viſitur. Nonnulli quoq; more Romano, cadavera cremare, cineresq; collectos in urnas recondere ſolebant.* Nec mirum, cum ejusdem propaginis Cimbri, Gothi, Vandali, Daci, Sarmatæ extiterint. Cur verò non noſtrates modo, ſed etiam Romani cadavera cremaverint, docere tentat Nicolaus Thurius in Commentariolo annalium Herulorum lit. S. hoc pacto: *Romanis mos erat corpora comburere, qvo innuebant vehiculo igneo animum abire in aſtra, qvi ſolus in nobis divinus. Nam ſic corpus qvia terrenum in cineres ſubſideret.* Perſuaſum præterea ſibi habebant veteres, qvod quò altius à cremandorum cadaveribus flamma ac fumus elevaretur, eò Diis ſuis defuncti chariores exiſterent, & qvò plura rogis eſſent injecta, eò ditiores in altera vita eſſent futuri illi qvorum cadavera cremabantur.

Tertia & ultima ætas **Chriſtendoms old** ex modo quo jam nos Chriſtiani demortuos ſepelire ſolemus, determinatur. De qvo non attinet multa dicere, cùm omnibus ſit notiſsimus.

Tumulis verò ſuis non ſolùm cadavera aut cineres inferebant veteres, ſed arma, haſtas, eqvos, aurum, argentum aliaq; defunctis chariſsima κειμήλια. Sic enim in alio repperi M. S.

Prima ætas vocabatur **Brendetijd**, ſive **Ild tijd**, id eſt

 com-

combuſtionis, ſeu ignea ætas, tum cadavera cremabant ac cineres ſaxis miræ magnitudinis cooperiebant, donec in acervum aggeſta aſſurgerent. Olaus Magnus lib.16.cap.37. Sueonum & Gothorum principes juniperini ligni igne crematos aſſerit. Hæc tumulandi ratio, cum Frejer Ungvini filio exſequiæ pararentur, Upſaliæ primò cepit: (Hiſtoria Norvagica Othinum poſt mortem crematum refert) ſed poſtqvam magnanimus ille Danorum Rex DAN, collem ſibi magnitudinis conſpicuæ exſtruxiſſet, (cui poſt obitum regio diademate exornatum, armis indutum, & eqvo omnibus ornamentis inſtructo impoſitum, inferendum eſſet cadaver, additis multis auri argentiq; talentis) abrogari cepit prior tumulandi ratio & nova hæc introducta, qvam ultro amplexi ſunt ejus poſteri atq; amici. Atq; ſic incepit ſecunda ætas dicta Højelſetiid, ſeu tumulorum ætas. Quamvis in Svecia & Norvegia prior illa diutius duraverit.

Ornamenta varia & *κειμήλια* tumulis regum unà cum cadaveribus illata fuiſſe, partim ex ſuperioribus conſtat, partim ex his qvæ ſeqvuntur.

Hiſtoria Olai Tryggonis Norvagiæ regis refert, eum multa anteceſſorum ſuorum demoliri curaſſe buſta ac tumulos, ut incluſos theſauros in meliores converteret uſus. Ex qvibus grandem qvoq; ipſum corraſiſſe auri argentiq; ſummam relicta teſtantur monumenta. Quæ ab amicis & aliis unà cum cadavere inferebantur, titulo *munerum* donabant Romani. Sic namq; Tibullus lib. 2. Eleg. 4:

Seu veniet tibi mors, neq; erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mœſtas munus in exſequias.

Et Statius lib. 3. Argonaut:

Vos, age, funereas ad littora volvite ſilvas,
Et ſocios luſtrate rogos; date debita cæſis
Munera, quæ noſtro miſiſſet Cyricus igni.

Idem 3. Silvarum:

Non arſura feremus
Munera: venturosq; tuus durabit in annos,
Me monſtrante, dolor.

Ante annos haud ita multos in tumulo propè Lethram Selandiæ, magna denariorum argenteorum copia urnæ cùm aliis pretioſis incluſa à ruſtico quodam reperta eſt. Ex his illi quos ego dono accepi, hanc oſtendũt epigraphin: CNUT REX AN. Item ETHELRED REX ANG:



Denarios hos à Guilhelmo Lambardo in *ἀρχαιονομίᾳ* deſcriptos inveni: qui horum 240 pondo unum æqvare: ſolidum autem anglicum qui libræ viceſima eſt pars, duodecim continere aſſerit.

Varia ac mira adhuc indies è tumulis ejusmodi eruuntur. Non ita pridem in Diœceſi Ripenſi, unà cum urnis effoſſa eſt haſta lapidea ex ſilice affabre elaborata, qvam Naturæ an artis eſſet opus dubitarunt qvotqvot eam apud me viderunt.

In tractu Alburgenſi juxta urnas ferrum ſemilunare politiſsimũ, convexa ſui parte acutum invenit quidam, qvod cum hac inſcriptione ad me delatum: *Agricola Agardenſis fide dignus, collem qvendam ædibus ſuis auſtralem ante ſexennium, in culturam cum familia complanare aggreſſus eſt. Mox in ollam quandam luteam oſsibus quaſi pulveriſatis refertam incidit, qvæ lapide quodam plano ac lato integebatur. Omnia diligentius perluſtrans, ferrum qvoddam nitidum & politum inter cætera invenit, novilunii figuram exhibens, qvod hiſce incluſum transmitto.* Miror equidem ferrum hoc, tot annorum decurſu terrenæ uligini incluſum, rubigine haud infectum, cum jam paucis annis loco ſicciore in char-


ta

ta aſſervatum ex parte eroſum conſpiciatur. In Norvegia propè Hollojen in Mandalenſi territorio, non ita pridem duæ effoſſæ ſunt urnæ, in qvarum altera cineres & oſsium reliqviæ, in altera inſtrumentum muſicum Danis en Mundharpe ex cupro deaurato nitidiſsimo, ſuo ſplendore omnes in admirationem trahens.

Johannes Adolphus Cypræus Annalium Eccleſ. Sleſvic. l. 1. c. 2 varia proponit hujus generis in agri Sleſvicenſis tumulis reperta, in defunctorũ honorem & memoriam terræ & urnis mandata, ex qvibus hæc referre lubet. *Anno 1554 in tumulo urbi noſtræ vicino inventus fuit pugio duas ſpithamas longus ex ære vel cupro fuſus. Sagitta item ærea & alia inſtrumenta bellica. Qvin & calcar æreum viro forti ac bellicoſo, & fuſum Matronæ ſedulæ veteres appoſuiſſe conſtat, ut indicio ſunt calcar æneum & ſuſus cupreus in hujusmodi tumulis inventa mihiq́ exhibita, quæ penes me exſtant, & ab hæredibus meis adſervantur. Sed & oſſa humana complura ſemiuſta eodem in loco deſoſſa fuerunt. Qvin & ex tumulo qvodam propè villam Tuetam ſito, urnæ complures unà cum oſsibus uſtulatis mihi exhibitæ fuerunt, ea occaſione inventæ, qvod viæ ſternendæ arena è monte egereretur. Quibus ego adductus, montem conſcendi, ſpathisq́ admotis, urnas unà cum oſsibus eruendas curavi, qvibus adeò abundabat collis, ut vix pedem alicubi poneres aut ſpatham imprimeres, qvin urnarum & oſsium reliqviæ ſeſe exhiberent, & terra contectæ detegerentur.* Quod de pugione æneo refert, illud pluribus exemplis confirmare poſſem, ſi neceſsitas id flagitaret. Integrum ejus generis adhuc tenet inter κειμήλια Reverendus & Clariſſimus vir Dn. D. Jacobus Matthias Regiæ Majeſtati à ſacris, affinis meus dilectus, hic in Selandia propè Crucisoram è tumulo effoſſum, cujus hic litera A. damus iconem. Manubrium longum eſt uncias tres, acies reliqva pedem unum, ejusque latitudo unius unciæ cum ſemiſſe eſt. Fragmenta duo ſimilis pugionis & ego poſsideo, in Cimbria prope Ripas in tali monumento reperta. Sic non ita pridem ad me ſcripſit Clariſsimus *Stephanius:* æſtate ſuperiore in urna qvadam propè Kalundeburgum effoſsâ, unà cum cinere copioſo &

adu-

ſtis oſsiculis, inventum fuiſſe cultellum æreum, quem inter crepundia pueruli illic olim cremati, reponendum nonnulli conjiciunt. Ipſe verò inter ἀξιοθέατα ſua, veluti citimæ antiquitatis κειμήλιον aſſervat. Mihi videndum cum tranſmiſiſset hac forma delineari curavi. C. Calcar unum ſtupendæ longitudinis ſupra memoratus Reverendus & Clariſsimus Dn. D. *Iacobus Matthias* etiam è tumulo qvodam erutum tenet, qvod cum & magnitudine & figura ſit viſendum, hic qvoq; litera B. depingi curavimus. Longitudo totius eſt pedis unius & unciarum trium, ejus arcus qvi calcaneum cinxit unciarum trium cum dimidia, axis ſeu ſpina qvæ ſtellam continet decem, ſtella radiis acutis duodecim cõſtans in circumferentia ſeſqvipedem cum dimidia uncia tenet. Partem exteriorem tam arcus qvam ſpina exornat litera H. ad priſcam & obſoletam formam conflata, corona regia inſignita & appendice ad imum volubili exornata, novies repetita. Centrum ſtellæ una reliqvis grandior ejusdem figuræ occupat. Regis cujusdam *Haraldi* fuiſſe calcar proculdubio innuit hæc litera coronata, ſed cujus præcisè, noſtrum non eſt divinare. Obſervare & hic licet, arcum qui pedem ſtringit majorem non eſſe qvam ut commodè meo quadret calcaneo, unde colligere datur nequaquam giganteæ, ſed potius mediocris ſtaturæ hominem fuiſſe qui illud poſsidebat. In Archivis meis calcar & ego poſsideo, ſub terra ante annos aliqvot inventum, qvod non minorem ſapit antiqvitatem, qvamvis figura à priore multum diſcrepet. Arcus calcaneo cingendo deputatus in angulum acutum fermè & oblique dilatatum deſinit, qvà ſpinam capit qvatuor pollices excedentem; nec recta linea pedem amplectitur, ſed inclinato utroq; brachio ac rurſum elevato, utrinq; V Romanorum effingit. Stella verò extremitati ſpinæ inſerta parvula eſt, duodecim interim radiis (qvorum qvidam carie conſumpti) inſignita, ut in tabella litera E expreſſum vides. Longitudo totius octo eſt pollicum. D. litera, fragmenta pugionis ærei ſupramemorata exhibet.



Hujus generis infinita adducere poſſem, ſed hæc in ſuperiorum confirmationem ſufficiant.

Imo exempla non deſunt eorum qui ſe vivos cum amici cadavere tumulari voluerunt. Refert namq; Saxo lib. 5: *Aſmundum ob amicitiæ jusjurandum, vivum ſe cum Aſviti cadavere (qvod cum cane & eqvo terreno mandabatur antro) contumulari ſuſtinuiſſe, cibo qvo veſceretur illato.*

Cœterum qvod ſupra ex manuſcripto allatum, Ungvinum primum fuiſſe, qui ritum cadavera cremandi introduxerit, neqvaqvam cum Saxone noſtro convenit, qui lib. 5. hiſtoriæ Danicæ, Frotonem Magnum (qvi longè ante Ungvinum vixit, utpote tempore nati Chriſti, qvemq; triginta ſeqvebantur reges, qui ipſum amicitia & obſeqvio colebant) de hiſce cadavera cremandi ritibus leges tuliſſe memorat. Inter reliqua hæc proferens: *Frotho convocatis qvas vicerat gentibus,*

bus, lege cavit, ut quisquis paterfamilias eo concideret bello, cum eqvo omnibusq; armaturæ ſuæ inſignibus tumulo mandaretur. Qvem ſi qvisqvam veſpillonum ſceleſta cupiditate tentaſſet, pœnas non ſolum ſangvine, ſed etiam inhumato cadavere daret, buſto atq; inferiis cariturus. Siquidem par eſſe credebat, ut alieni corruptor cineris nullo funeris obſequio donaretur, ſortemq; proprio referret corpore, quam in alieno perpetraſſet. Centurionis verò vel Satrapæ corpus, rogo propria nave conſtructo funerandum conſtituit. Dena autem gubernatorum corpora, unius puppis igne conſumi præcipit. Ducem quempiam aut regem interfectum proprio injectum navigio concremari. Tam ſcrupuloſam ducendis interfectorum funeribus obſervationem præſtari voluit, ne promiſcuos exſeqviarum ritus exiſtere pateretur. Ex quibus facili negotio qviſpiam collegerit etiam hujus regis ætate utrumq; funerandi modum in uſu fuiſſe, ſiqvidem patresfamilias cum ornamentis non crematos, tumulis inferri decrevit, centuriones verò Duces ac Reges rogo imponi.

Cavere interim legibus ſuis Frotho non potuit, qvin poſteritas ſpe lucri, magnatum tumulos violare, eorumq; cava rimari anniteretur; non ſine inſigni vitæ, ſanitatisq; diſpendio. Recentiora qvæ in ore omnium ſunt, hic non repetam, lubet ſaltim audire, qvæ Saxo lib. tertio referat de Haraldo, Balderi buſtum, (opum potiendarum ſpe incenſo) perfodere attentante: *Hunc* (collem ſc. in qvo Balderus tumulatus) *qvidam noſtri temporis viri, qvorum præcipuus Haraldus erat, vigente veteris ſepulturæ fama, ſpe reperiendæ pecuniæ noctu adorti, repentino cæptum horrore liquerunt. Ex ipſo namq; perrupti montis cacumine, ſubita torrentis vis, magno aquarum ſtrepitu prorumpere videbatur, cujus rapidior moles incitatiſſimo lapſu, ſubjectis infuſa campis, qvicquid offendebat involveret. Ad cujus impetum deturbati foſſores, abjectis ligonibus, variam carpſere fugam. Irruentis aqvæ vorticibus implicandos ſe rati, ſi cœptum diutius exſeqvi niterentur. Ita à Diis loci illius præſidibus incuſſus ſubitò metus, juvenum animos avaritia abſtractos ad ſalutis curam convertit, neglectoq; cupiditatis propoſito, vitæ ſtudioſos eſſe docuit.* Plura in hunc ſenſum apud ipſum lege. Plin. lib. 7. cap. 54: *Ipſum cremare apud Ro-*

manos veteris inſtituti non fuiſſe putat, at poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc inſtitutum. Alii arbitrantur antiqviorem apud Romanos fuiſſe corpora cremandi morem, qvam Plinius putat, eò quod apud Plutarchum Numa corpus ſuum uri vetet, itemq; rogum vino aſpergi, teſte eodem Plinio lib. 14. cap. 12. & Ovidius 4. Faſtor. de Remi funere hæc habet:

Arſuroſq; artus unxit, fecere qvod ille
Faſtulus & mœſtis Acca ſoluta comas.
Tunc juvenes nondum facti flevère quirites,
Ultima plorato ſubita flamma rogi eſt.

Cæterum cum uſtulandum corpus erat, digitum ut inferias perſolverent excipere ſolebant. Hinc illud Feſti: *Membrum abſcindi mortui dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad qvod ſervatum juſta fierēt reliquo corpore combuſto.* Os etiam excipiebatur, ſi qvis foris obiiſſet ut domi parentarentur & familia purgaretur. Cicero 2 de LL. *Neq; neceſſe eſt ediſſeri à nobis qui finis funeſtæ familiæ, qvod genus ſacrificii lare vervecibus fiat, qvemadmodum os rejectum terra obtegatur.* Varro lib. 4. *Quod terra ſit humus, ideo humatus mortuus, qui terra ſit obrutus, ab eo qvi Romanis combuſtus eſt, aut in ſepulchrum ejus objecta gleba non eſt, aut ſi os exceptum mortui ad familiam expurgandam, donec in purgando humo non eſt opertus, ut Pontifices dicunt, quo ad inhumatus ſit, familia funeſta manet.* Referunt qvoq; morem fuiſſe corpori urendo in rogo oculos aperire exſpiranti à neceſſariis, opertos & cœlo oſtendi, inq; os nummum δανακὴν inſeri, unde Charonti naulum ſtygiam paludem tranſiturus ſolvat. Conſtat qvoq; edentulum puerum cremari fas non fuiſſe, ſed condi terra religionem tradidiſſe, qvod illum divinum evaſiſſe crederent.

Hiſtoria Norvagica mox in principio, Othino ritum cadavera cremandi aſcribit, refert namq; Othinum legem condidiſſe, ut omnes mortui, unà cum bonis & ornamentis po-

tiori-

tioribus igne comburerentur, addens ſuperis eò gratiores futuros, quo plura ſecum in flammas traxiſſent.

Si quis verò particularius ſcire geſtiat, qvâ pompâ, quâve ſolemnitate regum ſtrui ſolita ſint buſta, toties laudatum noſtrum autorem conſulat lib. 8. ubi eleganter omnes ritus proponit qvibus Ringo, occiſi à ſe Haraldi corpus rogo imponi curavit. Sic autem ille: *Poſt hæc Sveonibus paſſim inter promiſcuas cadaverum ſtrues Haraldi corpus exqviri præcepit, ne regium funus debitis fraudaretur inferiis, igitur revolvendis interfectorum corporibus avidæ plebis injicere operam cepit. In hanc curam dimidium diei extractum eſt. Tandem cum corpore reperta clava, Haraldi manibus parentandum ratus, eqvum qvem inſidebat regio applicatum currui aureis ſubſelliis decenter inſtratum ejus titulis dedicavit. Inde vota nuncupat adjicitq; precem, uti Haraldus eo vectore uſus, fati conſortes ad tartara antecederet, atq; apud præſtitem orci Plutonem ſociis hoſtibusq; placidas expeteret ſedes. Deinde rogum exſtruit, Danis inauratam Regis ſui puppim in flammæ fomentum conjicere juſſis. Cumq; ſuperjectum ignis cadaver abſumeret, mœrentes circuire proceres, impenſiusq; cunctos hortari cepit ut arma, aurum & quodcunq; opimum eſſet, liberaliter in nutrimentum rogi, ſub tanti taliterq; apud omnes meriti regis veneratione transmitterent, cineres quoq; perustі corporis, urnæ contraditos Lethram perferri, ibiq; cum equo & armis, regio more funerari præcepit.* Hæc fuſius adducta, quia multum ad totius hujus negotii illuſtrationem facere exiſtimo. Libro 3. Gelderi Regis Saxoniæ, maritimo perempti bello, exſeqvias brevioribus perſtringit: *Gelderum*, inqvit, *Saxoniæ Regem, remigum ſuorum cadaveribus ſuperjectum, de rogo navigiis extructo, impoſitum pulcherrimo funeris obſequio extulit, cineres ejus perinde ac regii corporis reliqvias non ſolum inſigni tumulo tradidit, verum etiam plenis venerationis exeqviis decoravit.*

Nec planè abludit ab ea funerandi ratione qvam deſcribit Virgil. 11. Æneid. inter reliqva hæc habens:

Hinc alii ſpolia occiſis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas enſesq; decoros,

Frenaq; ferventesq́; rotas, pars munera nota
Ipſorum clypeos & non felicia tela.

Apud Homerum Elpenor Ulyſſem rogat, ut ſe cum armis comburat lib. 5 Odyſs:

Ἀλλά με κακκῆαι συν τεύχεσιν ὅπλα μοὶ ἐςιν.

Hercules apud Senecam clavam ſuam, qvâ tot monſtra perdomuit, unà ſecum in rogum ut conjiciant, ſic decernit in Hercul. Oeteo:

Hic nodus nulla quem capiet manus,
Mecum per ignes flagret: hoc telum Herculem
Tantum ſeqvetur.

Sepulchris omnibus ſuis partibus abſolutis, præter dicta jam ornamenta & ſepimenta, grandiora qvædam impoſuerunt ſaxa, quæ verè monumenti titulos illis conciliarent. Hæcq; idem nobis præſtabant, qvod Ægyptiis pyramides, Romanis columnæ & ſtatuæ, de quibus ita canit Lucanus lib. 8:

Cum tibi ſacrato Macedo ſervetur in antro,
Et Regum cineres exſtructo monte qvieſcant,
Cum Ptolomæorum manes ſeriemq; pudendam
Pyramides claudant, indignaq́; Mauſolæa.

Hæc autem ſaxa, vel omnis literaturæ erant expertia, & plerumq; aræ in modum coagmentata, tribus oblongioribus quartum grandius & latius fulcientibus, de quibus ſupra à nobis actum: vel literatura patria, titulos defuncti, aliaq; ornamenta oſtentabant, qvæ ἐπιγραφὴν ipſam ſplendidiorem reddebant, de qvibus nobis ex profeſſo jam agendum. Atq; ſic univerſum ſepeliendi ritum hiſce claudebant.

CAPUT OCTAVUM.

De vallo Danico, vulgò Danewircke.

Ad

AD hanc monumentorum claſſem non immeritò, referri poſſent varia propugnacula ex terrâ & lapidibus ſtupendo opere in hiſce oris exſtructa; ſed hanc curam aliis relinquens, unum neqvaqvam hic præterire valeo, vallum ſcilicet illud inſigne, quod exterorum incurſibus objectum fuit, per Iſthmum Cimbricum, à ſinu Oceani Britannici in mare Balthicum deductum, à Saxone lib. 13 *Danorum opus* dictum, de cujus primo fundatore non omnes convenire video. Paulus Æmylius rerum Gallicarum ſcriptor, Gottofredo Daniæ regi, prima hujus valli tribuit fundamenta, ſic differens: *Danorum Rex Gothofredus finibus ſuis non contentus, dum imperium Germaniæ, bellis Francorum feſſâ ſpe ſibi deſtinat, congredi cum Carolo auſus, terra victus: qvod peninſulam incolens, mari plus valere ſe putaret, qua Francorum bello patebat, foſſa aggereq́ ac vallo præmunit, una omninò porta relicta. Intraq́ munitiones ad oceanum usq́ utrinq́ promotas, retraxit imperium, multarum gentium conventu frequens.* Quod & Aimoinus lib. 4 de geſtis Francorum notavit.

Idem aſſerit Chriſtianus Cilicius belli Dithmarſici lib. 1. *Vallum,* inquit, *illud, adhuc noſtro tempore muris & aggeſta terra inſigne, qvod à noſtris* Danwerck *hoc eſt Danorum opus appellatur, & propter Caroli Magni exercitum adventantem à Godofredo Daniæ rege ſtructum, perductumq́ eſt à ſinu Oceani Britannici* Slye *dicto (haud procul Sleſvico & Gothorpia) usq́ ad Hollingſtadium, qvod Eidora amnis in Germanicum mare ſe exoneraturus alluit.* Hæc Caroli Magni cum Godofredo (noſtratibus Gotrico) ſimultas, vigebat circa annum Chriſti DCCCVIII. quo tempore exſtructum etiam fuiſſe hoc vallum veritati conſonum eſt.

Saxo noſter ut & pleriq; alii, Thyræ cognomento Danebod Ethelredi regis Angliæ filiæ, Gormonis conjugi, caput Majeſtatis Danicæ vulgò appellatæ, hoc opus tribuit, rem totam hiſce lib. 10 percenſens: *Poſt hæc Thyra, quo patriam à clandeſtinis exterorum irruptionibus tutiorem præſtaret,*

ret, quantum à Sleſvico ad occidentalem Oceanum patet, vallo foſſaq́; proſcindere aggreſſa eſt, ſuperq́; jacto aggere, tenaciſſimi operis terrenum molita eſt munimentum. Hunc ſequitur Crantzius lib. 4 Daniæ de Haraldo diſſerens cap. 21. in hunc modum: *Cupiens autem idem Rex matri pro ſua virtute perenne monumentum inſtruere, quod Daniam vallo communiſſet, ingens ſaxum in littore repertum, multarum manuum ope vix eruendum aggreſſus eſt.* Item Sueciæ lib. 5. cap. 8: *Erat is Haraldus qui ad tempora primi Ottonis pervenit, cujus mater Thyra Angliæ Regis filia, longiſſimum illum jecit aggerem qui hodie quoq́; cernitur à mari ad mare porrectum. Pudebat, tædebatq́; optimam fœminam Saxones quoties vellent, in Iutiam irrumpere, ideo clauſtris voluit cohibere.* Ericus Pomeranus Thyram ligneam tantum hanc mnnitionem feciſſe refert. Proculdubio aggeſtam molem ad latera ſudibus & palis muniendo, vel etiam in ſummitate coronando; quò inclinat Huitfeldius noſter. Hiſtoria Julinenſis refert ab auſtrali valli latere foſſam fuiſſe decem orgiarum latam, totidem profundam. Supra verò ex trabibus & lignis propugnaculum firmiſsima junctura exſtructum, ita ut in eo ex eadem materia turres extiterint centum orgiis à ſe invicem diſtantes, ex quibus hoſtes armis excipere, ſeque validè defendere potuerint. Qvod procul dubio opus fuit Reginæ Thyræ, de quo Ericus Pomeranus. Unde forſan Lætus noſter colligit lib. 4 rerum Danicarum Haraldum primum omnium firmiorem terra conſtantem hunc aggerem reddidiſſe, dum ita canit:

Hic ille eſt ſolido primus qui Cimbrica vallo
Muniit arva, ſoliq́; ingens è corpore dorſum
Eruit, immani quod ſe curvamine, longos
Incitat in tractus, mediumq́; perambulat Iſthmum,
Et maris Eoi ripas cum littore jungit
Heſperio, ac tenuem Sleſvici reſpicit urbem!

Quod confirmat Hiſtoria Norvagica Snorronis Sturlæ

quæ

quæ refert Haraldum, profligato Otthone Imperatore conſilio Haquini comitis, munimentum hoc validius ac firmius multò aggeribus & foſsis reddidiſſe. Cum verò à quibusdam Thyræ, à quibusdam Haraldo hoc opus tribuatur; credibile, poſt obitum Gormonis ab utrisq; hoc præſtitum matre ſcilicet & filio: hoc operas, illâ conſilia ſuppeditante. Ita namq; Johannes Adolphus Cypræus Annalium Eccleſ. lib. 1. cap. 10: *His rebus adducti, & autoritate Reginæ permoti, opus illud admirabile & æterna memoria dignum aggredi conſtituerunt. Et ut in opere tanti momenti laboris æqualitas ſervaretur, anguſtias illas Iſthmi inter ſe partiti ſunt, idq; ſortibus opere diviſo. Quarum una pars Scaniæ, alia Sælandiæ, tertia Fioniæ excitanda atq; vallanda ſorte obtigit. Scaniæ illa pars cecidit quæ à porta illa quæ vulgò Kalegatum appellatur, Hollingſtadium usq; protenditur: Selandis autem & Fionibus portio illa, quæ à porta verſus Sliam vergit obvenit. Cujus rei adhuc veſtigia evidentiſsima ſuperſunt, & antiquitatis ſtudioſo ad oculum demonſtrari poſſunt. Et quo cibariorum copia ſuppeteret, commeatum ad alendam multitudinem eorum qui foderent & opus facerent, Iuti & Sleſvicenſes ſublevarunt & comportarunt. Vallum autem etiam foſſa alta circumdederunt & cinxerunt, quæ adhuc ubiq; conſpicitur.* Hæc fuſius adducta, qvod modum ac media qvibus hoc op9 exſtructum contineant; qvæ apud alios non inveni.

Hiſce licet expreſsè aſſerant Thyram Reginam & Haraldum hujus valli molem ſtruxiſſe atq; opus ad umbilicum perduxiſſe, ut Saxonum comprimerent petulãtiam, in Cimbriam crebras irruptiones molientium; nihil tamen impedit quò minus ſtatuamus, à Gotrico primam ejus ductam lineam, & forſan rude opus inchoatum, qvod poſteà Thyra cum filio auxit vel collapſum reſtituit, alii verò ad ſummam perfectionem deduxerunt. In qvâ ſententiâ video etiam eſſe celeberrimum noſtrum Hiſtoriographum Joan. Iſaac. Pontanum Hiſt. Dan. lib. 5. in Haraldo.

Waldemarum namq; primum Daniæ Regem cognomento Magnum, etiam ſymbolam ſuam huic operi contuliſſe, & muri auctuarium addidiſſe refert toties nobis lauda-

tus Saxo, loco ſupra citato: *Cui poſtmodum*, pergit, *Waldemari Regis Abſolonisq́; Danicæ gentis antiſtitis, conſimilis erga patriam pietas, murum cocti lateris ſuperjecit, uti potius veteris valli occiduos lapſus, ſolidior novæ molis ſtructura reficeret, quam debilem ejus ſitum crebrior in poſterum ruina ſubmitteret. Siquidem priori munitione fundamenti loco uſi, imperfectum fœmineæ virtutis propoſitum virili prudentiâ, compleverunt, tantò excellentius opus edentes, quanto ſe muliebri noverant induſtria clariores.* Quod ita expreſſit Lætus:

Hic vallo murum impoſuit, quà Cimbrica mole
Cherſoneſus ab externo ſeſe hoſte ſolebat
Tutari, ac ſubitos objectu arcere tumultus.

Murus ille multis in locis ſeptem pedes latus obſervatur & octodecim altus, qvamvis magnâ ex parte jam lateres eruti & ipſe dirutus ſit, ita ut rudera ſaltim ſuperſint. Lateres ex qvibus compactus, in pagis *Schbuja* & *Hesbuja* coctos fuiſſe ex fornacum reliqviis colligunt quidam; Calcem verò ex Gotlandia navibus advectam ſtatuunt. Cypræus ſupra citatus aſſerit Reginam Daniæ Margaretam, qvam Nigram vocant Scriptores, vallum tertiò reficiendum & inſtaurandum, murisq; ac foſſis pedum viginti muniendum curaſſe, idq; circiter annum à nato Chriſto M. C. LXXXIII. Canuto Woldemari filio regnante, hoc eſt annis CCC. LXXX. poſtqvam Thyra Regina vallum inſtauraverat, temporibus nimirum Friderici primi Imperatoris Romani. Sed quænam fuerit Margarita Nigra apud noſtros non invenio hiſtoricos. Frater hujus Cypræi Philippus nomine, in Genealogia regum Daniæ Anno M. DC. XXII Hafniæ edita, refert Woldemarum I. inſtinctu prioris Conjugis Margaritæ Nigræ, vallo Danico murum cocti lateris ſuperjeciſſe. Obiit autem hic Woldemarus Anno M C LXXXIV. Quomodo igitur Margareta hæc, anno uno ante ejus obitum, qvod nunc ab ipſo reparatum erat, iterum reſtaurare potuit? Tertia igitur hæc reparatio, eadem eſt cum ſecunda Waldemari, quæ non inſtinctu Margaretæ Reginæ, aut ab ea facta eſt;

ſed,

ſed, docente Hvitfeldio noſtro, rogatu Epiſcopi Abſolonis Anno M C L VIII abſoluta eſt, ut Saxones & Sclavos regno arcerent, inchoata verò videtur Anno M C LXIII ſi fides habenda Chronico Erici Regis, qvod ad annum dictum hæc recitat. *Tunc Rex malitias Tevtonicorum prævenire volens, munitionem Danevirke muro circumcinxit: ante enim lignis tantum munitus erat locus ille.*

Tam grande, immenſum & admirabile humanæ induſtriæ & roboris monumentum, jam adeò concidiſſe ut vix quibusdam in locis ejus adhuc conſpiciantur rudera, vehementer dolendum. Dum enim in ſuo ſtetit vigore vix erat quod robore cum eo certare poterat, adeò ut inſuperabile Cimbriæ propugnaculum ſuo ævo ab omnibus habitum ſit. In ejus præſidio quandoq; ſexaginta millia hominum collocata fuiſſe legimus. Cum enim Henricus Leo, circa annum M C L X X VII, irruptioem in Daniam moliretur, id diſſvaſit Bernhardus Razaburgenſis, quod ſciret *Danevirka cuſtodiam Danorum ſexaginta millibus mandatam eſſe*, referente Pontano lib. 6 Rer. Danic. in Hiſt. Woldemari I.

Hinc Sveno cum ſe vi illud perrumpere haud poſſe vidiſſet, dolo & largitionibus ſibi viam ſtruere coactus eſt. Quod qvibus mediis perfecerit docet Crantzius Daniæ lib. 5 cap. 38. *Qvumq; perventum eſſet*, inqvit, *ad grande vallum qvod Danorum opus dixere, præmiſit qvi clauſtrorum cuſtodem ingenti pecunia corrumperet, ut reſeratis portis, ſine oppugnatione tranſitum permitteret. Ille pactus pecuniam, juſto ſe regi miniſterium præbuiſſe ratus, pecuniam accepit. Sed tum Pontifex dignum eſſe ait, qvod cum ipſa proditionis mercede, autor uno portis laqveo figeretur.* Portis igitur & repagulis firmiſsmis obſeratum olim fuiſſe & hinc liqvet. *Erant*, inqvit Pontanus Rerum Danic. libro V, *in hoc aggere extructæ turres vel ſpeculæ potius, per intervalla ita diſpoſitæ, ut ex iis eminus adventantem hoſtem facile eſſet animadvertere, atq; aditu prohibere.* Nihil igitur hic qvod ad juſti munimenti (juxta ejus ſæculi normam) ſtructuram deſiderare quis potuit, abfuiſſe colligimus. De eo & hæc addit Jonas

Coldingenſis in ſua Daniæ deſcriptione: *Viſuntur etiamnum prope Slesvicum, ubi Cimbricæ Cherſoneſi Iſthmus cernitur, foſſarum & aggerum memorabilia veſtigia conciſſa, quæ* Danewirck *(hoc eſt opus Danorum) nuncuparunt. Qui agger profunditate, quâ Holſatiam ſpectat, inadibilis, ſexaginta pedes latus, totidemq; altus, hoſtibus arcendis, inſtar obicis objectus, ſpacio Germanici milliaris à maris orientalis littore, ad occidentalis oceani ripas exactè perductus. Quem bono conſilio majores confecere, eiq; Liminarcham cum cuſtodibus limitaneis è perpetuis regni ſumptibus præfecere circa annum Chriſti DCCCCXL ut eo vallo tamqvam munimento ſolido clauſi ab incurſionibus atq; latrociniis vicinorum Saxonum tutiores eſſent.* Quæ omnia cum ſuperioribus exactè conſonant. Quanta enim Romani Imperii coacta vi, qvantisq; machinamentis uſus ſit Ottho II Romanorum Imperator, anteqvam molem hanc perrumpere & in Cimbriam penetrare valeret, abunde docet Dithmarus Merspurgenſis chronolog. lib. 3 ubi narrat eum coactum fuiſſe in ſubſidium alios Germaniæ Principes vocare, ac inter eos avum ipſius Dithmari. Verba addam, ut res fiat manifeſtior. *Danos* inqvit, *ſibi rebelles petens ad Slesvig properavit, ibi etiam hoſtes ſuos foveam quæ ad defenſionem patriæ parata eſt, & portam qvæ Wiglesdor vocatur armis præoccupare videns, conſiliis Bernhardi Ducis & avi meimet Henrici Comitis, omnes has munitiones viriliter exſuperat.* Claudebatur, tum temporis, ut apparet, hæc moles porta unica Dithmaro Wiglesdor (forſan à Rege Wigleto) quæ firmis adeo repagulis, vigilibusq; ſtrenuis aſsidue muniebatur, ut ab omni exterorum inſultu, totiusq; Romani Imperij impetu, ea tuti ſibi viderentur Daniæ incolæ. Huc ſpectat & illud quod ſupra de Svenone ex Crantzio retulimus, qvi cum vi neqviret, dolo uſus eſt, ejus ſepta ut penetraret. Johannes Adolphus Cypræus portam hanc *Kalegatum* vocatam fuiſſe ait, appellatione inde petita, qvod in loco undiq; patenti & aperto, nullisq; arboribus aut ſilvis impedito, ea ſita ſit, qvaſi dicas kael / ſchlecht vnd offen. Quin addit, arcem etiam & caſtellum adhuc hodie monſtrari, ubi Thyra domici-

micilium habuerit, non procul à pago Dennenwirchio parvo, qvod vallo contiguum eſt & cohæret, idq; adhuc ea qvæ ſuperſunt rudera, vallorum veſtigia & foſſas oſtendere.

Operis haud diſsimilis fuiſſe videtur murus ille celeberrimus Romanæ provinciæ limes in Brittania, qvem *vallum Barbaricum*, *Prætenturam & Cluſuram* qvidam antiqvorum vocarunt, Antoninus & Caſsiodorus *vallum*, Beda *Murum*, Brittanni *Gvalſever* & *Murſever*. Scoti *Sotiswaith*, Angli *The picts-wall*, murum Picticum & *The Keepewall*, cuſtodiæ murum Angliam à Scotia dividentem. In eo enim plures laborarunt, inter qvos primus Jul. Agricola ſtatuitur, poſt qvem Hadrianus Imperator, hunc enim murum per LXXX mill. paſſuum duxiſſe refert Spartianus, qvi Barbaros Romanosq; divideret. Poſt hunc ſub Antonino Pio Lollius Urbicus. At longe firmius Severus qvi teſte Oroſio: *Magnam foſſam firmiſſimumq; vallum crebris turribus communitum per CXXII mill. paſſuum à mari ad mare duxit.* Alii deinde operas ſuas contulerunt, donec de novo ſexta exſurgeret prætentura, de qva ut & tota hac re fuſe diſſerentem lege Cambdenum in Angliæ deſcriptione.

Chinenſe regnum Septentrionem verſus, montibus & muro longiſsimo cinctum ferunt Cosmographi, ut à Tartarorum irruptionibus tutum ſit, opus ipſum extruente rege qvodam Tzinzoo, literis ac lingvis multorum ad cœlum usq;, hanc ob cauſſam, ſublato. Quantò æqvius noſtros æſtimamus tantum munimentum aggredi auſos, qvod à Britanico Oceano in mare Balticum per totam Cimbriæ latitudinem ſe extendebat, tantæ molis & roboris, ut maximas Imperatorum ac Regum copias excludere, omniumq; hoſtium viribus reſiſtere valeret. Sed cum apud exteros, ſuos etiam habeat ebuccinatores hoc opus, ne actum agam, hic receptui canam, lapidum miranda aggreſſurus.

CAPUT NONUM.

De lapideis monumentis Danicis.

VIdimus hactenus ea monumentorum genera qvæ vel ex terra ſola, vel ex terrâ junctis lapidibus fabricavit vetuſtas, ut ea jam diſpiciamus, qvæ ſolis conſtant ſaxis, ordinis poſtulat ratio. Eā verò in duplici extitiſſe differentia ex ruderibus adhuc conſpicuis colligimus. Qvædam enim ex ſaxis conſtabant literatura priſcâ, vulgò *Runicâ*, exteris *Gothicâ* exaratis: qvædam ex rudibus qvibusdam illiteratis, certo tamen ordine & ſerie diſpoſitis. Ex hiſce qvædam *fora* conſtituebant, in qvibus jus ſecundum leges & ſtatuta cuiq; adminiſtrabatur: qvædam *loca comitialia* deſignabant; in qvibus etiam Regum & Imperatorum electio ſolemni ritu peragebatur: quædam *circos* claudebant, in quibus gigantes & pugiles duello ſtrenuè decertabant: quædam deniq; loca indicabant in quibus integri exercitus fuſi & debellati, *Trophea* dixeris. Quorum apud nos autor ſtatuitur Othinus, teſte Hiſtoria Norvagica.

Duellorum quidem indicia, ſaxa longo ordine, recta linea diſpoſita, eſſe voluerunt; quandoq; verò unicum ſolum, ingens tamen vel magnum, quod ex A. Bremenſis hiſtoriæ lib. 2. capite 9 liquet; Sic enim hoc loco autor: *Ad vadum qvod dicitur* Agrimeſwedel *aſcendit, ubi & Biurgvido fecit duellum contra Campionem Slavorum, interfecit eum, & lapis in eodem loco poſitus eſt in memoriam.* Campionem vocat, quem Dani Kempe bellatorem ſeu gigantem: quam vocem Romani in Cimbrum mutarunt. Cum enim fortiſſimos quosq; à Danis animadvertiſſent vocari Kemper, juxta ſui idiomatis normam Cimber dixerunt.

Hic verò obiter notandum venit, aliam longè fuiſſe veterum pugnandi rationem tàm in duello quàm bello, ac noſtro ſæculo in uſu eſſe cernimus: *Non enim antiqvitus in edendis agonibus, crebræ ictuum viciſſitudines petebantur, ſed erat*

cum

cum intervallo temporis, etiam feriendi diſtincta ſucceſsio, rarisq; ſed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percuſsionum magnitudini, qvam numerò deferretur: teſte Saxone lib. 2. Solebant namq; ut idem poſt quædam, inquit:

Alternare enſes partiriq; ictibus ictus.


Integri exercitus ſtragem lapidum quadrata in plano diſpoſitione indicarunt. Verum non ubiq; ab omnibus præciſe hunc obſervatum fuiſſe ordinem ac diſpoſitionem ſaxorum, planè mihi perſvadeo. In Diœceſi namq; Bergenſi Parochiâ Tyſnes, juxta curiam Meland inter ſex minorum lapidum cumulos, ſex alia ſtupendæ magnitudinis erecta conſpiciuntur ſaxa ordine eleganti, à præfato tamen diverſo, quæ in memoriam commiſsi hic prælii poſita etiamnum referunt accolæ, qvamvis in-



certo

certo rumore, circumſtantiis diverſis. Quod monumentum cum elegans & ſpectatu dignum, non potui non hoc loco inſerere, ut ex eo de reliquis conjectura fieri poſsit uberior.

Hiſce inſignis obeliſci delineationem adjungere libet in eadem diœceſi extantis.



Novem

Novem ulnarum Sielandicarum eſt altitudine, juxta baſin quinq; quartarum latitudine, unius craſsitie, paulatim in apicem acutum excurrens. Ni impreſſam crucis effigiem obtineret, & in cœmeterio *Gierdis* extaret; trophæum aliquod eſſe exiſtimarem. Nam ab hac opinione haud abludit vulgi de hoc ſaxo fabula, dum fingit Gigantem qvendam hic ſepultum, enſem ſuum ſupra urnam poni curaſſe, ita ut capulum terra, apicem aër teneret, qui tractu temporis in ſaxum cujus iconem hic vides, ſit converſus. Monumentum Ethnico à Chriſtiano poſitum eſſe arbitror.

Plura ejusdem generis & alibi in eadem Diœceſi videre & obſervare licet, figura quidem diverſa, ſed eundem in uſum fabrefacta. Inter quæ & dignum memoratu illud quod juxta parochiam Fielſberg juxta curiam Sio; de quo forſan alibi.

Quinimò quadratam lapidum ſeriem, duellorum ibidem habitorum indicem eſſe, videor mihi ex Saxone noſtro etiam colligere. Is enim libro IV locum deſcripturus in quo Frotho ſecundus cum Frogero duello congrediebatur, dicit *Frogerum è diverſo bina quadratæ formæ ſpacia cubitalibus figurata lateribus humi denotaſſe, à locorum uſu documenti initium editurum. Quibus deſcriptis aſſignatam uterq; ſibi partem complectitur &c.* Ex quibus colligere datur. Duello pugnaturos areas quoq; quadratas lapidibus deſignaſſe, extra quas ſi quis fuiſſet robore adverſarii pulſus, pro victo habebatur.

Sed & circulari forma digeſtam quandoq; fuiſſe duelli aream, ex iis colligere licet, quibus idem Saxo libro III congreſſum Ubbonis cum Slavo deſcribit. Quæ cum rem vivis coloribus exhibeant, his addere non abs re erit. Sic autem ille: *Nec mora circuatur campus, milite circus ſtipatur, concurrunt pugiles, fit fragor, fremit ſpectatrix turba votorum ſuffragiis diſcors. Excandeſcunt igitur athletæ animis, & mutuis vulne-*

ribus ruentes, eundem lucis & pugnæ exitum ſortiuntur. Hic duelli & pugnæ locum manifeſte circum vocat, atq; ita quidem ut ex campo antea fuerit circuatus, ſeu in circularem formam ſaxorum poſitu, redactus. Inter leges verò duelli & hæc libro IV ponitur: *Duos cum uno decernere ut iniqvum, ita etiam probroſum. Neq; victoria hoc pugnæ genere parta laudabilior habita, qvod potius dedecori qvàm gloriæ juncta videretur. Qvippe unum à duobus opprimi, ut nullius negotii, ita maximi ruboris loco ducebatur.*

Inſulas quandoq; duellis deputatas, ſunt quæ docent, in primis ubi de Regnis aut integri exercitus incolumitate decernendum erat. Eligebant autem illas, quæ in utriusq; regni eſſent confinio, ad quas non niſi navigio aditus pateret, magnitudine parvas, ut utrinq; in ripa adverſa, cæteri milites pugnæ modum & rationem commodius ſpectarent. Talem deſcribit Saxo lib. IV in qua Uffo de Saxoniæ Regis filio, inſigni athleta, contra duelli leges ſtipato, victoriam reportavit. Verba hæc ſunt: *Ex pacto pugnæ locus expetitur. Hunc fluvius Eidorus ita aqvarum ambitu vallat, ut earum interſtitio repugnante, navigii duntaxat aditus pateat. Qvem Vffone ſine comite petente, Saxoniæ Regis filium inſignis viribus Athleta conſeqvitur, crebris utrinq; turbis alternos riparum anfractus ſpectandi aviditate complentibus.* Sic libro VII Olo cum Hialto & Scato in inſula pugnabat, ut Eſam Wermorum Reguli filiam à raptoribus immunem præſtaret. *Pugnæ locum Inſula dabat*, inqvit, *ſtagni medium tenens, unde non longe vicus abeſt, qvi cladis hujuſcemodi monimentum Hialti & Scati fratrum vocabula conjunctim referens, præbet.*

Locum certaminum ludicrorum quandoque lodice ſeu ſtragulo quodam pedibus certantium ſubdito, deſcriptum fuiſſe, infra ex Crymogæâ Arngrimi docebimus. Hic ſaltem de circo eorum qui ſeria & magni momenti certamina celebrarunt, nobis ſermo eſt.

Reli-

Reliqvas ſaxorum ordinationes ita perſeqvitur Olaus Magnus Hiſt. lib. 1. cap. 29: *Literato rectoq́ & longo ordine pugilum certamina; qvadrato turmas bellantium & ſphærico familiarium deſignantia ſepulturas, ac cuneato eqveſtrium acies ibidem vel propè fortunatius triumphaſſe.* An ſtricte ubivis hic in ſitu obſervatus ſit ordo, valde dubito.

In Anglia etiam à Danis erecta ejus generis inveniuntur ſaxa. Refert namq; Cambdenus in Cornvallia prope *Neoteſtov* magnam extare cautium congeriem qvibus ſaxum ſubjicitur, ita in caſei ſimilitudinem à natura efformatum, ut inſtar caſei premi videatur, unde nomen W*ringcheeſe:* ſaxa etiam plura qvodammodo qvadrata in eadem planitie cerni, è qvibus ſeptem vel octo æqva inter ſe diſtantia erigantur. De qvibus recte judicare mihi videtur, in alicujus prælii memoriam, quaſi trophæum poſita eſſe. Sic eodem referente, *Septentriones verſus ad VI. plus minus à Sarisburia milliaria inſana conſpicitur ſubſtructio. Intra foſſam enim ingentia & rudia ſaxa qvorum nonnulla XXVIII pedes altitudine VII. latitudine colligunt, coronæ in modum triplici ſerie eriguntur, qvibus alia qvaſi tranſverſaria, ſic innituntur ut penſile videatur opus, unde* Stone Henge *nobis nuncupatur, uti antiqvis Hiſtoricis Gigantum chorea, à magnitudine.* Ego aras aut forum judiciis deputatum eſſe arbitror. Alia ejusdem generis extare refert, prope Burfort, Rolvonis ſaxa dicta, item *Stiperſtons* Haraldi victoria clara. Quæ omnia, nil niſi trophea & rerum à Danis præclarè ibidem geſtarum ſunt monumenta. Quod etiam haud obſcure innuit Johañes Spedus cum in Devoniæ deſcriptione narrat *ad Exmore qvædam antiqvi operis veſtigia cerni, ſaxa videlicet, alia in triangulum, alia in orbem erecta & ordine diſpoſita. Trophæa certe victoriarum, qvas Romani, Saxones vel Dani obtinuerunt.* Ac Danicis qvidem literis unum eorum inſcribi refert. Qvod utinam bono publico communicaſſet, forſan de rebus præclaris à noſtratibus ibidem geſtis teſtaretur.

CAPUT DECIMUM.

De foris veterum & varia dirimendarum litium ratione.

LOca in qvibus publicè lites ſecundum regni Leges & conſtitutiones dirimuntur, *Fora* hic vocamus, noſtratibus Ting. Ea in locis campeſtribus & apricis, vel etiam in ſilvis & lucis, propè aras Deorum ex congerie grandiorum lapidum in qvadrangulam aut ovalem figuram diſpoſitorum exſtructa cernuntur. Adhuc propè urbem ac arcem *Orethinganam* in Selandia, rudera ejus fori monſtrantur, ex qvo arcem ac urbem denominationem traxiſſe volunt. Cujus cum ego ſtructuram & capacitatem diligentius examinarem, vidi illud qvadraginta ſex ſaxis ſtupendæ magnitudinis cinctum fuiſſe, eminente in ejus meditullio grandiuſculo qvodam; omnia vero in ovalem diſpoſita erant figuram, ita qvidem ut utrinq; ad latera, circa medium porta qvaſi vel aditus pateret meridiem & ſeptentrionem verſus. Longitudo nonaginta paſſus æqvabat, latitudo viginti. In tractu Mierloſano prope *Aasmuntorp*, locus extat, undiq; cautibus ſeptus, etiamnum fori appellationem retinens, Tinget enim vocant. Plura hujus generis paſsim in aliis regni provinciis cernere licet.

Cæterum graviores controverſias variis modis deciſas in his locis invenio. Frotho magnus qvi tempore nati Chriſti imperium in Danos habuit, inter cæteras leges, & hanc, atteſtante Hiſtorico noſtro lib. 5, tulit: *Vt de qvalibet controverſia ferro decerneretur: ſpecioſius viribus qvam verbis confligendum exiſtimans. Qvod ſi alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet, perinde ac victus cauſæ detrimentum reciperet. Sin autem qvavis de re pugilem popularis impeteret, ipſum armatus exciperet, cubitali duntaxat ſtipite pugnaturum.* Sic idem rex, obortam inter Hithinum & Hoginum ſimultatem, qvod Hithinus putabatur Hogini filiam ante ſponſalium ſacra, ſtupri

pri illecebris, temeraſſe, qvod tum immane facinus, cunctis gentibus habebatur, cum ſecundum leges alias, componere non poſſet, ut ferro rem decernerent conceſsit; qvod ita expreſsit noſter: *Frotho miſſis qvi ſimul eos accerſerent, ſcrupuloſius cauſam inqvirit ſimultatis. Qua cognita juxta legis à ſe latæ formulam pronunciavit. Videns autem ne ſic qvidem eos in gratiam reduci poſſe, patre filiam pertinacius repoſcente, litem ferro decidendam edixit. Id qvippe ſolum dirimendæ controverſiæ remedium videbatur.*

Monomachiæ leges & ritus pluribus perſeqvitur Arngrimus Jonas Rerum Island. lib. 1. cap. 9. ex qvo hæc capeſſo. *Monomachiam vel ſingulare certamen inituri* ſcamma *vel ſpacium qvoddam, qvod non excederent poſitis terminis deſcribebant, idq; vel lodice ſeu ſtragulo qvodam pedibus certantium ſubſtrato: unde ſi alteruter profligaretur, tribus marcis argenti defæcati ſalutem redimere tenebatur. Qvi humum cruore prior tinxiſſet, victus cenſebatur idq; ut apparet, in certaminibus minus ſeriis, tanqvam ludis gladiatoriis. Vel deſcribebatur Martis ille campus, facto circo qvopiam ut per cancellos ligneos aut aliud ſimile, & hi cancelli* Heſleſtengur *dicti ſunt; idcirco qvia forſan cancellis iſtis primum corylus materia fuerat. Victor autem qvi adverſarium in hoc cruento certamine neci dedit, omnium bonorum victi hæres evaſit qvod vocabant* ᚦᛅᚱ ᚢᛅᚱ ᚢᛂᛁᚴᛁᛏ ᛏᛁᛚ ᛅᚱᚠᛋ dar var veigid til arffs. *Parta victoria è veſtigio taurus immanis productus eſt, qvem ſi victor unico ictu non interficeret, victi cognatis contra victorem agendi jus fuit. Qvibus monomachiæ legibus Egillus Scallagrimus non ſemel vicit & in ampliſſimas poſſeſſiones victorum ſucceſſit,* de qvo conſule eundem Arngrimum fuſius diſſerentem l. 2. pag. 134. Hoc duelli genere conſtat nonnunqvam ita diremptas eſſe forenſes de prædiis, hæreditatibus & dotibus lites: ut ſaltim bona controverſa victori cederent, reliqva verò hæredibus adjudicata. Idem autem erat juris, ſi qvis ad duellum poſtulatus adverſario obviam ire recuſaret, ac ſi certando occubuiſſet. Obſervatu digna qvæ Saxo de his monomachiæ legibus tradit lib. 4: *Progredi illum* (Atislum) *jubet & ſi qvid virium ſit, ſolitario ſe-*

 cum

cum experiri congreſſu. Nam & ſe remoto fratris adminiculo, propriis acturum viribus ne manu impari pugna cenſeri videretur infamis. Duos ſiqvidem cum uno decernere, ut iniqvum, ita etiam probroſum apud veteres credebatur. Sed neq; victoria hoc pugnæ genere parta laudabilior habita, qvod potius dedecori qvam gloriæ juncta videretur. Qvippe unum à duobus opprimi, ut nullius negotii, ita maximi ruboris loco ducebatur. Vide qvæ de Athletis commentatus eſt ad lib.2 Saxonis, eruditiſsimus Hiſtoricus Regius, Stephanus Stephanius Soranæ Academiæ Profeſſor publicus.

Arma qvibus in hac monomachia inſtructi procedebant *Galea* erat, *clypeus*, *enſis* & *haſta*. Provocatus prior ictum in adverſariũ dirigebat, atq; ſic per vices manus conſerebant.

Erat & aliud monomachiæ genus, qvod in capaciſsimo vaſe ſuperne clauſo peragebatur; in qvo enſis loco, baculo cubiti longitudine utebantur. Quo certamine Thorgiſellus Orrabeinius Randidum Scotiæ pugilem ſuperavit.

Controverſias per duellum dirimendi ratio in Holſatia diu viguit: de ea enim Chriſtianus Cilicius de bello Dithmarſico lib.1. ſic differit: *Si acriores contentiones de jure aut honoribus inciderent inter nobiles præſertim, antiqvo Romanorum* (imò Danorum) *more, initis duellis, Marte judice lites dirimebant.* Addit: *Homicidii crimen ultimo ſuplicio non proſeqventes, mulcta pecuniaria plectebant, ne uno infelici caſu duo de medio tollerentur. Idq; ita ad Chriſtianum usq; ejus nominis tertium Daniæ Regem obſervatum eſt. Is enim ut erat Princeps prudentia mira, & æqvi boniq; ſervantiſsimus, qvoniam ea conſvetudo à divino ſimulq; humano jure diſcrepare videbatur, inolitam uſu & temporis diuturnitate legem; ante annos non adeo multos conſenſu procerum ita conſtrinxit & mitigavit, ut qvi inopinantem qvempiam armisve ad corporis ſui defenſionem non inſtructum interfecerit, capite pœnam luat, in reliqvis priſca conſvetudinis vigor obtineat, ut à ſangvinis profuſione temperetur.* Qvæ idcirco adduco, ut vel inde colligere liceat, barbaras haſce leges & conſvetudines, tam altas apud ſeptentrionales egiſſe radices, ut ne tanto qvidem temporis tractu exſtirpari potuerint.

Duelli

Duelli qvidem examen tanqvam impium abrogare conatus Rex Longobardorum Luitprandus, ſed fruſtra, ut patet ex legum lib 1. Tit. 9. Leg. 23. *Incerti*, inqvit, *ſumus de judicio Dei & multos audivimus per pugnam ſine juſta cauſa ſuam cauſam perdere, ſed propter conſvetudinem gentis noſtræ Longobardorum, legem impiam vetare non poſſumus.* Eundem hunc ritum Agobardus Epiſcopus, Nicolaus Pontifex, Concilium Lateranenſe, aliiq; damnarunt: unde ſenſim aboleri cepit apud exteros. Apud nos ad tempora Popponis viguiſſe videtur, ut mox dicemus. Memorabile qvod eo usq; invaluerit hæc ſuperſtitio, ut duello decertare non dubitaverint Monachi aliiq; divinis, ut videri volebant, devoti. Juretus refert è M S S. duo egregia exempla, Ivoniano ſeculo contingentia. In uno Monachus cœnobii Vindocimenſis duellum pangit cum Sanctonenſis Epiſcopatus clerico. In altero religioſus qvidam Anſelmus theſavri Laudunenſis Eccleſiæ cuſtos, in monomachia ſtrenue vicit aurifabrum, reus innocentem. Hæc Spelmannus ad vocem *judicium Dei*, qvi eleganter ſingula ad duellum reqviſita propoſuit in Archæologo ad vocem *Campus.*

Tangbrandus Regi Olao Tryggonis à ſacris, miles fuit ſtrenuus & multos duello vicit, teſtante Hiſtoria Norvagica. Arngrimus duelli & monomachiæ hoc jus in Norvegia & Islandia duraſſe in annum Chriſti M V I arbitratur, vide lib. 1. Crym. cap. 9.

Abrogato duello, tamqvam medio nimis cruento, cauſarum cognitio duodecim viris commendata eſt, qvi qvod æqvum, qvodq; juſtum publica authoritate pronunciarent, qvorum etiam judicio & ſententiæ omninò ſtandum erat. Hanc controverſias decidendi rationẽ primus invexiſſe videtur *Regnerus* cognomento *Lodbrog*, qvi circa annum Chriſti DCCCXX vixiſſe putatur. De eo enim Saxo noſter lib. 9. in hunc modum. *Vt omnis controverſiarum lis ſemotis actionum inſtrumentis nec accuſantis impetitione, nec rei defenſione admiſſa, duodecim patrum approbatorum judicio mandaretur, inſtituit. Cujus legis beneficio, temeraria litium contractione ſummota, improborum calumniæ ſufficienter obviatum exiſtimans.*

A

A Danis ad Anglos defluxiſſe judicium hoc duodecimvirale arguunt leges hac de re ab *Ethelredo* in freqventi ſenatu latæ, & à Lambardo editæ, ubi inter reliqva hæc extant. *In ſingulis centuriis comitia ſunto atq; liberæ conditionis viri duodecim, ætate ſuperiores, una cum præpoſito ſacra tenentes; jurento ſe adeo virum aliqvem innocentem haud damnaturos, ſontemve abſoluturos.*

Diſsimilem controverſias finiendi modum, ſed recentiorem, ut credo, proponit Chriſt. Cilicius belli Dithmarſici lib. 1. hæc habens: *Iuris dicundi judiciiq; exercendi hunc habebant morem. Erat univerſa ditio in certas paræcias ſive curias diviſa, hæ ſtatis temporibus locisq; pro ſe qvæq; ſeorſum, ſuis cum armis patente ſub dio in campis conveniebant, aderantq; ejusdem loci viri nobiles, qvi velut teſtes judicio aſsiderent, ibi in medium prodibant, qvi contra alios litem ſe habere exiſtimabant, auditisq; & cognitis partis utriusq; actionibus defenſionibusq; conventus univerſus in concilium ibat, idq; temporis ſpacium qvod interim deliberando terebatur,* CURAM *vocabant. Expenſis diligenter & velitatis in partem utramq; controverſiis, in conceſſum redibant, vocatisq; litigatoribus de jure pronunciabant. Si qvis ſtare judicio non vellet, ad duodecim conſtitutos ſive judices, ſive arbitros, & ab his ad univerſæ ditionis conventum provocare ei licebat. Hæc minuendarum litium judiciiq; conſvetudo, ſemel qvotannis obſervabatur. Eſt & in hunc usq; diem locus non procul Rendesburgo, qvi* ANNUÆ TRABIS *nomen ab eo judicii more etiamnum retinet. Solentq; illic nunc qvoq; terminandis controverſiis nonnunqvam conventus haberi, ac fuerunt præterea in aliis Cherſoneſi partibus ſimilia loca, qvorum memoria longinqvitate temporum intercidit.* Hic qvidem res diſcuſſa prius ad duodecimviros ultimò devolvitur, qvi liti finem ſua deciſione imponunt ſalvo jure provocationis. Sed Lodbrogi conſtitutione omnis inter actorem & reum ſublata videbatur actio, nec ullus à lata ſemel ſententia relictus provocandi locus.

Sed hanc legem ita obtinuiſſe credo, ut in levioribus & minoris momenti litibus locum habuerit, duello nihilominus de gravioribus cauſis decertantibus magnatibus. Qvi enim

enim Saxonem noſtrum diligentius luſtraverit inveniet eo tempore qvo Poppo ignitæ ac ferreæ Chyrothecæ miraculo incolas ad fidem Chriſtianam convertere ſtudebat, adhuc viguiſſe per duellum controverſias finiendi rationem, qvæ tum abrogari iterum cœpta eſt. Avdi avtorem ipſum: *Qvo evenit ut Dani abrogata duellorum conſvetudine, pleraq; cavſarum iudicia, eo experimenti genere conſtatura decernerent, controverſiarum examen rectius ad arbitrium divinum qvam ad humanam rixam relegandam putantes.*

Haraldus ſeptimus novam, ſed pernitioſam lites dirimendi rationem introduxit, qvâ reus ſe ab omni crimine, ſolo Iuramenti ſacramento, contra omnem teſtium fidem purgare potuit, qvæ tamen diu durare non valuit. Contra hanc legem graviter diſputat Saxo noſter lib. 11. rem totam inter alia his complexus: *Haraldus habito in octo dies concilio, qvod promiſsis complexus fuerat, rebus proſeqvi monitus, ut regia Majeſtate popularem excelleret, in primis adverſum provocationem reſtipulandi jus edidit, prioresq; defenſionis partes, qvam accuſationis inſtrumenta conſtituit. Reo ſiqvidem actoris jus in refellenda accuſatione conceſſit, qvam antea teſtium fide ſubnixam, defenſionis præſidio refellere non licebat. Qvod jus uſurpatione firmatum, ut familiare libertati, ita religioni peſtiferum evaſit. Ipſa namq; defendendi poteſtas, non armorum, non teſtium uſu, ſed ſola Sacramenti fide ſubnixa, multorum conatus votorum perjurio polluit, ſed & funditus ſingularium congreſſionum uſum evertit.* Vide ſi lubet reliqva.

Qualis verò fuerit in Islandiâ per ſacramentum ſe purgandi ratio, eleganter tradit Arngrimus Jonas ex *Laxdæla*, rerum Islandicarum lib. I. c. IX. ᛌᛂᚱᚠᛅ ᚢᛅᚱ ᚱᛁᛋᛌᛁᚴ ᚢᚱ ᚢᛐᛚᛘ, ᛋᛘᚢᛚᚦᛁ ᛐᚴᚦᛅᚱᚴᛐᛅ ᚢᛂᚱᛅ ᚠᛅᛋᛌᛐᛅ ᛁᚢᛐᛚᛚᛁᚴ. ᛐᚴ ᛋᛅ ᛉᛅᚦᚢᛅ ᛐᚱ ᛋᛘᚢᚱᛋᛚᚢᚴᛅ ᛋᛘᚢᛚᚦᛁ ᚠᚱᛅᛉᚠᛚᚢᛌᚱᛅ ᛋᛘᚢᛋᛌᚦᛁ ᚦᛅᚱ ᚠᛅᛒᚠᛅ ᚢᚴᚦᛐᚱ. ᚦᛅ ᚢᛅᚱᚦ ᛋᛅ ᛋᚠᚢᚱ ᛐᚠ ᛌᛂᚱᚠᛅᚴ ᚠᛁᛐᛚ ᛐᛘᛁᛅ ✱ᛐᚴ. *Ceſpitem oblongum veluti laminam qvandam, humo exciſum & in fornicis morem ſurgentem, ita ut fines ambo humi affigerentur de veritate teſtaturus ſubire juſſus eſt. Super quem*

ſi nullo fulciente non corruit fornix ille ceſpitius, fidem meruit, ſin minus criminis falſi damnatus eſt.

Sin in eodem ſacramento (verba Arngrimi repeto) *fædus erat, haſtam fornici fulcro ſuppoſuere, ſub qvo etiam confæderandi duo, tres, pluresq́; conſiſtentes, cruorem manibus aut aliunde ferro elicitum unà miſcebant, ad mutuam fidem hoc pacto obſignandam: qvare hoc ritu potiſſimum* τὸ συμμάχικον *ſancitum, & juratum eſt, ut ſic confæderati velut qvidam* συμμάχικοι καὶ ἐπιμάχοι *eſſent. Vbi id præcipuè unicuiq́; incumbebat (præter mutuum auxilium qvo in vita unus alteri devinctus erat) ut uno cæſo, reliqvi ſuperſtites, ſive unus ille, ſive plures* τȣ̃ συμμάχȣ *necem, qvavis ratione ulciſcerentur: idq́; elicitus corpore cruor ſignabat etiam ſanguinem, adeoq́; vitam, in mutuam ſalutem vel ultionem impendenda.* Paulo aliter fæderis formulam delineat Saxo noſter lib. 1. *Icturi fædus veteres*, inquit, *veſtigia ſua mutui ſangvinis aſperſione profundere conſveverunt amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi.* Hoc pacto Liſerum & Hadingum fœdus iniiſſe ac Lokero Curetum tyranno bellum denunciaſſe narrat ibidem.

Addit verò ibidem Arngrimus, ritum ſupra propoſitum aliqvalis pænæ, ſubjectionis vel ſatisfactionis loco uſurpatum reperiri, cum peccatum vel offenſa aliqva hoc pacto luenda fuit, ut nempe qvis ſub terreum fornicem, aliqva tamen ratione ſuffultum (qvia tum ſacramentum nullum ſuberat) ſemel aut iterum ſubiret. ᚼᛅᚴ ᛅᛏᛏᛁ ᚵᛅᚴᚠᛅ ᚢᚴᚦᛁᛅ ᛏᚢᛅ ᛁᛅᚱᚦᛅᚱᛘᛁᚴ. *Hinc qvidam cui de offenſa hoc pacto ſatisfactum eſt, gloriatus eſt, adverſarium ſuum infra ſues dejectum* ᚴᚢ ᚼᛁᚠᛁ ᚺᚢᚢᚴ ᛒᛁᛁᚠᛏ ᚼᛅᚴᚴᚢᛘ. *ſues n. roſtro tantum, non vertice humum ſubintrant.* Hæc ex *vatzdælu.*

Sed ante dictam Haraldi per jurisjurandi ſacramentum ſe purgandi ſanctionem, apud nos in Dania viguiſſe per ordalium ſeu ferri igniti geſtationem, controverſias decidendi modum qvia ſupra innuimus, de eo pavlò uberius qvædam monenda.

CA-

Caput Undecimum.

De ordalio.

POſtqvam æterno Deo viſum, ſeptentrionalem hanc mundi plagam, ad filii ſui agnitionem, abolitis Idolomaniæ tenebris, perducere, ac Svenottoni Regi hanc indidiſſet mentem, ut percepto regenerationis lavacro, regno reſtitutus, de ſubditorum promovenda ſalute ſedulam caperet cogitationem, ei Popponis, viri pietate, facundia, omnibusq; Evangelico præcone dignis virtutibus inſtructi, cœlitus quaſi ſubminiſtrata eſt opera. Hic namq; cum diu multumq; in eo verbis fruſtra deſudaſſet, ut animis incolarum de Deo vero religionem ſanam inſtillaret, tandem majorem dictis fidem ut conciliaret, in magno procerum conventu, ignito ferro manum inſeruit, ac ſine læſione, non ſine maxima adſtantium admiratione, aliquandiu geſtavit. Quo non ſolum voti compos factus eſt; ſed etiam decretum, ut abrogato duello, Rei igniti ferri geſtatione poſthac ſe purgarent. Hoc factum memoratur à quibusdam circa annum à nato Salvatore milleſimum. Sed à Svenottone circa annum Chriſti D CCCC LXXXVI abrogatam fuiſſe cauſarum difficiliorum per duellum deciſionem & introductam per ferri igniti geſtationem ſe purgandi modum, memorat Regum Daniæ hiſtoria rithmis vernaculis concepta. Rem geſtam integrè à Saxone noſtro his cape: *Cupido ſed inefficaci ſerendæ religionis autori numinis ſui illuſtrator Deus, Popponem ingenio ac ſanctitate conſpicuum præcipuaq; literarum ſcientia excellentem, præclari operis conſortem adjecit. Hic Danorum concione publicè apud portum cui glaciei frequentia agnomen peperit,* (vulgo Iſefiord) *habita, cum eos ne fana excolere vellent ſermone flectere nequiret, evidenti indicio certiſſimum aſſertioni ſuæ argumentum præbuit, doctrinæq; fidem conſpicuo ſanctitatis miraculo publicavit. Percontatus enim an monitis ſuis obſecuturi eſſent, ſi adflagrantis ferri tactum, manum ejus læſione vacuam conſpexiſſent; univerſis haud dubiè parendum reſpondentibus, candentem ferri laminam Chirothecæ formam habentem, expediri juſſit,*

eiq; brachium cubito tenus inſeruit, ac protinus per omnes interritè circumlatam, ante principis pedes excuſsit, dextramq; nulla ex parte corruptam, in eodem incolumitatis colorisq; habitu, religioſæ omnium admirationi conſpiciendam monſtravit. Qvo tam mirifico ſpectaculo alioqvi inexorabiles, ſtudio ſuo conſentaneos reddidit, effecitq; ut periculum, non impedimentum monitorum ejus eſſet, ſed experimentum. Et paulo poſt: *Qvò evenit ut Dani abrogata duellorum conſvetudine, pleraq; cauſarum judicia eo experimenti genere conſtatura decernerent, controverſiarum examen rectius ad arbitrium divinum, qvam ad humanam rixam relegandam putantes.* Rudimentum Novitiorum dictus liber, anno 1475 Lubecæ editus per M. Lucam Brandis de Schaſs, Popponem hunc Papæ cappellanum vocat, & de toto negocio in huncmodum differit. *Hoc anno convertitur Dacia à Poppone cappellano Papæ. Qvi cum fidem Chriſti prædicaret, dixit ei Rex Daciæ nomine Alradus, qvod fidem prædictam probaret teſtimonio veritatis. At ille jubente Rege portavit ignitiſsimum ferrum ingentis ponderis, manibus nudis ad placitum omnium ubicunq; vellet, ſine ulla læſione. Qvo viſo Rex cum multis baptiſatus eſt, & Poppo ad Epiſcopatum eſt provectus. Iſte Alradus factus fuit rex Daciæ in numero. Regum XC anno Domini DCCCCL, hoc eſt anno imperii Ottoniis magni XV.* Qvæ non multum abludunt ab iis qvæ Saxo refert. Quem hic vocat Alradum, Haraldus fuit Klack dictus Svenonis pater, qvi reformationis negotium aggreſſus qvidem eſt, ſed ad optatum finem, aliis impeditus, perducere haud potuit. Conſule hac de re Saxonem, elegantibus cuncta more ſuo tractantem.

Hoc verò controverſiarum per ferrum ignitum examen, Danis Jerntegn dictum, id eſt, ſignum candentis ferri: Ab antiqvioribus ᛡᛦᛁᚱᛡᛘ qvod non abludit ab eo de qvo infra. Aliis ſub nomine *Ordelii vel Ardelii* compræhenſum fuiſſe invenio, licet jam apud nos vox Ordel qvamvis latam ſententiam, & at ordele judicare denotet. Rich. Verſtegaen vocem *ordeal* deductum vult ab *or*, qvod jus notat & *deal* partitionem, qvaſi juris diſtributionem dicas; unde etiam pro lata ſententia capitur multis in locis. Ab aliis judicium Dei dictum,

ut

ut patet ex loco Ranulphi de Glanvilla infra allegato. Quidam volunt uſum ejus fuiſſe ſaltim in caſibus dubiis, ubi teſtimoniis claris & indubitatis res comprobari non potuit. Capitur qvandoq; tam latè, ut qvatuor probationum genera ſub ſe comprӕhendat, qvorum primum illud eſt qvod *duello* perficitur; ſecundum qvod *ferro ignito*, tertium qvod *Aqva fervida*, qvartum qvod *Aqva frigida*. Sed hic ſtrictius, ut ex ſeqventibus autorum teſtimoniis apparebit.

Guilhelmus Lambardus in Archӕonomiâ Anglicâ ad vocem Ordelii, rem totam pluribus & perſpicuis exponit in hunc ſenſum: Erat Ordӕl criminis purgandi modus, cujus duo fuerunt genera: alterum ignis, alterum aquӕ Ordalium dicebatur. Ignitum illud ſolitum eſt hoc modo perfici: Reus aut perpavculis paſsibus incedens ferrum nuda manu candens ferebat, aut modo currens, pede ſuper ignitos quosdam gradiebatur vomeres. Ferrum illud unius erat interdum librӕ, quod illi ſimplex Ordalium, pondo interdum tria, atq; hoc illi triplex Ordalium appellabant. Eum illi inſontem (incolumis ſi forte evaſerat) pronunciabant; ſin igne peruſtum deprӕhenderent, damnabant criminis. Aquarii itidem duo fuerunt Ordalii genera. Aqvӕ nimirum frigidӕ & ferventis. Aut enim in aquam gelidam accuſatus immiſſus eſt totus, atq; tum (ut eorum ferebat opinio vehemens) criminis purus in fundo reſidebat, ſceleris verò conſcium aqua protinus à ſe rejiciebat: aut in aquam deniq; ebullientem, manum cubito tenus immergebant, atq; de reo & innocenti (quemadmodum à nobis ſuperius dictum eſt) decernebant. Viris tantummodo nobilibus atq; ingenuis, ignei illius Ordalii quӕſtione facta eſt ſeſe purgandi poteſtas. Ruſtici verò & pagani in aqueum detruſi ſunt Ordalium. Plura quӕ hic requirebantur, apud ipſum fuſius de ſingulis differentem invenies.

Quod aſſerit viris nobilibus tantum, ignei ordalii purgationem impoſitam, Ruſticis verò aquei, id confirmat Ranulphus de Glanvilla lib. 14. cap. 1. *Tenetur*, inquit *ſe purgare*

is qui accuſatur per Dei judicium, ſcilicet per calidum ferrum, vel per aquam pro diverſitate conditionis hominum: per ferrum calidum ſi fuerit Homo liber, per aqvam ſi fuerit Ruſticus. Exemplum tamen contrarium ex Hovedeni lib. 2 Annal. profert Seldenus lib. 2. jani Anglor. joannis ſenis nobilis & divitis, qui ſub Henrico II. cum imputata eſſet fratris comitis de Ferrariis cædes, & aqueo ſe non expediret judicio, pœnas dedit patibuli. Quin & leges noſtræ Scanicæ, ignei Ordalii quæſtionem omnibus promiſcuè, tam nobilibus, qvam ignobilibus imponunt, quod mox ipſe legum contextus docebit uberius. Confirmare qvinetiam hoc videtur memorabilis illa hiſtoria à Saxone noſtro lib. XIV allata de fœmina, Rugiana cui cum impoſitum fuiſſet ſe à crimine adulterii hujus beneficio ut purgaret, mirabili modo innocens declarata eſt. Quam totidem hic referre verbis haut erit ingratum. *Matrona quædam à viro immerens adulterii inſimulata cum purgandæ infamiæ gratia candenti laminæ dexteram obtuliſſet, ſubito ferrum quod exceptura erat, perinde atq; innoxiæ manus contactum fugiens, neglecto pondere ſublime ſe extulit, penduloq; motu gradientis ſœminæ inceſſum comitans, cum ad aram jactandum erat, inter religioſam adſtantium admirationem, proprio impulſu humi decidit. Ea res & mulieris infamiam levavit & viſentium animos religioni proniores effecit.* Hæc Saxo.

Primum genus Ordalii quod ferri candentis geſtatione conſtabat, ita peragebatur, ut finitâ Miſſâ, accuſatus ad novem pedum menſuram ferrum perferendum ſumeret, quo facto manus ejus triduo ſub ſigillo tegebantur, quo reſerato ſi ſanies crudeſcens in veſtigio ferri conſpiceretur, criminis reus habebatur: ſin nullum læſionis extaret indicium, ut inſons abſolvebatur. Ad hoc primum genus referendum quo Poppo Danos convertit, atteſtante Saxone ſupra allegato. Huc facit caput octavum legum Eccleſiaſticarum Athelſtani Regis, circa annum Chriſti D CCCCXX latarum à viro clariſſimo Dn. Henrico Spelman in primo tomo Conciliorum Britanicorum publicatum p. 404. qvod ita habet. De ordalio præci-

præcipimus in nomine Dei & præcepto Archiepiſcopi & omnium Epiſcoporum meorum, ne aliquis intret Eccleſiam poſtqvam ignis infertur, unde judicium calefacere debet, præter presbyterum & eum qvi ad judicium iturus eſt. Et ſint menſurati novem pedes à ſtaca usq; ad mercam ad menſuram pedum ejus qvi ad judicium ire debet. Et ſi Aqvæ judicium ſit, calefaciat donec excitetur ad bullitum, & ſit alfetũ ferreum vel æreum vel plumbeum, vel de argilla, & ſi *anfealt thyla* ſit, immergatur manus poſt lapidem, vel examen usq; ad *Wyrſte*, & ſi triplex accuſatio ſit, usq; ad cubitum, & quando judicium paratum erit, ingrediantur ex utraq; parte duo homines & certi ſint ut ita calidum ſit ſicut prædiximus & introeant totidem ex amba parte & conſiſtant ex utraq; parte judicii de longo Eccleſiæ, & ſint omnes jejuni & ab uxorib⁹ ſuis ſe continuerint ipſa nocte, & aſpergat presbiter aqvam benedictam ſuper eos omnes & humilient ſe ſinguli ad aqvam benedictam & det eis omnibus oſculari textum ſancti Evangelii & ſignum ſanctæ crucis, & nemo faciat ignem diutius qvam benedictio incipiat, ſed jaceat ferrum̃ ſuper carbones usq; ad ultimam collectam poſtea mittatur ſuper ſtaplas & non ſit illic alia locutio qvam ut precentur ſedulo Deum patrem omnipotentem ut veritatem ſuam in eo manifeſtare dignetur, & bibat accuſatus aqvam benedictam, & inde conſpergatur manus ejus qvi judicium portare debet & ſic adeat. Novem pedes menſurati diſtingvantur inter ternos, in primo ſigno ſecus ſtacam teneat pedem ſuum dextrum, in ſecundo transferat dextrum pedem, in tertium ſignum qvando ferrum projiciet & ad ſanctum altare feſtinet, & inſigilletur manus ejus, & inqviratur die tertia ſi munda vel immunda ſit intra ſigillationem, & qvi leges iſtas fregerit, ſit ad ordalium: id eſt judicium vel examen fractum in eo & reddat Regi centum viginti ſolidos witæ.

Alterum genus qvo per candentes incedebant vomeres, etiam ſua peculiaria habebat reqviſita, de qvibus commentator epiſtolæ Bacconis ſeorſim editæ, ita diſſerit: *Caput*

reo

reo obnubitur, & nudis pedibus per novem candentes vomeres luſtralibus precibus incantatos & in certa diſtantiâ poſitos ducitur, qvos ſi indemnis tranſierit, abſolvitur. Hoc probationis genere matris ſuæ caſtitatem explorare voluit & oculos aſtantium ſpectaculo paſcere ſuſtinuit Edvardus Rex Angliæ confeſſor dictus, & poſt obitum in numerum Divorum relatus, atteſtante hiſtoria Brittanica. Hoc documento Haraldus Hybernicus, ſe Magno parente ortum probavit apud Saxonem lib. 13. *Haraldus*, inqvit, *Hybernicarum partium oriundus, florentiſsimum Norvagiæ ſtatum veluti fulmen aliqvod incuſsit. Qvi cum ſe Magno Hyberniæ populatore procreatum aſtrueret, affirmationi ſuæ fidem divini examinis argumento præſtare juſſus ſuper candentes laminas nudatis plantis (nam id ab eo experimentum poſcebatur) inceſsit, hisq́ nulla ex parte corruptioribus, complures Norvagienſium liqvido incolumitatis miraculo ad aſſertionis ſuæ credulitatem perduxit.* Conſtat itaq́; Magnatibus & præclara ſtirpe ortis potiſsimum deputatem fuiſſe hoc experimenti genus.

Ex tertio tractum arbitror modum ſagas per aqvam frigidam explorandi, de quo multi fuſè diſputarunt, quiq́; non ſine cauſa, è bene conſtitutis Rebuspublicis dudum eliminatus eſt, ut propterea neceſſum non ſit de eo plura hic verba facere.

Extat in Archæonomia, Athelſtani regis Angliæ lex de Ordalio, paulo aliter quam ſupra ex Spelmanno adduximus, concepta, quam hic referre non abs re duco. „Sic autem habet: Qui ſe Ordalii quæſtione examinan„dum obtulerit, triduo quam id ſit aggreſſurus, ſacerdo„tem (ut is ſacra de more peragat) adito atq́; interim pa„ne, ſale, aqua & holeribus tantummodo veſcitor, miſſæ „præterea illis ipſis diebus intereſto, munusq́; tuum offer„to. Sub ipſo autem quo eſt Ordalium aggreſſurus die, „panem euchariſticum ſumito, ac jurejurando ſe illius de „quo appellatur ſceleris purum, minimeq́; conſcium ju„rato. Tum ſi aqua gelida facienda eſt quæſtio, ad ſesqui„ulnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat candenti

per

per continuum triduum obſignanda non reſignetur manus. Accuſator autem (qvemadmodum de accuſato antea à nobis dictum) Jurejurando interpoſito criminationem perſeqvitor, uterq; etiam juſſu Dei & ſacerdotis jejunato, nec pluribus qvam duodecim alteruter ſtipatus advenito. Qvin ſi accuſatus pluribus comitatus acceſſerit perinde ſit (ni illi diſcedant) atque is in judicio cecidiſſet. Hæc de Ordalio ab exteris prolata ſufficere poſſent, niſi peculiaria qvædam & notatu digna de eo Leges noſtræ Scanicæ haberent, qvæ neutiqvam prætereunda. Ac quamvis variis in locis varii proponantur caſus, in quibus rei tenentur ſe ferro candenti purgare: attamen libro V & VII. ex profeſſo res hæc tractatur, qvam tùm ipſiſſimis legum verbis, tum paraphraſi ante annos ſupra CD ab And. Sunonis Archiep. Lundenſi latinitati donata hic exhibebo. Et primo quidem juris in ferro geſtando proceſſum, qui in antiquiſsimo literis Runicis exarato in mẽbrana codice meo, nullisq; librorum aut capitum diſtinctionibus inſigni, non invenitur, ſed ab Andrea explicationis gratia ſaltim additus videtur. Sic autem habet.

Geſtaturus ferrum lota manu nihil debet contingere priusquam ferrum levet, nec caput, nec crines, nec aliquod veſtimentum, ne per tactum alicujus ſucci vel ungventi per fraudem potius quam innocentiam ferri candentis effugiat læſionem.

Triplex autem ferri judicium quod uſus recipit invenitur.

Unum quod in duodecim ignitis vomeribus calcandis conſiſtit: quibus perſonis conveniat, quali vterq; debeat exerceri ſufficienter credimus declaratum (*loca ex legibus mox citabimus majoris lucis gratia.*) Eſt item aliud ferri judicium illi ſoli conveniens, qui pro furti crimine convenitur, quod Trygsjern in lingua patria nominatur, ab alveolo qui per duodecim pedum veſtigia debet à baculis quibus ferrum ſuperponitur elongari:

L Quod

Quod accenſum, prius præſtito ab adverſario juramento quod **Aaſvoren Eed** appellatur, ſumptum à baculis in ipſum alveolum nuda manu debet immittere reus ipſe, & immiſſum, ſi forte reſilierit vel extra ceciderit, reſumet iterum & projiciet, donec ipſum ibi contigerit contineri.

Eſt item tertium ferri judicium illos geſtaturos ferrum attinens, quibus prædicta judicia non incumbunt, quod ignitum ſumptum à baculis reus ipſe donec proceſſerit novem veſtigiis deferre tenetur. Et tunc primo á ſe jactare à quo jactu ipſum lingua patria **Skudsjern** appellat, & ſi dicatur ab adverſario inſufficienter vel minus legitime detuliſſe, probet duobus teſtimoniis, ſe deferendi modum legitimum obſervaſſe. Hoc eſt autem circa quodlibet ferri judicium obſervandum, ut nullum eorum debeat in ſeptimana quæ diem feſtum habeat, exerceri. Duobus quidem primis diebus, in ſecunda videlicet & tertia feria, reus in pane & aqua & veſtimentis laneis jejunabit, & in quarta ſubibit judicium. Hoc completo in continenti vel pedes, ſi vomeres calcati fuerint, vel manus ſi ferrum geſtatum fuerit, panno aliquo involventur, cui diligenter aſtricto, ſigillum etiam apponetur, ne quid adveniat fraudulenter, quod vel poſsit extingvere uſtionem, vel auferre ſaltem apparentiam uſtionis. Hoc velamen in pedibus vel manibus usq; ad ſabbathum permanebit. Eodem die coram actore adverſario usq; ad Solis deſcenſum poſt meridiem expectando. Et ſi nec tunc advenerit, coram adſtantibus auferendum, qui ſtatim cum nudam manum vel pedes conſpexerint vel innocentem reum vel culpabilem judicabunt. Et ſi fuerit innocens judicatus, perſolvet laboris ſui pretium ſacerdoti. Si verò culpabilis ad actorem illius mercedis ſolutio, juxta eccleſiæ vel provinciæ conſuetudinem pertinebit. His de cauſis ſtatutum eſt, ut ſeptimana candentis ferri nullum debeat habere diem feſtum, ne diei feſto aliqua videatur injuria per jejunium vel hujuſmodi operibus irrogari.

Præter hoc etiam ſciendum eſt, quod in deteſtationem

ſurti

ſurti ſolum medium ferri judicium exerceri valeat, non „ extrema duo. Nullis temporibus in qvibus debet pax Ec- „ cleſiaſtica conſervari, à vigilia videlicet S. Olai martyris „ usq; ad feſtum S. Michaelis & proximum diem ſequen- tem. Ab Adventu Domini usq; ad octavam Epiphaniæ, „ à Septuageſima usq; poſt feſtum Paſchæ, & diebus Ro- „ gationum & ſeptimana Pentecoſtes. In quibus quoq; „ temporibus, licet ſuper aliis cauſis cuncta ſilere debeant juramenta, licet cuilibet, ut poſsit, res ſuas injuſte ſub- „ latas repetere, vel à fure aut latrone condicere, juramen- „ ta præſtare, ne mora diuturnior detrimentum aliquod vel „ jacturam inferat expectanti. Hæc ibidem. „

Cæterum quod ait, perſonas & modum Ordalii ſupra eſſe declarata, proculdubio leges intelligit in quibus Ordalii fit mentio, quæque quomodo adminiſtrari debet, docent. Qvalis illa eſt lib. V. cap. XV juxta diſtinctionem ejusdem And. Sunonis, quæ inter alia hæc habet, de Homicidio: *Ubi Reus factum inficiando, comparuerit Negationem ſuam probare tantum FERRI CANDENTIS judicio permittatur, qvod in lingua patria* Skursjern *inde meruit appellari. Qvod ipſum poſtqvam veſtigiis novem preceſſerit, jactare portitor teneatur, &c.* Sic circa finem ejusdem capitis: *Poſtremo ſi nullus eorum convictus fuerit, decimum eodem ordine accuſatum, hoc modo ad calcandum VOMERES ARDENTES compellat, ut juret cum viris duodecim qvod nec lucri, nec odii cauſa, ei homicidii reatum imponant. &c.*

Libro VII cap. VI de furti ſuſpicione hæc habet codex meus legum Scanicarum Runicis literis in membrana eleganter exaratus: ᚢᛁᛚ: ᚦᛁᚢᚠᛅᚱ: ᛅᚴ: ᚦᛆ: ᚠᛅᚴ: ᛘᛁᛘ: ᛋᚠᛘᛆ: ᛚᛆᚴᚼᚦᛁᚴᚠᚠᛁ: ᛆᛏ: ᚼᛆᚴ: ᚼᛋᛏᛁᚱ: ᛅᚴᚠᛅ: ᛚᛅᚦ: ᚦᛆ: ᚼᚴᛆᛚ: ᚼᛆᚴ: ᚼᚴᛅᚱᛅ: ᚼᛁᚠ: ᛘᛁᚦ: ᚼᚴᚢᚼᛁᛆᚱᛘᛅ: ᛒᚱᛅᚴᛏᛅᚱ: ᚼᛆᚴ: ᛆᛏ: ᛁᛆᚱᛘ: ᚦᛆ: ᛒᚱᛅᚴᛏᛁᚱ: ᚼᛆᚴ: ᛒᛋᚴᛏᛁᚴᚢᛘ: ᛏᛁᛚ: ᚼᛁᛘ: ᚢᛁᚱᚦᛘᛁᚴᚠ: ᛋᚴ ᛆ ᛏᚢᛅᚠᛁᛚᛏᛁᚼ ᛋᚴ ᚴᚢᚴᚢᚴᚠᛅ ᛏᛁᛚ ᚼᛁᚴ ᚱᛅᛏ.

Qvod ita exponit And. Sunonis ſupra citatus: *ſi Reus tandem*

dem quartò vice comparuerit, vel citatus, vel ad ſuam innocentiam comprobandam, licet nullum præcedere debeat actoris juramentum, qvod Aaſvoren eed dicitur, tamen ad candentis ferri judicium admittetur, qvod Skiersjern lingua patria nominatur. Et ſi manus exuſtione convictus fuerit per omnia juridicorum, proximò ſupradictæ ſententiæ ſubjacebit. Sic lege ab hac ſecunda: ᛒᚱᛁᚺᛐᛅᚱ ✱ᛆᚴ ᚢᛘ ᛖᚠᚴᛐ ᚦᛆ ᛒᛂᚱᛁ ✱ᛆᚴ ᛁᛆᚱᚴ ᛆᛦ ✱ᛁᚴ ᛅᚱ ᚺᛆᚦ ᚺᛅᛦᛂᚱ ᚢᛖᛐᛂ ✱ᛆᚴᚢᛘ ᛅᛁ ᛆᚺᛆᚱᛂᚺ ᛅᚦ. ᚢᛁᚠ ✱ᛁᚴ ᚺᛂᛦᛆᛐᛂ ᛅᛁ ᚢᛁᚦᛂᚱ ᛖᛂᚠᚴᛐ ᛐᛆᛦᛆ ᚦᛆ ᛒᛂᚱᛂ ✱ᛆᚴ ᛁᛆᚱᚴ ᛆᛦ ✱ᛁᚴ ᛂᚱ ᚺᛆᛦ ᚺᛅᛦᛅᚱ ᚢᛐᛆᛂ ✱ᛆᚴᚢᛘ ᛆᚺᚢᛅᚱᚢ ᛅᚦ id eſt. Si ei Nominatio (ut vocant) deficiat, ferrum geſtet candens, nec actor obligatus erit ad Aaſvoren eed. Si Reus non ad Nominationem ſed ferrum candens ſe offerat, actor ei præſtabit juramentum *Aaſvoren eed* dictum. Et paulo poſt: ᛂᚱᛂ ᚠᛖᛘᚱᛂ ᛒᛆᚱᛐᛂ ᛂᚴ ᚦᚱᛁ ᛘᛂᚴ ᚦᛆ ᛒᚱᛁᚺᛐᛂᚱ ✱ᛆᚴᚢᛘ ᛖᛂᚠᚴᛐᛂᚴ ᚺᛁᚦᛂᚴ ᛒᛂᚱᛁ ✱ᛆᚴ ᛁᛆᚱᚴ ᚺᚢᛘ ᚠᛅᚱ ᛂᚱ ᛘᛂᛘ ᛐᚱᛅᚺᛐᛂᚱ ✱ᛁᚴ ᚺᛂᛦᛐᛁ ᛂᛁ ᚺᛆ ᛆ ᛖᛂᚠᚴᛐᛅᚴ ᚦᛆ ᚺᛁ✱ᛁ ✱ᛆᚴ ᛆᛐᛂᚱ ᛖᛂᚠᚴᛐᛂᚴ ᛐᚢᛁᛘ ᚴᛐᛐᚢᛘ ᛂᛘᛘᛂᚱ ᚦᚱᛁᛘ ᚠᛆᚱᛂ ᚦᛁᚴᚠ ᚠᛆᚱᛂ ᚦᛆ ᛆᛐ ✱ᛆᚴ ᛦᚢᛘᛘᛆᚱ ᚦᛆ ᛁᛆᚱᚴ ᚢᛁᚦᛅᚱ ᛆᛦ ✱ᛆᚴ ᛂᚱ ᚺᛆᚦ ᚺᛅᛦᛂᚱ ᚺᛦᛆᚠ ᛂᛁ ᚢᛐᛐᛂ ᛆᚺᚢᛆᚱᛂᚺ ᛂᚦ. Si ex viris qvi jurare debent, plures quam tres abfuerint, legitima non erit Nominatio: ſed ad geſtandum ferrum obligatus erit Reus, ut ſupra dictum. Licet autem Reus prius conſenſerit, ſi duabus noctibus aut tribus ante præfixum diem Nominationi renunciet, audietur, ut actoris præcedente juramento, per igniti ferri judicium ſe defendat.

Quia vero ſæpius hic mentio incidit juramenti *Aaſuoren eed* dicti, non abs re erit ejus formulam ex eodem codice hic repetere ſic autem habet textus: ᚦᛅᚴ ᛂᚱ ᛆᚴᛐᚱᚢᛘ ᚺᛦᛆᚠ ᚢᛐᛐᛂ ᛆᚺᚢᛂᚱᚢ ᛂᚦ ᚺᛦᛆᚠ ᛒᛁᚦᛂ ᚺᛂ ᚺᚢᛆ ᛦᚢᚦ ✱ᛁᚠᛒᛆ ᛆᛐ ✱ᛆᚴ ᛂᚱ ᚺᛆᛖᛐᛂᚱ ᚠᛆᚱᛂ ᚦᛂ ᚺᛆᛦ ᛂᚱ ✱ᛆᚴ ᛦᛁᚠᛂᚱ ✱ᛆᚴᚢᛘ ᛆᛦ ✱ᛆᚴ ᚠᛅᚱ ᚦᛂᛐ ᛂᛁ ᚠᛆᚱᛂ ᛆᚠᚢᚴᛐ ᛂᛘᛘᛂᚱ ᛁᛘᛘᚴ ᚢᛁᛘᛂ ᚢᛐᛂᚴ ᚠᛆᚱᛂ ᚦᛂᚺ ᚺᛆᛦᛂ ᛆᛐ ✱ᛆᚴ ᚢᛂᛐ ✱ᛆᚴ ᚺᛆᚴᛖᛁᚴ ᚠᛆᚱᛅ ᚦᛂ ᚺᛆᛦ ᛂᚱ ✱ᛆᚴ ᛦᛁᚠᛂᚱ ✱ᛆᚴᚢᛘ cujus ſenſum, ſed non verba hiſce reddit Andreas Sunonis: *Hæc eſt forma juramenti,*

ti, qvod candentis ferri judicium antecedit: ut affirmet actor, ſub jurisjurandi religione, qvod non odii cauſa, non lucri gratia reo inpoſuerit furti crimen: ſed quia ſcit eum veraciter rem (ad minus valentem dimidiam marcam nummorum) hæc in textu non extant, *ſibi furti vitio ſubtraxiſſe*

Quo verò tempore hæc per Ordalium lites dirimendi ratio abolita apud nos ſit, non æq; apud omnes certum. Haraldum qvidem VII in eo laboraſſe videtur ex iis colligi poſſe quæ ſupra ex Saxonis lib. XI protulimus, & hoc expreſſe aſſerunt alii. At qui Hiſtoricum noſtrum haud limis inſpexerit oculis, nihil tale inveniet. *Nam armorum, teſtium & ſingularium ſaltim congreſſuum* ritus abrogaſſe eum aſſerit, nulla facta mentione ferri igniti dum ait, *ſuſceptas cauſarum controverſias ſatius viſum eſt jureiurando expedire qvam ferro* De ferro quo in duello uſi ſunt, eum ſaltim loqui ex toto patet contextu, non verò de ignito. At Woldemarum Regem eam ſerio abrogaſſe certum eſt, id enim abunde evincit diploma cujus hic eſt tenor. *Nos Woldemarus Dei Gratia Daniæ & Vandalorum Rex, omnibus Scaniæ incolis ſalutem & gratiam. Notum vobis ſit, Papam omnibus Chriſtianis Ordalium ſeu ferri igniti geſtationem prohibuiſſe. Quocirca nec æquum, nec juſtum eſſe arbitramur à generali hoc mandato ut nos excipiamus. Habita igitur cum optimatibus noſtris deliberatione, quid commodè ordalio ſubſtitui poſſet, ſubditis noſtris tolerabilius & lenius; conſenſu tandem ſenatorum Regni, procerum & nobilium decretum, ut quicunq; furti accuſatur in foro provinciali Nominativis ſe purget hoc pacto &c.* Quidam arbitantur Woldemarum hunc, primum fuiſſe qui Scanicas leges anno M CLXIII rogavit At nequaquam veriſimile eum qui nuper legem tulit, eandem mox abrogaſſe. Accedit quod tempore hujus Waldemari, Papa nullus efficaciter Ordalium abrogaverit, Quod n: multo ante hac de re Stephanus P P. V, circa annum Chriſti. D CCCLXXXVII ad Humbertum Epiſcopum Moguntinum ſcripſit ut. c. 2. q. 5. ca. 20. & Ivo p. 10. c. 7. nullius fuit valoris. Quocirca Innocentius tertius qui obiit

biit anno M CLXXXII in Concilio Lateranenſi, pontificatus ſui anno XVIII, Chriſti vero MCCXV, Woldemari ſecundi XIII, ſeverè primus prohibuit, ne clerici conſecrationi aut benedictioni ferri candentis operam ſuam locarent. Ita enim habet ejusdem Concilii decretum XVIII. *Ne clericus quisquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut conſecrationis impendat.* Hujus autem Innocentii III σύγχρονος cum fuerit Woldemarus II qui Leges Cimbricas (in quibus nihil de ordalio extat) anno M CCXL tulit, ejus de Ordalio apud Scanos abrogando hoc decretum eſſe neceſſum eſt.

At non multo poſt apud Norvegos deſiiſſe hunc ſe purgandi modum conſtat. Refert enim Hiſtoria Norvagica Snorronis Sturlæ inter res geſtas Haquini Haquini filii Norvegorum Regis XXIX, Vilhelmum Cardinalem (qui à Papa Innocentio IV eo ablegatus erat, ut Regio diademate prædictum Haquinum exornaret) Ordalium abrogaſſe, ac docuiſſe impietati proximum eſſe, hoc pacto Deum tentare, eumq; de rebus humanis hiſce mediis teſtem advocare. Factum hoc memorant anno M CCXLVIII.

Utut verò legibus & edictis ordaliũ abrogaverit Magiſtratus Chriſtianus, cavere tamen non potuit, quin ſubinde quibusdam in locis eo uterentur ſubditi, reb⁹ dubiis fidem ut conciliarent. Cujus rei illuſtre & memorabile documentum nobis ſuppeditat Albert. Crantzius Vandaliæ lib. 8. cap. 30, hac verborum forma. *Illud quoq; referamus, quod per eam ætatem in oppido Wittenburgo ferunt contigiſſe: Incendium ædium furtim procuratum, imponebatur in eo oppido innocenti: ille quam ſancte jurans, ejus ſe culpæ non eſſe affinem, purgationem offerebat vulgarem de ignito ferro, quam juribus interdictam aut ignoravere, aut contempſere, qui judicio præerant laici. Ferrum igitur ignitum ille deportat itinere non parvo, tum manibus excutiens nihil læſionis præferebat. Evanuit ferrum ex oculis mirantium omnium. Annus penè totus interceſerat, cum alius ſilicibus jam viam ſtraturus in oppido publicam, in arena loci manum vertit; & invento ferro adhuc igneſcen-*

te,

te, dexteram adurit. Mirati qui adſtitere, rem præferunt loci præfecto. Illi mox incidit ſuſpicio, illum eſſe hominem criminis reum, quod innoxio imponebatur, mox jubet ad quæſtionem abripi, confitetur crimen, & ultimo ſupplicio, fractis rota cruribus interimitur. Ita divino judicio proditus eſt noxius. Ex circumſtantiis totius hiſtoriæ, hæc circa annum Chriſti M CCCL contigiſſe colligimus.

Haud incommodè hiſce ſubnectuntur quæ de *offa judiciali* tradunt autores, cum eodem ſuperſtitionis innixa videantur fundamento, jam Evangelicæ lucis fulgore penitus diſperſo. Ut paucis negotium compræhendam, hoc modo adminiſtrabatur: conſecratum panem Euchariſticum, certis ac determinatis ritibus reo deglutiendum exhibebant, qui ſi ſine omni difficultate à ventricnlo apprehenderetur, abſolvebatur accuſatus: ſin in deglutiendo difficultatem perſentiſceret, damnabatur. Plura qui cupit, Lambardum loco citato conſulat, de hac offa pluribus diſſerentem. Huc refert Henricus Spelman, *Symbolum crucis: Sacram Euchariſtiam* (quam ab offa judiciali, pane utpote hordeaceo, Saxónibus *Corſned* dicto, diſtingvit) *Caſeum execratum* & alia, de quibus conſule ejus Archæologum, ſub vocibus Judicium Dei, Crucis judicium &c.

Caput Duodecimum.

De locis Regum electioni deputatis.

REperiuntur in his oris loca quædam in quibus Reges olim ſolemni creabantur pompa, quæ cincta adhuc grandibus ſaxis, utplurimum duodecim conſpiciuntur, in medio grandiore quodam prominente, cui omnium ſuffragiis electum regem imponebant, magnoque applauſu excipiebant. Hic & comitia celebrabant & de Regni negotiis conſultabant. Regem verò deſignaturi, electores ſaxis inſiſtebant forum cingentibus, decreti firmitudinem deſignaturi. Quod hiſce innuit Saxo noſter: *Lecturi*

Regem

Regem veteres affixis humo ſaxis inſiſtere, ſuffragiaq; promere conſueverunt, ſubjectorum lapidum firmitate facti conſtantiam ominaturi. Quo ritu Humblus decedente patre, novo patriæ beneficio Rex creatus ſequentis fortunæ malignitate ex Rege privatus evaſit. Quod totidem verbis, ut & alia multa à Crantzio lib. 1. Daniæ cap: 3. repetita invenies. Pari modo antiquitus usque ad Caroli IV imperium, & decantatisſimam illam quam de electione Imperatorum publicavit, Auream Bullam, electiones fieri ſolitas in patentibus campis ſub dio, refert Bernhardus Malincrot, de Archicancellariis p. 185.

Qvia verò Regnum hoc Daniæ, quod jam ſub unius Regis viget imperio, olim in tria diſtinctum erat, atteſtante adhuc triplici legum codice, aliisq; multis, hinc factum ut tam in Cimbrico quam in Balthico & Scanico (olim Gothico) territorio, veſtigia horum locorum extent manifeſtiſsima.

In Balthicæ Selandia propè Lethram vulgò Lehre/ civitatem olim Regiam, locus extat Kongſtolen ſeu ſedes Regia dictus, grandi ſaxo inter reliqua conſpicuus, qui huic negotio fuit deputatus, & etiamnum ſeniorum hac de re relationibus nobilitatus.

In Scania propè Lundiam collis eſt Loyebarſhoi dictus, ubi homagium Regi Olao præſtitum, in quo etiam tempore Chriſtiani primi hoc negotium peragebatur, quod in ejus vita hiſce teſtatur clariſsimus hiſtoriographus Regius Johannes Meurſius: *Placuit proceribus Daniæ Chriſtianum paulò ante Regem electum advocare. Is poſtquam adveniſſet IV Kalend. Octobris ante Lundiam in Trollebarolbio colle, priſco electionis loco, frequentiſsimo conventu, accepto ab omnibus juramento & vexillo item Regni ab Ivone Archiepiſcopo Rex à cunctis Daniæ Norvegiæq; ſalutatur.* Mendum hic eſſe recte annotavit clariſsimus Stephanius, exiſtimat namq; clariſſ: Meurſium B. M. fugiente nimis oculo legiſſe verba illa Johannis Svaningii Hiſtorici quondam Regii in vita Chriſtiani I. Regis Daniæ (qua ille uſus eſt in conſcriben-

da

da ejusdem Regis Hiſtoria) luculento eſſe poteſt indicio quod pro *Trollebarolbòy* ſubſtituat *Trollebarolby.* Nam ita habent verba Svaningii noſtri. *Anno eodem quo fato functus eſt Chriſtophorus à pietate Chriſtiana* 1448 *die* 28. *Septembris ante Lundiam in colle Trollebarolbòy, antiquo electionis loco, in frequenti Regni conventu, juramento ab omnibus præſtito, atq; à ſummo Regni Antiſtite D. Tuone* (quem Meurſius perperam Ivonem appellat) *D. Iohannis Laxmanni ſucceſſore, Regni vexillo accepto Daniæ & Norvegiæ Rex ſalutatur.* Hæc Stephanius. An verò collis hic idem ſit cum eo quem Nobiliſsimus Huitfeldius in Hiſtoria Olai Regis *Lubersbòj* vocat, aliis diſpiciendum relinquo. Ego certe diligentius in hæc loca inquirens, Mercurium invenire haud valui, ea qui diſcrete demonſtraret. Eodem in loco filius ejus Johannes, jam duodecennis rex deſignatus eſt, atq; iterum à Broſtorpiò Archiepiſcopo, ibidem repetito juramento, Rex ſalutatus.

In Cimbriâ prope Viburgum in ejus fermè ſitum meditullio, ſunt qui hoc negotium peractum dicant. Extat quoq; ſaxum in campo *Danerliung* dicto, in quo Danum primum inauguratum volunt.

Upſaliâ Sveciæ, ſibi vicinum habet lapidem *Moraſtœn* qui Svecis in hoc negotio inſerviebat, de quo Olaus Magnus lib. 1. cap. 31. *Eſt, inquit, lapis ingens & rotundus circum circa duodecim minores adjacentes habens cuneatis petris paululum è terra elevatus, non procul à metropoli* Upſalenſi, *Moraſteen dictus, ſuper quem novus rex eligendus, infinita populi multitudine præſente ſuſcipitur, ac poſtmodum ſacrioribus ceremoniis à catholicis epiſcopis juramento defendendæ fidei præmiſſo, confirmatur.* Moris verò fuiſſe, ut electo ritibus conſvetis Rege, ſuper lapidem *Moraſteen* alium locarent minorem, qui in rei geſtæ teſtimoniũ, nomen Regis, tempus etiam quo Electio ſolenniter peracta contineret, ex inſtrumento colligimus quod Notarius publicus Upſallenſis Erico Pomeraniæ Duci conſignavit. Quod, citante Meſſenio, inter alia & hæc habet.

Ego memoratus Notarius infra criptus, unà cũ teſtibus ſubſcriptis, ſtatim ad dictum lapidem Moraſteen extra civitatem Upſalenſem ad unum milliare in plano campo ſitum acceſſi, & honorabilem virum Dominum Johannem Mathiæ Curatum Eccleſiæ Danemark quæ dicto lapidi vicina eſt Eccleſia, in teſtem aſſumpſi, & ſculpturam ejusdem lapidis, dicto antiquo lapidi Moraſteen ſuperpoſiti, diligenter inſpexi, & per teſtes infra ſcriptos inſpici feci, ſicq; præciſe ut ſequitur in eodem lapide ſculptum inveni: ANNO DOMINI MCCCXCVI ELECTUS EST IN REGEM SVECIÆ IN HOC LOCO ILLUSTRIS REX DOMINUS ERICUS CALENDARUM AUGUSTI. *Locus autem pro numero Calendarum vacuus erat. &c.* An verò in omnium Regum electione obſervatum hoc ſit, non facile dixero, cum de nullo præter Ericum hunc Pomeranum, hoc legerim.

Hujus cenſus eſſe monumentum illud quod in Cornvallia ſeu Danmonia prope S. Buriens reperiri ſcribit Cambdenus, planè exiſtimo. Refert enim in ejus vicinia, *in loco quem, Biſcaw Woune dicunt, undeviginti lapides in orbem diſpoſitos conſpici, ſingulos duodecim quaſi pedibus invicem diſtantes & in centro cæteris omnibus multo majorẽ exſurgere.* Hoc quamvis exiſtimet trophæum aliquod Romanorum fuiſſe, ſub poſterioribus Imperatoribus, vel Athelſtani Saxonis, cum Danmonios in poteſtatem ſuam redegiſſet: conjecturâ tamen à ſimilibus apud nos extantibus ductâ, vel Athelſtanum, vel alios noſtrates hic in Reges electos arbitror.

Verùm hiſce in locis, utpote, huic negotio peculiariter deputatis, tempore pacis, Regis peragebatur electio; ſi verò contigiſſet vel in bello, vel extra patriam pugnando eum occumbere, nequaquam dilato electionis negotio, huc confluebant: Sed pro re nata lapides congerebant, atq; eo in loco ubi juſta defuncto fiebant, novum ſibi Regem eligebant, ne ex morâ dilationis, periculi quid ad totam redundaret rempublicam. De quo intelligendus Svaningius noſter cum inquit: *Locum publicæ Regiæ electionis poſtquam incolis convenientem, ad quem, nulla obſtante itineris difficultate, omnes qui erant vocati, venire poſſent, elegiſſent, ſaxa grandia ſingulari opera atq; ſtudio*

dio conquiri, atq; in eundem locum, quem electioni Regiæ deſtinarant, comportari curarunt. Neq; enim tum quemadmodum hodie, deſtinata electioni Regiæ certa erant loca, ſed pro arbitrio ſententiaq; eorum qui autoritate potentiaq; alios antecellebant, eligebantur. Huc comportata ſaxa conſcendentes hi quibus eligendi jus commendatum erat, circumſtante populo, ſuffragia ex iis ferebant, &c. Vide eruditiſsimas notas Viri Clariſs. Dn. M. Stephani Stephanii in l. I. Saxonis.

Caput Decimum Tertium.

De Epitaphiis.

SUpra, qvantum licuit, ritus demortuos tumulandi perſecuti ſumus, unicum illud reſtare videbatur, ut de inſcriptionibus qvibus tumulos exornabant, diſpiceremus. Hanc curam in hunc diſtulimus locum, ne monumenta characteribus vacua, cum literatis & inſcriptionibus dotatis, (de quibus poſthac ex profeſſo agendum) confunderemus.

Extructo rogo & ſepulchri mole ad umbilicum perducta, qvandoqve ſaxum unum cæteris inſignius & politius, magnitudine qvoq; ſpectandum ſeligebant, cui nomen defuncti & amicorum qvi ſupremum hoc officium ſuis dicabant, laconicé patriis, hoc eſt, Runicis literis, inſcribebant. Hoc in ipſo ſepulchri meditullio, vel ad caput ſemper poſitum fuiſſe exiſtimo, licet jam ad vias publcas aliâq; loca tranſlatum reperiatur.

Quandoq; ſi vel juxta demortui prædia aut habitationes, rupes aut cautes extarent, in aliquo laterum politiorum ædes in primis ſpectante, literas & characteres inſculpſerunt, laboribus partes exſcindendi ac transferendi parcentes: vel potius ab interitu tantorum virorum memoriam certius vindicantes. Hujus generis exempla paſsim ſunt obvia. Rupes Haraldiana, cui Hyldetandus patris ſui res geſtas mandavit, adhuc literarum veſtigiis conſpicua extat in Blekingia, de qua Saxo lib. 7. in hunc modum. *Idem in monimentum patris ejus res geſtas apud Blekyngiam rupi, cuius memini* (in præfatione ſcilicet) *per artifices mandare curæ habuit.* Libro

 9. docet

IX docet *Regnerum* Lodborg interfecto Biarmorum Rege tale monumentum reliquiſſe, de quo uberius capite ſequenti. In Norvegiâ talia crebrò occurrunt. In primis in Diœceſi Stavangrienſi præfectura Liſterenſi, in lacus alveo ſcopulus cernitur altitudine inſigni, cui characteres Runici magna cura impreſsi, de quibus ſuo loco uberior à nobis inſtituendus eſt ſermo.

In Svecia tribus milliaribus Stockholmio, in parochiâ Scanilâ, via quâ Upſaliam itur, tale quid extare dicunt, Ingivaro, ab Sigvido, Inguaro & Jerlebengo, in rupe, in fluminis medio poſito, conſecratum.

Hoc præterea in his obſervatum: quod ſi patres, filii, amici & cognati in extruendo monumento ſumptus contuliſſent, id ejusmodi inſcriptionibus expreſſum quoq; voluerunt. Nec eum præterierunt qui inſcriptionis extitit author, quin potius nomine ejus addito, rem ut piam, ita memoria æterna dignam ab eo confectam, atteſtati ſunt. Et quamvis nobis jam rudes & impolitæ hæ videantur inſcriptiones, eo tamen ſæculo ſingulare artificium præ ſe tuliſſe, vel ex eo liquet, quod non quivis huic operi par fuerit, & autor nominis ſui in iis oſtentatione, vel hac de cauſa æterna memoria dignum ſe exiſtimaverit. Quin imò integro Regno remuneratum fuiſſe hoc nomine Hiarnum docent hiſtoriæ noſtræ. *Ab eis epitaphium Regno repenſum, imperiiq; pondus paucarum literarum contextui donatum eſt. Adeo exili impendio ingens præmium ſtetit. Eximium exigui poëmatis precium, famam quoq; Cæſareanæ retributionis exceſsit*, inquit Saxo noſter lib. 6.

Probabile eſt Literatorum eorumq; qui literas calluerint, eo ſæculo tantam fuiſſe penuriam, ut is qui tria verba vel legere, vel texere potuerit, in majori tum extiterit precio, quam hoc ævo vaſtis ac laborioſis operibus clariſsimus.

Hieroglyphicis inſuper miris ex animalium figuris diverſis, ductuumq; perplexorum ambagibus concinnatis, inſcriptiones decorarunt, quibus tacitè vel res geſtas, vel officia adminiſtrata, vel mores, vel virtutes & vitia demortui nota-

notarunt & adumbrarunt. Lupo tyrannum; Agno tranquillum & mitem; Porco ſordidum; Equo generoſum; Leone regem, Aquila fortem exprimentes, cujus generis infinita paſsim occurrunt.

Neſcio an adſtipulari poſsim Olao Magno, aſſerenti in quibusdam crucis ſignum expreſſum, ante plantatam de vero Deo & Chriſto religionem, ut bonitatem & probitatem eorum indicaret. Verba ejus lib. 1. cap. 30. hæc ſunt: *Talium etiam bonorum Principum obeliſci & ſaxa multis ſæculis ante plantatam fidem catholicam, in ſeptentrionalibus regnis ſigno crucis inſignita adhuc aperte videntur.* Reperiri in monumentis antiquis crucis notam, negari non poteſt, cum id in multis ocularis evincat demonſtratio: ſed eam antequam aliquid de vero Deo & Chriſto ejus, noſtratibus innotuerit, epitaphiis inſculptam fuiſſe, mihi vero haud videtur ſimile: niſi forſan in ignominiam ejus qui tali epitaphio laudari & celebari debebat. Fuit quidem crux Romanis vetus, imò atteſtante Lipſio, veterrimum ſupplicium, ſtatim ſub primis Regibus in uſum tractum; attamen an Germanis vel aliis Septentrionalibus in uſu fuerit, dubitat idem, ut vel hac de cauſa, figura ejus in paganismo nobis plane ignota aut fortuita extiterit. Quæcunq; igitur ejus generis occurrunt, potius ad Chriſtiana retulero. Nec aliud probant ea quæ Olaus adducit, Germundi & Holmſtani exempla: in iis enim Chriſtianæ Religionis mentio injicitur manifeſtiſsima, & ab Idolorum cultu ad verum Deum converſos indicat ipſa inſcriptio.

Crucis figurâ noſtrates Ethnicos *Thoronis malleum* deſignaſſe colligere licet ex iis quæ refert Snorro Sturlæ filius in hiſtoria Haquini Adelſtani. Rex enim Chriſtianus ſigno crucis poculum ebibendum ubi ſignaſſet, Sigvardus comes de Laden, eum Thoroni Deo hauſtum dedicaſſe refert, ſiquidem mallei Thoronis ſignaculum ei præmiſiſſet. Quod ſi igitur alicubi ab Ethnico, in hiſce oris crucis ſignum ſculptum occurrat (quod tamen mihi adhuc videre non contigit) illud aut fortuitum, aut Thoronis mallei ideam exhibebit, nul-

lo modo Servatoris noſtri crucifixi notam memorialem.

Nullus enim ante natum paſſumq; in cruce Chriſtum Dominum, uſpiam crucis honos erat aut cultus, ut recte diſſerit Caſparus Ens Hiſt. Indiæ occident. lib. 1.

Illud quod Marſilius Ficinus lib. 3. de vita cœlitus comparanda cap. 18. refert de crucis ſigno Arabibus & Ægyptiis ante natum Chriſtum in uſum tracto, huc non ſpectat. Ex Arabum collegio quodam ſe hauſiſſe refert, *crucis figuram cunctis anteponendam, quia corpora per virtutem agunt, ad ſuperficiem jam diffuſam, prima v. ſuperficies cruce deſcribitur.* Hi igitur per crucem nil aliud indicabant quam ſtellarum fortitudinem, ut fuſius ibidem docet. Ægyptii vero inter ſuas figuras crucem habebant qvæ vitam eorum more, futuram indicabat, quocirca & eam pectori Serapidis inſculpebant. Sed hæc noſtratibus accommodari vix ulla probabilitatis ſpecie poſſunt. Unde colligitur figuram crucis in monumentis priſcorum, non ſemper Chriſti crucifixi indicium eſſe.

Athanaſius Kirckerus vir in abſtruſiſsimis Ægyptiorum diciplinis exercitatiſsimus, in Prodromo Copto capite ultimo, dicit ſe in Saracenicæ Cabalæ fragmentis Arabicè ſcriptis inveniſſe, Philoſophos & Medicos Ægyptiorum, Perſarum, Indorum & Græcorum, ſignificaturos Elementa, crucis figuram ſculpſiſſe. Cujus rei rationes redditurus, poſt locum ex Arabico adductum, hæc ſubjungit. *Nec mirum, Elementis enim extra ſuas ſedes naturales dimotis, ea ſuos ad eaſdem reditus naturaliter per rectas facere lineas, diſlocatæ eorundem homogeneæ partes experientem docebunt. Nequaquam igitur incongruè ſapientes dicti, per has quatuor rectas ab unico puncto ſeu centro circuli individuo, in contrarias partes excurrentes quatuor Elementorum myſterium indigetarunt.* At apud Ægyptios figuram crucis ſeu Tav anſati, quam manibus Serapis & alii eorum Dii plærumque tenebant, eſſe ἄῤῥητον illud ἄγαλμα τȣ͂ αἰῶνος, ſeu ineffabile ſignum ævi, vel ſæculi, pluribus demonſtrat Joan. Fridericus Hervadus, in Admirandis Theologiæ

logiæ Ethnicæ myſteriis. In primis huc facit locus Svidæ in voce ἡϱάισκ⊙, cum inqvit. ὅτω διέγνω τὸ ἄῤῥητον ἄγαλμα τοῦ αἰῶνος ὑπὸ τοῦ θεοῦ κατεχόμενον ὁ Ἀλεξανδϱεῖς ἐτίμησαν ὄσιϱιν ὄντα ἄδωνιν ὁμοῦ, κατὰ μυστικὴν ὡς ἀληθῶς Φάνει θεοκϱασίαν. *Sic dijudicavit* (Heraiſcus) *ineffabile ſimulachrum Æternitatis quod ab eo Deò tenetur quem Alexandrini Oſiridis ſimul & Adonidis nomine , arcana quadam Dei commiſtione colebant.* Vide eum ibidem de crucis origine & ſignificationibus prolixè & doctiſsime diſſerentem.

Quod animæ immortalitatem conſtanter ſibi perſvaſerint noſtrates, referunt etiam exteri; et Saxo noſter lib: 8. confirmat, dum aſſerit Gormonem primum (quem circa annum Chriſti D CC imperaſſe quidam volunt) *probabilibus quorundam argumentis animos immortales eſſe compertum habuiſſe.* Unde Torchillum amandabat ut ſollicitè inveſtigaret, *quaſnam ſedes eſſet, exuto membris ſpiritu, petiturus, aut quid præmii propenſa Numinis veneratio mereretur?*

Ex quibus etiam liquidò conſtat, ante hujus tempora & hanc viguiſſe ac diſputatam inter noſtrates de Animæ immortalitate fuiſſe ſententiam, quam etiam tot confirmant bene meritis poſita Monumenta. Sed inter ea quæ hoc habent adjunctum votum ᚴᚢᚦ. ᚼᛁᛅᛚᛒᛁ. ᛋᛁᛅᛚ. ᚼᛅᚾᛋ nullum quod non à Chriſtianis poſitum. Diu enim poſt introductam de vero Deo religionem in uſu noſtratibus fuere hæ literæ. Quod Jellingenſe, Aſumenſe, Alrumenſe, Gieſingholmenſe, aliaq́; ejus generis abundè evincunt Monumenta, de quibus conſule librũ ſecundum & quintum. Hujus loco ethnica hæc habent ᚼᛅᚱᚦᛅ. ᚴᚢᚦᛅᚾ. ᛏᚱᚢᚴ. Quos Saxo circa principium Lib. VIII FIDISSIMOS NUMINUM ARBITROS vocare videtur, ut ex quamplurimis in ſequentibus evidenter ſatis apparebit.

Peculiaria quædam Monumenta habuiſſe Longobardos quibus amicorum ſuorum alibi tumulatorum memoriam refricarent, refert Paulus Diaconnus lib. 5. cap. 34. Perticam enim erigebant in extructo ſepulchro, cui lignea in ſummitate affixa erat columba, quæ corpore ſuo plagam

cæli

cæli oſtentet ad quam occubuit ille in cujus memoriam erecta erat. Deſcripturus locum juxta Ticinum, ubi Rodelinda Baſilicam in honorem B. Virginis erexit, inter reliqua hæc habet: *Ad Perticas, locus ipſe ideo dicitur, quia ibi olim perticæ id eſt trabes erectæ ſteterunt, quæ ob hanc cauſam juxta morem Longobardorum poni ſolebant. Si quis enim in aliquam partem aut in bello, aut quomodocunq; extinctus fuiſſet, conſanguinei ejus intra ſepulchra ſua perticam figebant, in cujus ſummitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illac verſa eſſet, ubi illorum dilectus obiiſſet, ſcilicet ut ſciri poſſet, in quam partem is qui defunctus fuerat, quieſceret.* Non abſimiles perticas etiamnum in pagis noſtris videre licet, alium tamen in finem ab Agricolis erectas, interim cum earum figendi morem ac ritum conſideramus, ab hoc fonte fluxiſſe videntur.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De aliis monumentis literatis.

NOn ſolum tumulos lapidibus literatis ſeu epitaphiis exornaſſe majores noſtros cernimus: ſed etiam victoriarum & rerum præclarè geſtarum trophæa & arcus quaſi triumphales patriæ literaturæ characteribus inſignitos ad poſteros transmiſerunt. Quod unum ex iis, quæ potiſsimum obſervanda cupit Saxo noſter in præfatione, dum hæc profert. *Nec ignotum volo Danorum antiquiores conſpicuis fortitudinis operibus æditis gloriæ æmulatione ſuffuſos Romani ſtyli imitatione non ſolum rerum à ſe magnificè geſtarum titulos exquiſito contextus genere, veluti Poëtico quodam opere perſtrinxiſſe, verumetiam majorum acta patrii ſermonis carminibus vulgata, linguæ ſuæ literis ſaxis ac rupibus inſculpenda curaſſe.* Cujus rei exemplum ipſemet libro IX proponit; ubi Regneri Daniæ regis ſtudium commendat, quo prælia à ſe geſta victoriasq; inſignes, ſaxis inſculpi curavit, ut ita eorum memoria ad poſteros certius ac commodius tranſmitteretur. *Biarmorum rege interfecto, Finnorum verò fugato, Regnerus ſaxis*

rerum

rerum geſtarum apices præ ſe ferentibus, hisdem ſupernè locatis æternum victoriæ ſuæ monumentum affixit. Hujus generis occurrunt adhuc haud pauca, quæ intellectu difficilia admodum, tùm quod idioma multum à moderno diſcrepet, tùm quod nulla vocum in iis appareat diſtinctio, ſed uno tenore ac tractu notæ ſingulæ conjungantur. Quæ adhuc ſuperſunt hujus cenſus & ad noſtras pevenere manus, ſuo propoſituri ſumus loco, nec noſtram in iis enucleandis, ut antiquitatum ſtudioſi deſiderent operam, quantum in nobis eſt, permittemus.

Hunc verò ritum in memoriam rerum præclarè geſtarum ſaxa erigendi, à Deo ipſo & populo Dei profectum, abundè evincunt Sacræ Literæ, Capite enim quarto libri Joſuæ, Deus diſertis verbis jubet ut Joſue eligat ex quavis tribu Iſraelis duodecim viros qui duodecim duriſsimos ſeligant lapides, eosq; erigant in loco caſtrorum ubi fixa fuerunt tentoria Iſraelis ea nocte. Eo verò fine poni debere ut ſint monumentum rei ibidem geſtæ expreſſè docet v. 6, 7. *Quando*, inquit, *interrogaverint vos filii veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides. Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini cum tranſiret eum, idcirco ſunt poſiti lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael uſq; in æternum.* Joſue verò videns hunc modum res memoratu dignas ad poſteros tranſmittendi, Deo haud diſplicere, ad alia etiam eum mox tranſtulit. Ex ſe enim non juſſus, v. 9. alios duodecim lapides poſuit in medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt ſacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini. Quod circa annum mundi MMCCCCLXXXXV, juxta ſupputationem Helvici, contigiſſe conſtat, circa quæ tempora primum Daniæ regem Danum, in his oris imperium obtinuiſſe volunt quidam noſtratium Chronologi.

Sed mirum non eſt ſi multà ex hiſce quæ apud nos ſunt, imò plæraq; noſtrum fugiant captum, cum vel tempore curioſiſsimi Saxonis noſtri multorum in antiquita-

tibus verſatiſsimorum eadem vulgata fuerit querimonia. Lege ſaltim quæ habet autor noſter de rupe Haraldiana in Blekingia & invenies, nec Reges tunc temporis ſumptibus & laboribus pepercisſe, ut rerum hiſce monumentis contentarum extaret notitia, ſed ut plurimum incasſum laboraſſe. Quia locus eſt elegans & notatu haud indignus hic apponam: Apud Blekingiam apta meantibus rupes, mirandis literarum notis interſtincta, conſpicitur. Siquidem à meridiano mari in deſerta Verundiæ petroſa porrigitur ſemita, quam binæ lineæ exiguo diſcretæ ſpacio, protractis in longum ductibus amplectuntur. Inter quas medium loco planum, factis ad legendum figuris, undiq; ſecus exaratum oſtenditur. Quod licet adeo ſitu inæquale exiſtat, ut modo montium alta proſcindat, modo vallium ima prætereat, eodem tamen tenore literarum veſtigia ſervare dignoſcitur. Quarum ſignificationem rex Woldemarus ſacri Canuti fauſta proles admirationis cauſa cognoſcere cupiens, miſit qui rupem permeantes, patentium illic characterum ſeriem, curioſiori indagatione colligerent, ac poſtmodum virgulis quibusdam, ſub iisdem formarum apicibus adnotarent, qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipſa cælaturæ concavitas partim cœno interlita, pàrtim commeantium adeſa veſtigiis, figuratæ protractionis ſpeciem obtrito calle confuderat. Unde conſpicuum eſt, etiam petrinæ ſoliditatis rimas diutino madore complutas, aut ſordium colluvione aut irrigua nimborum inſtillatione concreſcere. Quæ eo lubentius & prolixius hic adduco, ſuo loco fuſius de eo acturus, ut quivis videat, eadem ejus ſæculi monumentorum interpretibus, objecta fuiſſe obſtacula, quæ nobis remotioribus adhuc ab eo ævo. Cœterum quid hodierno die ex tam præclaro adhuc reſtet Monumento, in particularibus, ad quæ jam feſtinamus, dicturi ſumus uberius. vide libri tertii monumentum XXVII quod ex profeſſo hoc tractat.

Quod

Quod de unico hoc conqueritur Saxo, id de aliis omnibus conqueri meritò jam poſſumus, & etiam olim conqueſtus eſt Daniæ noſtræ Maro elegantiſsimus C. Eraſmus Lætus, Rerum Danicarum lib. 1. in hunc ſenſum:

Sed quid tempus edax, quid non longiſsima ſecli
Abſumit caries? ſua ſunt quoq; funera ſaxo
Et rigidæ cautes cumulant ſibi clade ruinas.
Perpetui aurarum curſus, pluviæq; procellæq;
Et gravis illuvies: tum ſparſa tonitrua cœlo
Ac tempeſtates, iterataq́; jurgia nymbis,
Grando, nives & equis bobusq́; infixa frequenter
Ungula, & atroces, jactataq́; fulgura, venti:
Ipſaq́; materies, per ſeſe obnoxia multis
Defluviis, rerumq́; vices & plurimus angor
Terrarum, ac fiſſæ ſua per veſtigia rupes,
Cautibus eradunt artesq́; notasq;, profundis
Sint licet inſcriptæ perductaq; grammata ſulcis
Ceu nunquam peritura.

Æquiores igitur nobis futuros ſperamus lectores candidos, ſi votis minus ſatisfecerimus, cum videant quanta ſint quæ alios à propoſito, hæc è tenebris eruendi abſterruerint, nos verò diu multumq; defatigaverint, antequam hæc ſucceſſoribus elimanda & ſupplenda dare potuerimus.

MONUMENTORUM DANICORUM,

LIBER SECUNDUS.

In Selandia extantia Monumenta continens.

MUlta eaq; præclara veterum Heroum, in Selandia olim extitiſſe Monumenta, vel id abundè evincit, quod non ſolum Regum Baltheorum ibidem extiterit ſedes regia, ex qua quicquid memoria dignum contigit, promanavit: ſed etiam poſt trium Regnorum Danicorum in unum coalitionem, magni Reges ibidem variis in locis propugnacula ſua extruxerint, arces ædificaverint, Regale ſolium locaverint, tumulos infinitos adhuc extantes, rerum præclarè geſtarum teſtes erexerint, variisq; urbibus & provinciis de ſuo nomine nomina indiderint.

Jam verò lapidum & cipporum (eorum in primis qui priſcâ noſtra literaturâ elaborata continebant Majorum elogia) rara adeò ibidem quod reperiatur copia; urbium novarum, propugnaculorum ad normam Geometricam nuper extructorum, palatiorum aliorumq; ad luxum & oſtentationem, magnificentiâ & mole eximiâ erectorum ædificiorum, eſt quod acceptum feramus ſplendori. Cum etenim hactenus nullo in pretio, contemta penitus noſtra jacuerit Literatura priſca, imò veneficii & incantamentorum infamia notata fuerit, nemo inventus eſt qui à Lapicidarum, Cæmentariorum, Statuariorum aliorumq; ejus generis hominum violentis manibus monumenta patrio ſtylo, memoriam viro-

virorum fortium ad ſeram poſteritatem conſervantia eripere & vindicare aut voluerit, aut conatus fuerit. Ii enim undiq; operibus ſibi deſtinatis ſaxa, præſertim majora & elegantiora conquirentes, venerandæ antiquitatis aut heroicorum buſtorum reſpectum habuere nullum; ſine diſcrimine propoſito inſervientia conquirentes, monumenta diruerunt, ſaxa everterunt, cippos fregerunt, literas deleverunt, omniaq; ſuæ libidini inſervire coegerunt; niſi quæ aut loci importunitas, aut ſaxi durities, aut figura minus tractabilis, ab illorum exemit violentia. Huc acceſsit Agricolarum ſordida auaritia, qua lapides & monumenta in eorum agris & fundis exiſtentia, ne remoram aratro injicerent, aut terræ exiguâ portiunculâ eos ſpoliarent, effoſsis ſcrobibus & ſuperinjectâ glebâ, ſepelierunt.

Quæ immanitas etiamnum eos exercet, qui ad rem attentiores, ac præ reliquis diligentiores videri volunt. Mirum igitur non eſt, rariora jam quàm olim non ſolum in Selandia, ſed etiam aliis in locis patriæ noſtræ, reperiri monumenta inſcriptionibus decoris inſignita, ex quibus res hîc præclarè geſtas eruere ſit integrum.

Ne tamen relictas adhuc micas, pari impietate conculcemus, amore venerandæ antiquitatis illecti, ſuperiorum quinetiam mandatis inſtigati, potiora quæ adhuc extant veterum trophæa colligere, delineare & ad poſteros propagare, quantum per ordinariorum operum molem licet, ſtudebimus, à Selandia exorſi.

Vt autem curioſus lector qui proponendorum viſendi deſiderio flagrat, haud fruſtra per totam oberret regionem, Selandiam univerſam in viginti ſeptem diſtributam provincias ſeu principatus, exhibeo, Johannis Lyſcandri potius, quam meis delineatam verbis.

Sic autem ille Antiquitatum Danicarum Sermon. III. "
" Selandia eſt terra lata & fertiliſsima, quæ admodum populo- "
" ſa, civitates in circuitu & locis mediterraneis plurimas & pul- "
" cherrimas habet. Hanc inhabitant diverſimode ordinariis "
" di-

diſtinctæ provinciis gentes viginti ſeptē, uti in Catalogis provinciarum traditum eſt. Dani Principatus; nos vel Præfecturas, vel Principatus, vel Provincias, vel Comitatus, vel Gentes appellare poſſumus. Nam ſic determinantur, quod ſua quælibet harum judicialia habeat fora, ſuum Præpoſitum, ſuum Legiſlatorem & Præfectum, ſuum Cancellarium; & à ſe invicem appellationibus, limitibus & moribus differant. Recenſet verò deinceps ordine ſingulos hoſce Principatus in hunc modum.

Ad orientale hujus inſulæ littus è conſpectu *Amageriæ*, quâ in Scandiam tranſitus eſt, Hafnia Danorum ampliſsima colonia cernitur, & modernis ſæculis univerſi Regni metropolis, ab Abſolone magno Epiſcopo, in confinio *Smarinorum* & *Soglotarum* olim extructa, ubi hæc terra parvo interſticio à Scandia abeſt. Opulentiſsima ſane urbs eſt, omnibus gentium mercibus & Regio vectigali, quod orientales occidentalesq; negotiatores Regi Danorum obligantur exponere. Ad dextram ſeqvuntur *Stryones* usq; ad *Sinum Iſsicum*, caput in *Ophiopoli* civitate habentes. Sed ad boream inhabitant *Holbotæ* populi ſylveſtres: ibi *Seburgum* oppidum. Mox *Halſneße*, ubi pelagus Iſsicus ex Baltheo influit. Hos à tergo claudit mare Boreum. Seqvuntur deinde lati ad Auſtrum *Sœmonum* campi & urbs horum præclariſsima *Roeſchildia* Epiſcopalis ſedes, quæ tantæ olim autoritatis fuit, ut unica quaſi imperii Balthici & Danici metropolitana ſedes eſſet, quæ cum ſtarent vires, viginti ſeptem auguſtiora exhibuit templa, & alias opes multas. Proximus his eſt *Valobriorum* Principatus inter duos reflexus ſinus Iſsici. Nam cum is à ſeptentrione profluat, ſtatim in duo ſecatur brachia, quorum quod magis ad orientem eſt, excipit urbs Roeſchildenſis altero ad occaſum vergente & Auſtrum, efficiuntq; ſimul uti peninſulam quandam in medio Inſulæ. Hujus inferiora tenent *Valobrii*, ſed extrema inhabitat *Horſuiddarum* alia gens, ſub ſaltu Horſuiddico. Inde ſub dicto ſinu campeſtia tenent *Merleſii*, juxta *Holbecum* oppidum. *Tusſitæ* mox

ſunt,

ſunt, poſt eos *Scypæi*, ubi terminatur mare Iſsicum, quod eo “
usq; ſe extendit, ut ferè in mare Balthicum influat. Sed in
illis anguſtiis montes plures ſunt & munitio fortiſsima *Dra-* “
conitis qua arcetur tranſitus in ulteriorem regionem, quam “
incolit populus ampliſsimus *Oddarum*, caput in *Nycobinda* “
tenens. Extrema deinde ad occidentem tenent *Arſenii* ad
civitatem *Calunburgenſem*, quam magna ſolertia extrui fecit “
miles præſtantiſsimus Esbernus Snare, ad comprimendos “
maris Balthici pyratas. Seqvuntur deinde *Leonitæ* usq; *Sla-* “
glotiam, & ad ortum *Ringones*, caput in *Ringſtadio* habentes, “
quod ſedes eſt modernis ætatibus Parlamenti Balthici. Ad
auſtrum deinde ſunt *Flaccerii* & *Hamerini* ad *Neſtvedam*. Sed “
extremum tenent reflexum *Boreſsi* ſupra *Vordenburgam*. His “
accedunt *Faxandrii* & *Stevanii* ad orientale littus ſub promon- “
torio Stevanico. Hinc *Biergoeſchovii* montium & ſylvarum
incolæ, ubi regium caſtrum *Tuta vallis*. Seqvuntur *Ram-* “
ſenii ad *Coagium*. Sed omnes enumerare perlongum foret, “
qvi in mediterraneis latè degunt. Hæc Lyſcander. “

Etſi qvamplurima addere poſſemus, ab autore partim omiſſa, partim ſtrictim tacta; qvia tamen hæcce noſtro inſtituto ſufficiunt, nec ex profeſſo hoc jam agimus, ad Monumenta nos rectà conferamus & habito delectu, eos ſaltim luſtremus Principatus, qvi noſtro propoſito cōmodas ſuppeditant in ſaxis & cippis inſcriptiones, ne extra chorum ſaltare, eaq; his ingerere videamur, qvæ à Runis noſtris alieniora cuipiam videri poſsint. Sit igitur:

PRIMUM.

WERENSE.

NOn eqvidem diffiteor ex iis monumentis literatis de qvibus vel fando aliqvid accepimus, vel litteris conſignatum qvid hauſimus, primatum in Selandia obtinuiſſe illud qvod ad Werum pontem Regum ditiſsimo Frotoni poſitum refert Saxo noſter ſub finem qvinti & in principio ſexti libri. Sed qvia idem cum aliis qvamplurimis ſubiit

biit fatum, vix quicquam de eo referre poſſumus qvod non à Saxone noſtro propoſitum, cujus verba huc afferre non abs re erit.

Secus Werum Selandiæ pontem Regio funere tumulavere corpus, affirmantes Frothonem eo loci mortis ac buſti copiam exoptaſſe, ubi regni ejus præſtantiſsima haberetur provincia. Defuncto Frothone Dani Fridlevum qvi apud Ruſsiam educabatur, falſò extinctum rati, cum jam regnum hæredis inopia claudicare, nec in regia gente continuari poſſe videretur, hunc ſceptro digniſsimum arbitrati ſunt, qvi illuſtrandi Frothonis gratia recenti ejus tumulo, plenum laudis carmen affigeret, formamq; extincti Regis ſpecioſo poſteris titulo commendaret. Tunc qvidam Hiarnus Danicæ admodum Poëſis peritus, ut claritatem viri inſigni dictorum Monumento proſeqveretur, præmii magnitudine concitatus, more ſuo barbarum condidit metrum, cujus intellectum qvatuor verſiculis editum, in hæc verba tranſcripſi.

FROTHONEM DANI QVEM LONGUM VIVERE VELLENT
PER SUA DEFUNCTUM RURA TULERE DIU.
PRINCIPIS HOC SUMMI TUMULATUM CESPITE CORPUS,
ÆTHERE SUB LIQVIDO NUDA RECONDIT HUMUS.

Qvo Carmine edito Autorem Dani diademate munerati ſunt. Ita ab eis Epitaphium Regno repenſum, imperiiq; pondus paucarum literarum contextui donatum eſt, &c.

In veteri Chronico rithmis Danicis conſcripto, hiſce extat exaratum idem Regis Epitaphium.

Danſke the førdhe Konning Frode om Land/
Lenge ſyen han gaff op ſyn andh.
Thet giorde the for the hadthe hannem kiær.
The wille hannem hafft i Wærdhn hær
Then mechtigſte Høffdingh ſom gick aff ry
Er jordhet her wndher then wodhe Sky/

Elegantius And. Vellejus in hunc modum.

De Danſke førde Lig try Aar om Land/
Kong Frode hin Frede gode:
Saa gierne haffde ſeet baade Quinde oc Mand/
Hand lenger for Riget motte raade.

Her

Her ligger begraffuen den Kempe ſaa ſterck/
Hos Være Broc ſees diſſe Steene:
Vnder oben Himmel paa vildene Marck/
Der huilis den Herris Beene.

Locus tumuli adhuc conſpicuus & paucis in Selandia ignotus; qvâ enim Roſchildia Slangendorpium itur, medio fermè itineris tractu pons extat, per qvem transeundum eò tendentibus. Nomen obtinet priſcum à Saxone notatum, vulgò Være Broe: propè collis oſtenditur ab accolis, qvâdam ſui parte qvaſi collapſus, ubi tumulatum referunt Frothonem, Frode Høy dictus, de qvo mira ac varia vulgò fabulantur. Senes de hoc negotio interrogati, referunt lapidem cui Epitaphium inſculptum erat, à cæmentariis fractum & ad pontis reparationem una cum aliis nonnullis translatum. Dolendum profectò rem tam carè emptam tantoq; æſtimatam Regno, tàm miſere periiſſe tantamq; fati inclementiam ſubiiſſe. Qvid miramur minoris momenti neglecta, disjecta, ac penitus obliterata jam eſſe in Selandia procerum monumenta, cum Regum præſtantiſsimorum tanta tàm fædè violata ſint buſta? Sed fruſtra deploramus qvæ mutari neqveunt, qvin potius eo allaboremus, ut qvæ adhuc reſtant ab interitu, vel noſtra vindicentur ope.

SECUNDUM.
TRYGVELDENSE.

Hujus hiſtoriam Viro Nobiliſsimo Domino TYCHONI BRAHE de Toſtrup &c. p.m. Trygveldiæ tum Præſidi Regio, amico meo ſummo, hac conceptam formulâ transmiſi Anno M DC XXXVI.

Nobiliſsime Domine
TYCHO BRAHE,
Fautor & amice honorande.

QUod nuper, cum in arce Nycopienſi Falſtrorum, à Sereniſſimo Principe CHRISTIANO V. &c. lautiſsimè ex-

cepti eſſemus, in itinere à me petiiſti, ut de Monumento quod Trygveldiæ, (cui magno tuo merito, autoritate Regiâ præes) viſitur, meam tecum communicarem ſententiam, quò tot advenis, molem & ſculpturam ſaxi admirantibus, deq; ejus ſenſu crebrius anxiè ſciſcitantibus, gratificari poſſes commodius: id eo lubentius promptiusq; jam facio, quò benevolum tuum in me affectum, crebrius expertus ſim, quantiq; Literatos (ipſe literis eleganter politus) facias, indies favore, benevolentia, officiis teſtatum reddas. Mihi verò res hæc eò fuit expeditu facilior, quò crebrius hoc Monumentum perluſtrarim, quodq; ejus hiſtoriam libris Monumentorum Danicorum inſerendam dudum conſignaveram. Cape igitur ex libro ſecundo Selandicis antiquitatibus dicato, cippi hujus σκιαγραφίαν, qualem poſt tot aliorum conatus, noſtra eruere potuit induſtria, eamq; favoris tui aura benigne fove, usq; dum melior arridens fortuna, reliquis patriæ noſtræ Monumentis lucem indulſerit clariorem. Perge porrò magni Daniæ Athlantis Tychonis Brahe patrui tui, cujus nomen & omen geris, merita ſtrenuè æmulari; ſic æternitati conſecratus, Brahæos inter Tychones, perpetim celebraberis. Quæ cippum noſtrum ſpectant ita ſe habent.

Trygveldum ſive (ut appellatione utar Bonav. Vulcanii) *Tiraquellum, Tuta vallis* Lyſcandri, Regia eſt, altero lapide à Coagio oppido Selandiæ amæniſſimo diſtans. Huc in aream majorem ex colle vicino Keiſerhøjen vocato, à Paulo Wobis, tunc temporis ejusdem loci Præſide, ante annos circiter ſeptuaginta, tranſlatum eſt ſaxum quod etiamnum ibidem viſitur, ſtructura rudi, longitudine ſupra terram, quatuor ulnarum Selandicarum, latitudine parte ea qua ſe maximè extendit (inæquale enim eſt) ulnæ unius cum tribus quartis, figura pyramidali fermè, colore griſeo, literarum ductibus à baſi ad apicem excurrentibus, magnitudine unius quartæ, quinq; foraminibus pervium.

Hujus inſcriptio à multis anxiè quæſita & à Bonav. Vulcanio aliisq; publicata; ſed qui exactè ſingulos apices rimatus

ſit,

ſit, neminem videre contigit. Quotquot enim in ejus ſenſum inquiſivere, non ſolum in diverſas de re ipſa diſtracti ſunt ſententias, ſed etiam ipſas literarum notas, aliter atq; aliter delinearunt.

Vulcanius quidem de Literis & Linguâ Getarum ita de eo diſſerit: *Sequens inſcriptio extat Tiraqvelli in Selandiâ Cimbricâ, rudi & antiquo ſaxo inciſa, quod quidem ſaxum Daniel Rogerſius ſibi à Dno. Arnoldo Witfeldio oſtenſum teſtatur Anno MDLXXXVIII, 30 Julii, & inſcriptionis hujus exemplar ſibi ab eodem datum.*

ᛁᚢᚠ ᛋᚠᛅᛁᚦ ᚦᛅᛁᛋᛁ
ᛁᛅᛅ ᛋᛁᛅᚢᚠ ᚠᛅᚱᚦᛁᚼᛅ
ᚢᚠ ᚦᚴᛆᛋᚢᛁᛚᛅᛁ
ᚱᛁᚠᛅ ᚼᛁᛚᛏᚱᛋᚢᛋᛏᛁᛦ
ᚢᛚᚠ. ᛋᛁ ᛋᛅᛏᛁᛋᛏᛅᛁᛅ
ᚠᚢᛅᚢᛚᚠ ᚢᛁᚱᛋᛆᛁᚢᚠ
ᛚᚴᛰᚢᛚᛅᛁ

ᚢᛁᚦᛁᛅᛁᚱ ᛒᛁᛋᛁᚠᛅᛁᛆ
ᚢᛦᚱᚦᛅ ᚼᛁᚠᚢᛁᛦᛁ

Item hæc

ᛋᛅᚢᛅᚱ ᚦᛁᛅᛏᚱᛁᛏᛅ
ᛁᛋ ᛅᛁᛏᛁᛋᛏᛦᛁᛅᛆᛆᛅᛋᛁ
ᛁᛦᛁ ᚼᛁᚦᛅᛁ ᛚᛆᚠᛁ

Explicationem ſubnectit nullam, nec potuiſſe eum quicquam ex hiſce elicere arbitor, tum quod depravatam nactus eſſet inſcriptionem, tum quod idiomatis noſtri, veteris præſertim, non usq; adeo gnarus extiterit.

Claudius Lyſcander in ſuâ Regum Danorum Genealogiâ idem exhibet, ac Epitaphium Regis Hotteri his contineri arbitratur, literarum quoq; ductus proponit ab iſtis diverſos, in hunc ferme modum.

ᛅᚢᚠ. ᛋᛦᛆᚦ. ᚦᛅᛅᛋᛁ. ᚦᛅᛋ
ᛅᚢᚠ. ᛦᛅᚴᚦᛁ. ᚼᛁᚢᚴ. ᚦᚱᛅᛋᛁᛅ. ᚱᛁᛦᛅ
ᛆᛏ. ᚼᛆᛚᛏᛆᚱ. ᛋᚢ. ᛋᚢᛆ. ᛁᛦᚢᛚᚠ ᛋᛅᛏᛁᛋ
ᚠᛆᚱ. ᛏᛅᛁ. ᛅ. ᛦᚢᚴᛏᚢᛚᛅ. ᚢᛅᛚ. ᛋᛁᛅ. ᛦᚱᛁ ᛦᚢᛚᛅᛅ
ᛁᛅ ᛁᚱ ᛒᛚᛘᚢᛅᚴ ᚢᛅᚱᛁᛅ ᛅᚢᛁᛅ-ᛁᛦᚦᚴᛁᛏᛁ
ᚼᚢᛅᚱ ᛚᛅᚱᛁᛅ ᛏᚱᛅᛏᛅ ᛋᛦᛁᛚᛅ. ᛏᛅᛁ
ᛅᚦ ᚦᚱᛅᛋᛁ ᛁᚴᛁ ᚦᚢᛅᚱᚦ ᚱᛅᛦᛅ

Quod ita interpretatur

Jeg ſkiød dyſſe diſſe
Jeg kende hion diſſe Rige
At holdet ſaa ſom i Maalſteffne ſettis
For dem ey kund ture wel ſin Kri fylle
Jer bleffuen Werie offuer eders Nytte
Huer lære Trette at ſkille / den i
Ey fordriſte udi it qwerd Rige

Id eſt: Ego tumulos hoſce feci, ego in hiſce regnis juſtitiam vigere volui, ne quivis temere lites moveret, ſed ſubditi rebus ſuis quietè vacarent. Diſcite hinc lites componere, nec in Regno pacato temerè diſcordias excitate.

Hotteri igitur elogium & Epitaphium eſſe exiſtimat, idq; in præcedentibus adſtruit, in quibus talem pertexit narrationem. Periit in bello Hotterus circa annum mundi 3464. ſepultus eſſe putatur in orientali Sælandiæ tractu, prope Regiam Trygveldenſem: ubi in campo tumulum ingentem excitari curavit, in quo comitia celebrare ſolebat, cujus circuitum grandibus cinxit ſaxis, meditullium uno reliquis majori exornans, quod foraminibus circa latera pervium fecit, ut iis cum magnatibus equos alligare commodè poſſet. In hoc autem ſaxo (quod demum in Regiam Trygveldenſem translatum eſt) literis Runicis ſequentia exarari curabat &c.

Sed Hottero hoc poſitum eſſe monumentum, ne minimus arguit literarum apex, imò ſenſum ab eo quem proponit Lyſcander alieniſsimum planè nobis præbere, mox patebit, ubi genuinam ejus delineationem propoſuerimus. Nec ullâ probabilitate aſſeritur, quinq; iſta foramina quorum tria ab unâ, orientali ſcilicet, duo ab alterâ occidentali, conſpiciuntur plagâ, eo fine ab Hottero inſculpta eſſe, ut cum comitatu ſuo iis ad equos ligandos uteretur. Contrariũ enim arguunt ductus literarum quarundam foraminum inciſione aboliti, quos in tam præclaro monumento ſuâ ætate obſcurari nequaquam permiſiſſet Hotterus. At quis crederet monumenta æternitati conſecrata ab eo qui eadem

magnis

magnis ſumptibus ſtruxit, equorum ſoleis conculcanda aut excrementis conſpurcanda objecta eſſe? Majori certè in pretiò olim erant, & qui religioſè admodum ea culta & ſacrata fuiſſe ignorat, in antiquitatibus planè hoſpes ut ſit neceſſe eſt.

Extat quidem in vicinia pagus *Horlef*, quaſi Hottersleſ, in cujus cœmeterio elegans ac magnus conſpicitur tumulus, fraxinis undiq; cinctus, qui majori probabilitate pro Hotteri buſto haberi poſſet, quam alius quispiam; cum pagi non abludat nomen, & propè Regum ſepulchra ædificata eſſe templa, Jellingenſe, ſine controverſia, doceat. Sed ex hoc tumulo neutiquam depromptum eſt ſaxum de quo hic loquimur, verum ex alio Keyſershoyen vulgo dicto, ut ſupra monuimus.


Alii aliter inſcriptionem hanc exponunt, ad Hotterum maxima ex parte reſpicientes. A quodam hanc nactus ſum, incultam quidem & characteribus neutiquam reſpondentem, ſed ad res geſtas Hotteri & obitum reſpicientem; quam arbitror in alio inventam lapide qui inſignem iſtum exornabat tumulum qui adhuc in cœmeterio Horleviano viſitur.

Denne Høy er giord uden Meen
Her i hviler den rjge Kong Hotters Been/
Denne Steen er offuer ham ſet/
Vijſer hans Graff/ hannem ey forget:
Jeg haffde nock Trette oc Krig
Med Bo den Affguds Søn Ottin/
Jeg bleff ſiug oc døde bort
Oc huilis her i Jorden ſort/

Hotterus Regum decus hic tumulatus, aviti
Promeruit ſaxi hoc decus & monumenta decôra,
Tanta viri virtus nam vinci neſcia, quamvis
Impiger Ottini Bo dictus filius, altam
Turbaret regni pacem: nunc oſſa quieſcunt
Ceſpite ſub viridi, telluris pondere preſſa.

Complures alii ingenia defatigarunt, ut certi quid literis conforme eruerent, ac ſplendidum hoc monumentum enuclearent; ſed irrito hactenus conatu. Rei igitur raritate & difficultate motus illuſtris & generoſus Dns. CHRISTIANUS FRISIUS de Kragerup, Eques auratus & Reg. Maj. Cancellarius magnus, Academiæ Regiæ quæ Haffniæ eſt conſervator ſupremus, me tandem eò ablegavit anno M D C X X I V. die 7. Septembris, ut quam fieri poſſet accuratiſsimè ſingula perluſtrarem, minutiſsimos quosq́; apices annotarem, totamq́; ſaxi faciem depingerem. Ego verò etſi aliquoties ante, (cum valetudini Nobiliſsimi & nunquam ſatis laudati Dni Canuti Wrne de Aſmark, Regiæ Trygveldenſis Præſidis meritiſsimi, nunc vero ἐν ἁγίοις, præeſſem) ſaxum hoc perluſtraſſem atq́; in uſum privatum inſcriptionem annotaſſem; attamen majori curâ & induſtriâ ut jam mandata exequerer, adhibito inter alios induſtriæ teſte & arbitro nobiliſsimo loci Præſide, negotium aggreſſus ſum, quantumq́; per me fieri potuit, præſtiti. Primo igitur probè à pulvere, cœno & muſco expurgatis notarum ſulcis, ductus creta induxi, ubi oculorum aciem, exeſi lapidis meatus confundebant, tactu & digiti in arte factos tractus immiſſione, à tempeſtatum injuriâ impreſſos, ſegregavi. Quin imò mihi ipſi ubi diffidebam, aſtantium omnium opem & judicia imploravi, tandemq́; abſolutis omnibus quæ viam legendi expeditam reddere poterant, hanc ſaxi faciem & inſcriptionis tenorem repperi.

Situm



Situm hunc obtinet; latus quod pluribus inſignitum viſitur literis auſtrum ſpectat, alterum aquilonem. Omnes quotquot hactenus ejus interpretationem proferre conati ſunt, à prima linea partis auſtralis ſunt auſpicati; ſed quia prima ejus vox conjunctio eſt copulativa, quæ aliud quod præceſsit & cum quo ſequentia jungi debeant reſpicit, potius ab alterius patris linea minori, legendi initium faciendum arbitror. Nec reclamat ſenſus; quin imò adſtipulari videtur ſitus ipſe litterarum. Duo enim hæc latera ſi eo conjungantur modo quo in ſaxo ipſo apparent, liquebit eandem hanc viciniorem eſſe primæ in parte auſtrali, quam alteri in parte aquilonari. Nec alium

in

finem tanta portio literis vacua relicta eſt in hac parte, niſi ut indicet duas in hac facie lineas minimè conjungendas: ſed ab altera faciendum initium, in altera finiendum: Sic igitur lego:

ᛁᚽᛆ ᛆᛁᚦᛆᛁ ᛏᚱᛆᚴᛁ
ᛆᚢᚴ ᛋᚴᚼᛁᚦ ᚦᚼᛁᛋᛁ
ᚦᛆᚽᛋᛁ ᛆᚢᚴ ᚴᛆᚱᚦᛁ ᛆᛁᚢᚴ ᚦᛅᚽᛋᛁ ᛆᛁᚽᛆᛏ
ᚱᛅᚠᚽᚼᛁᛚᛏᛚ ᛋᚢᛋᛅᚢᛆ ᚢᛚᚠᛋ ᛋᛆᛏᛁ ᛋᛏᛆᛁᚽ
ᚴᚢᚽ ᚢᛚᚠᚢᛁᛚ ᛋᛁᚽ ᚴᛚᛅ ᛘᚢᛚᛆᚽᛘ
ᚢᛁᚦᚽ ᛆᛁᚱ ᛒᛁᛋᚠᛆᛁᛆ. ᚢᛆᚱᚦᛆᚽ ᚢᚠᚢᛏᛁᛆ. ᚦᛅᚽ ᛒᛆᛏᚱᛁ
ᛋᛅ ᚢᛆᚱᚦᛁᛆ ᛏᚱᛁᛏᛆ. ᛁᛋᛆᛁᛚᛏᛁ ᛋᛏᛆᛁᚽ ᚦᛅᚽᛋᛁ.

Ine hidei Tregi
Eug skeid doiſi
Denſi eug gerdi heug donſi einet
Rafnhiltl ſuſtur ulfs ſeti ſtein
Kun Ulfvil *ſin kló mulenm*
Vidn eir Bisfeir verden ufuter don betri
Sa verdie trite iſeilti ſtein donſi.

Senſus eſt, qvantum qvidem ego aſſeqvor:

EGO DICTUS TREGI, EGO TUMULUM HUNC FECI, EGO SEPIMENTO CINXI HUNC TUMULUM CINCTUM. RAGNILTA SOROR ULFI SAXA POSUIT, UXOR ULFVILDA TERRAM EXAGGERAVIT, TESTIS EST BISFAIR. QVISQVE PRO MODULO. TRES IGITUR FUIMUS SAXEI TUMULI FABRICATORES.

Qui genuinas & veras literarum in lapide extantium figuras cernere cupit ejus typum conſulat, nos hic in explicatione æqvivalentibus uti cogimur cum veris iſtis deſtituatur Typographus noſter; qvod in aliis omnibus obſervatum cupio.

ᛁᚽᛆ pro ᛁᚴᛆ Jeg poſitum arbitror, ita dictitante textus cohærentia, nec facile commodiorem interpretationem admittit contextus. Longiuſculè à noſtro idiomate remotum qvod ſit; hoc cum multis aliis in eodem hoc monumento commune habet, & haud leve præbet antiqvitati teſtimonium.

ᛏᚱᛆᚴᛁ jam Trygi dicimus, Tryggo Latinis. Ab hoc Tryggone Trygveldum denominatum conjicio, qvaſi caſtrum,

ſtrum, fundum hæreditarium aut prædium (id n. vox Welde notat) Trygonis, forſan ab ipſo olim hic fundatum. Regnũ olim denotaſſe Welde ex illo conſtat: ᚦᚱᛆᚴᚠᛁᛋ ᚢᛁᚴᚢᛦ ᛯᛆᚠᚢᛦ ᚠᛆᛁᚴᚠᛁᛋ ᛒᚱᛁᛁᚦᚠᛁᚴᚦ ᛘᛁᚴᛁᛚ ᚢᛆᛚᚦᛁ. id eſt, Rex accepit vaſtam terram & magnum Regnum. Sic *Danawelde*, *Sviawelde*, Danorum & Svecorum Regnum. Hodie poteſtatem & ditionem notat Magt oc Welde. Regem qvendam Norvagiæ Olaum, parentem hujus nominis habuiſſe legim⁹, ſed quisnam hic fuerit, tacent Hiſtorici, ut & infinitos alios.

Qvocirca non ſine cauſa in hunc modum exclamare cogitur Saxo noſter hiſtoriæ lib. IV: *Quot illuſtrium gentis noſtræ virorum ſplendorem ſcriptorum penuria laudi memoriæq́; ſubtraxit. Quod ſi patriam hanc fortuna latino quodam ſermone donaßet, innumera Danicorum operum volumina tererentur.*

ᛋᛘᛁᛁᚦ jam ſtød/ pro fabricare, erigere qvandoq́; ſumitur.

ᚦᛂᛁᛋᛁ jam Dyſſe ita tumulos ex terra, lapidibus & ceſpitibus congeſtos vocant: Steendyſſer qui ex ſolis conſtant lapidibus appellitant, à verbo *ad Dyſia* qvod cadavera terra obruere notat: Hinc *Dyſiadur* terra & lapidibus tumulatus, quod aliàs *Kaſadur* dixerunt.

ᚦᛆᚴᛋᛁ pro ᚦᛆᛆᛋᛁ diſſe/ *hunc*, ſculptoris facilis fuit lapſus in linea transverſali, qvæ contrario exaranda erat ſitu.

ᚠᛆᚱᚦᛁ proprie ſepimento, forſan lapideo, cinxi hunc collem, At gerde hodie etiamnum notat ſepimento agros aut terram concludere, ſepire, aut ſepimentum conficere. Hinc illa indgerde/ indluckeen Marck/ & Gerde ſepimentum.

ᛆᛁᚴᛆᛏ Egnet/ appropiatum ſive dicatum etiamnum nobis denotat. Clariſsimus Stephanus hoc in loco pro Heinet poſitum arbitratur, qvod nobis notat, foſſa, ſepimento aut aliis ejusmodi munimentis fundos cingere. Unde Heinet & indheinet Gods.

ᚱᛅᚠᚴ ᛯᛁᛚᛘᛁᛚ qvidam legunt diſtinctis vocibus. Qvod ſi ita ſit, proprium erit ᚱᛅᚠᚴ. complures enim fuere hujus nominis in hiſce Regnis ſeptentrionalibus. Saxo noſter Hiſtor. lib. V. Rafnonis cujusdam meminit, cui à Gothero Rege

Norvagiæ Daniam invadendi facta fuit facultas, qvi etiam in Dania periit, id atteſtāte eodem Saxone in hunc modum: *Ceſo itaq; Rafno cum multa ſuorum parte, ſex ſolum naves Norvagiam relapſæ, documento fuere Regi haud facilè Danos obteri poſſe.* Factum hoc ſub imperio Frotonis tertii qui eo tempore quo Chriſtus natus ad Daniæ ſedit clavum: ſed alium qvempiam ab hoc diverſum hic celebrari crediderim.

Rafno dictus & Regulus ille qvem Regnerus Lodbrog bello protrivit, de quo in Epicedio Stropha VI ita canit:

ᚱᚨᚦᛁᚴᚴ ᚢᛆᛦ ᚱᛆᛂᚴᚦᚢᛦ ᛘᛆᚴᛂ
ᛆᚦᚢᛦ ᚱᛆᚠᚴ ᛉᚨᚴᚠᚢᛦ ᚠᛂᛁᛚᛚᛂ.

Sangvine conſperſos Regum ſpectare dabatur
Vmbones, Rafno cum cadit enſe meo.

Vide Literaturam noſtram Runicam circa finem. Hic Rafno propius ad hujus Monumenti ætatem accedere videtur: ſed quod ipſus ſit, de qvo in hoc cippo fit mentio, certò affirmare nullus poteſt. Imo potius arbitror legendum unica voce ᚱᛆᚠᚴᛡᛁᛚᛐᛚ ut ſit *Rafnilta*, qvod nomen eſt fœminæ, de qvo vide monumentum ſextum libri ſexti.

ᚼᚢᚼᛐᚢᚱ in hac voce clarum exhibetur combinationis literarum exemplum; nam ex ᛏ & ᚢ emergit ᛏᚢ poteſtatem utriusq; obtinens.

ᚢᛚᚠᚼ Ulphonis vel Ulphilæ.

ᛉᛚᛆ pro *gro* à verbo **at grafue** fodere, vel à voce **at kløf-ue** findere, qvod jam lignis & fiſsilibus propriè accommodamus. Vetuſtas ex litera R duas abſtulit ductus.

ᛉᚢᚴ ᚢᛚᚠᚢᛁᛚ ᚼᛁᚴ *uxor ejus dicta* Ulfvilda. Hujus nominis fuit Hadingi filia apud Saxonem lib. I. *quæ maritum in parentis cædem absq; pietatis reſpectu ſollicitavit*, qvamq; ut idem paulo poſt lib. 2 ait: *Frotho Vbboni ademptam, amico ſuo Scoto, qui & ipſe Scotici nominis conditor fuit, nubere coëgit, tori varietatem ſupplicii loco reputans.* Alterius etiam Ulfvildæ mentionem facit lib. VII. Caroli Gothiæ præfecti filiæ. Fuit & Ulfvilda Norica qvem *Sverco Svecus amatoriis primo legationibus ſolicita-*

tam

tam, mox viro furtim abſtractam ad ſuum usq; connubium perduxit, de qva conſule lib. XIII ejuſdem.

ᚢᚼᚱᚦᚼ &c. in horum ſenſu me hærere fateor, meliorem allato, afferre mihi non datum, ſi quis literis magis congrua elicuerit, ei eſt quod gratias agam. In hoc deſudaſſe Clariſsimum Stephanium jam primum intellexi, qui hæc colligit: ᚢᚼᚱᚦᚼᛚ ᚢᚹᚢᛅᛁᛦ exercitati ubi fuerimus, ſcilicet in monumentis exſtruendis, ᚦᚼᛚ ᛒᛁᛅᚱᛁ, tum melius partes noſtras ſuſtinebimus. *Vfutir* enim conſentit cum moderno øfuede, *verden Vfutir*, exiſtentes exercitati, *Don betri* tum melius.

ᛏᚱᛁᛏᚼ Tres expono, Trygo ſc., ſoror Ulphilæ & Ulfvilda, qvartus enim Bisfair, teſtis ſaltim loco acceſsit, nec quicquam contulit operæ. Neſcio an hinc colligere liceat teſtamento cautum fuiſſe ut ab hiſce tribus, hæredibus forſan, monumentum hoc erigeretur, hoc enim & alias gentes factitaſſe, vel ex Inſcriptionibus liqvet antiqvis.

Sic Sæpini:

C CENTIO L. L. FIRMO. ET
CENTIÆ SP. F. PAULÆ. ET
CENTIÆ L. L. QVARTÆ
HOC MONUMENTUM. EX
TESTAMENTO SIBI FIERI JUSSIT.

Item in Cathedrali Eccleſia Nepete.

HERENNIÆ C. F. JUSTÆ
M. APISTIUS M. F. SABINUS DUUMVIR
VEIOS IV VIR NEPETE
UXORI SANCTISSIMÆ. ET
DE. SE. OPTIME MERITÆ,
TESTAMENTO FIERI JUSSIT.

De ætate hujus Monumenti vix certi quid affirmare licet; aſpicienti externa facie antiquitatem præ ſe fert magnam, cui adſtipulatur inſcriptionis idiotiſmus. Si Rafno

 ille

ille in cujus memoriam exſtructum eſt, is eſt quem ex *S*axone ſupra produximus; tempore naſcentis Chriſti poſitum eſſe, dubitare non poſſumus, ſed *Rafniltl* potius legendum cenſemus, ut ſupra dictum.

Patet igitur toto hoc Monumento, ne apicem qvidem contineri, qui eorum ſententiæ patrocinari poſsit, qui Regis Hotteri ſepulchralem hunc fuiſſe lapidem arbitrantur. Nomen Hotteri nullibi expreſſum, quod tamen ut in omnibus aliis, fieri deberet: nec geſtis ejus ſunt qvæ reſpondeant. Quæ enim quidam vernaculis Rhithmis infarcit de pugna cum filio Othini Boo, hiſtoriæ quidem Hotteri ſunt conſona, verum ab hac inſcriptione alieniſſima. Refert quidem Saxo Othinum *recuperatis divinis inſignibus cum filium Boum quem ex Rinda ſuſtulerat, bellici laboris ſtudioſum cognoſceret, accerſitum fraternæ cladis memorem eſſe juſsiſſe, potius à Balderi interfectoribus ultionem exacturum, quam armis innoxios oppreſsurum, quod aptior & ſalubrior pugna competeret, ubi pium belli locum juſta vindictæ licentia tribuiſſet.* Et mox poſt pauca, de Hottero hæc addit: *Pugna cum Boo congreſsus occiditur.* Verum huic affine nihil in toto cippi noſtri contextu invenio. Quid igitur dicemus viros illos impuliſſe, ut hæc ab inſcriptione alieniſsima credulo vulgo obtruderent? Vicinum pagum Hotteri titulo nobilem eos decepiſſe arbitror: cum enim fama accepiſſent, hic olim Hotteri fuiſſe aulam, non abludente nomine *Hotterſlef*, ibidem tumulatum eum conſtanti rumore undiq; ſparſum eſſet, atteſtante colle inſignis magnitudinis, cœmeterii muro jam clauſo & templo contiguo, aliunde quam hinc delatum eſſe lapidem non putabant; cum tamen vivis teſtibus probari poſsit, noſtra ætate, non ab hoc; ſed alio haud longe hinc diſsito, (qui hodierna die Keyſerhøyen, ut ſupra monuimus, ab accolis vocitatur) translatum eſſe. Qvin tamen in Horleviano colle lapis extiterit cui Hotteri inſculptum encomium fuerit, non dubito. Sed unà cum aliis multis incu-

incuria majorum noſtrorum quod perierit, ſerio dolemus.

Habes hic, Vir generoſe, meas de tam præclaro Monumento meditationes, qvas ut cum ſaxo ipſo conferre haud graveris rogito. Quod ſi me exorbitaſſe in quibusdam videris, mone & gratius mihi nihil præſtiteris unqvã; quò ſi quando cum aliis hujus inſulæ antiqvitatibus lucem aſpexerit clariorem, tua munitum cenſurâ, per ora literati orbis vagetur audacius. Deus te cum tota generoſa ſtirpe in ſeros nobis ſoſpitet annos. Vale & vige Brahæorum decus perenne. Haffniæ in ipſis Regni comitiis Anni MDCXXXVI.

TERTIUM *ORETINGANUM.*

IN principatu Boreſiorum vulgo Borſcherrit, antiquitus forum erat haud procul à littore maris ſitum Oretbing dictum, cujus etiamnum haud obſcura extant veſtigia. Huc lites totius territorii vel ut quidam volunt univerſæ Selandiæ; capitales præſertim, & majoris momenti, deferebantur. Hic ſummum jus, hic Dea Juſtitiæ *Diſa* ſeu *Thiſa* (à qua leges & jura ſe nactos arbitrabantur incolæ) ſumma veneratione colebatur. Hæc illa eſt Thiſa cui non ſolum tertium ſeptimanæ diem Thiſæ dag ſeu Thiſdag conſecrarunt: ſed etiam menſibus hybernis nundinas ſolemnes Diſting dictas devoverunt. Quemadmodum autem hæ nundinæ in Dania hoc in loco magna celebritate & frequenti populi concurſu peragebãtur, ita in Svecia, Upſaliæ in primis, magno erant in precio, quod hiſce expreſsit Olaus Magnus lib. 4. cap. 6. *Hac imagine demonſtratur antiquiſſimus ritus glacialium nundinarum in multis provinciis & locis ſuper planam apertamq; glaciem opulentiſſimo mercatorum congreſſu obſervatarum, qvorum celebrior locus eſt in Archiepiſcopali civitate Vpſalienſi regni Sueciæ, per cujus medium vaſtiſſimus amnis tranſiens in tantum ſpiſſa glacie, frequentius circa initium Februarii*

congelatur, ut infinitam hominum multitudinem, jumentorum pariter & omnigenarum mercium ſuſtineat gravitatem. Talesq; nundinas usq; in hunc diem antiquitas vocaverat & adhuc vocat Dyſting, *id eſt judiciarium locum prudentiſsimæ Reginæ Diſæ.* Quinimò neqvis haſce nundinas temerè & non ſine rei familiaris detrimento negligeret, tempus quo quotannis celebrari debebant ſequenti deſignarunt rhithmo, quod ejusdem cum Faſtis erat autoritatis:

ᚿᛆᚱ ᛏᚱᛂᛏᛏᛆᚿᛑᛆᚼᛋ ᚿᚢᚦ ᛆ ᚠᚢᛚᛚᛆ ᚠᛆᚱ
ᚦᛆ ᛏᛁᛋᛆ ᛏᛁᚿᚵ ᛁ ᚢᛒᛋᛆᛚᛆ ᛋᛏᛆᚱ.

Nar Trettandahs Nyt a fylla faer
Tha Thiſa ting i Vpſala ſtaer. id eſt:

Primo poſt feſtum Epiphaniorum plenilunio, Upſaliæ celebrantur nundinæ dictæ Thiſeting. Haſtiludia præterea aliaq; exercitia equeſtria hoc tempore in ejus honorem inſtituerunt noſtrates, quorum reliquiæ etiamnum multis in locis viſuntur. Hinc illud: At rende Dyſt, quod propriè eſt, in honorem Diſæ haſtiludiis certare. Neminem moveat quòd à quibusdam Diſa ab aliis Thiſa vocetur: literam enim ᚦ quandoq; D Latinum, quandoq; TH notare, præſertim ubi punctatum ſuerit, docuimus in Literatura.

Ab hoc foro Orething, vicinā arx vetuſtate & capacitate inſignis, unà cum oppido nomen traxit ut *Orethingburgum* vocitetur, rectius quàm Waringburgum: licet non ignorem aliorum alias eſſe de Etymologia hujus vocis opiniones.

Eſt & in Scania amnis ponte inſignis, qui ab hac Dea nomen traxit; vocatur enim vulgo Diſie Aa, Diſæ amnis, celebris pugna illa quæ ibidem extitit inter Waldemarum primum & rebelles incolas, de qua conſule Haraldi Hvitfeldii tomum primum, ut & Pontani librum VI. *Dyſiæ* pontem hic vocat, vernaculum ſecutus idioma, *Dyſæ* malo ego. Locus prælii, ingenti ſaxo adhuc ſignatus conſpicitur, teſte eodem Huitfeldio.

Saxum

Saxum conſpicuum olim in hujus fori meditullio poſitum erat, inſcriptione inſigni decorum, quod ab accolis rudibus, & minus curioſis ad baſin domus portorii firmādam, ante aliqvot annos tranſlatum fuit. Idq; muneris aliqvandiu ſuſtinuit, donec generoſus Dn. Christianus Frisius, de Kragerup eqves auratus, Reg. Majeſt. Cancellarius magnus, antiquitatum Danicarum æſtimator præclarus, hac tranſiens in Falſtriam profecturus, caſu in aliqvot ejus ductus incideret. Quos cum literaturam Runicam ſeu Danicam antiqvam repræſentare vidiſſet, ſaxum eximi & in aream arcis transferri juſsit. Peracto verò itinere domum reverſus, me ad ſingula accuratius perluſtranda, mox Oretingburgum amandavit.

Eo ubi perveni, ſaxum offendi ovali fermè figura, niſi quod latera aliqvantum plana obtineret, illud in primis qvod literarum ductus habebat frequentiores. Longitudine erat duarum ulnarum Selandicarum cum qvarta una & ſemiſſe, quà latius patebat unius ulnæ erat minus una tertia qvartæ, craſsities ulnæ ſemis, cum duabus tertiis quartæ. Quævis litera longitudine æquabat duas tertias quartæ. [Ulna verò Selandica (ut hoc obiter ſemel monuiſſe ſufficiat) continet duos pedes Romanos, juxta deſcriptionem Jacobi Capellæ, & inſuper pollices duos cum ſemiſſe circiter, vel pedes duos Rhynlandicos Snellii cum pollice ferme dimidio.] Remotis igitur omnibus obſtaculis, perpurgatis à ſordibus & cemento literarum ductibus, adhibitis rei gerundæ teſtibus nobiliſsimo loci præſide Palæmone Roſæcrantzio viro literatiſsimo, nobiliſsimis item aliis, qui tum fortè aderant, Sereniſsimi Principis Uldarici, in itinere Butzoviano comitibus, (qvi antiquitatis hujus mirè recreati raritate, ipſi manum admoverunt, mihiq; in propoſito non exiguo fuere adjumento) rem ſum aggreſſus, atq; & lapidis figuram, & literarum notas tales repperi.



ᛅᚠᛏᛅ ᚦᛁᛋᛚᛅᛚᛅᚴᛅᚱ ᛏᚱ ᚴᛅᚢ
ᚴᛅᚱᚦᛁ ᚦᛁᛅ ᚼᛁᚦ
Eſthe Diſaloger ter geu Kerdi dia hid.

QVIA LEGES DISÆ MAGNO IN PRECIO ESSE CONVENIT, HUC QVERELÆ ADFERENDÆ.

ᛅᚠᛏᛅ *Eſthe* pro **effter**, Quia.

ᚦᛁᛋᛚᛅᛚᛅᚴᛅᚱ *Diſaloger* id eſt leges Diſæ, voce compoſitâ ex ᚦᛁᛋᛚ & ᛚᛅᚴᛅᚱ pluralis numeri. Extat & hic exemplum abbreviatiònis ſeu combinationis literarum ex ᛋ namq; & ᛚ unam conflarunt, ᛅ litera inverſa proponitur, ac ſi ᚠ exprimeret, ſed vox ipſa hic conſonantem non admittit, cum l ſ g ſyllabam ſine vocali conſtituere nequeant, nec omnimodè ᚠ repræſentat, quocirca neceſſariò ᛅ legendum. Non paucas ejusmodi literarum inverſiones ab imperitis artificibus factas in monumentis noſtris obſervabit, qui curioſius ea luſtraverit, de hiſce verò Diſæ legibus ſupra diximus quæ dicenda occurrebant.

Dyſer

Dyſer alioquin Deæ fuerunt parcarum inſtar, quæ ab Odino morituris transmitti credebantur, ut animas eorum ad aulam mortuis deſtinatam deferrent. Hinc in Epilogo Epicedii ſui ita canit Regnerus Lodbrog: ᚼᛂᛁᛘᛒᛁᛆᚦᛆ ᛘᛁᛂᛦ ᚦᚢᛋᛂᛦ ᛋᛂᛘ ᚠᚱᛆ ᚼᛂᚱᛁᛆᚿᛋ ᚼᛆᛚᛚᚢ ᚼᛂᚠᚢᛂ ᛆᚦᛁᚿ ᛘᛁᛂᛦ ᛋᛂᚿᚦᛆᛦ id eſt; me invitant Dyſæ, qvas ex aula Deorum Othin⁹ mihi miſit. Hinc *Diſablot*, cultus harum Dearum: ut in parœmia ᛂᚴᛁ ᛂᚱᚢ ᛆᛚᛚᛆᛦ ᚦᚢᛋᚢᛦ ᚦᛆᚢᚦᛆᛦ. Non omnia periere oracula. Neſcio an inde at dyſia, quod eſt terrâ cadavera obruere, unde *Dyß*, tumulus in qvo conduntur mortui.

ᛏR *Ter* ſæpiſsimè vocalis præcedens ab R abſorbetur; nec in hac literâ ſolum id uſu venit, ſed etiam in aliis, adeò ut ſæpè vocalem conſonanti incluſam, legendo ſubintelligere neceſſe ſit. Particula autem hæc augmentativa eſt, vocis ſequentis ſignificationem adaugens: ᛏR ᚠᛂᚢ id eſt, maximo in precio.

ᚴᛂᚱᚦᛁ, Kere, nobis adhuc uſitatiſsimum pro accuſare, querelas inſtituere &c: Sic at kere nogen, accuſare aliqvem, Keremaal accuſatio, querela.


Cœterum hujus inſcriptionis interpretationem arduam admodum reddiderunt literarum ductus, multis in locis calce & cemento obliti, qui perpurgationem non niſi difficilimè admittebant; lapidis quin etiam ruditas & ab imbribus & tempeſtatibus exeſa ſubſtantia. Quocirca hanc ad noſtrũ captum productam explicationem, ſalvo meliorum judicio in medium poſitam volumus.

QVARTUM
SANDBYENSE I.

AMnis amœnus & piſcoſus per mediam fermè Selandiam provincias varias dirimit, ac ſenſim ſe exonerat in ſinum Iſsicum, Saxoni lib. 7. Hiſtor. Danic. *Suſa* dictus: Cujus *alveum quondam remigiis pervium nunc ſolidioribus elementis concretum anguſtias limitare*, aſſerit, *ut vetante conſtrictionis inertiâ, ra-*

rus puppium admittatur ingreſſus. Non procul ab ejus ripa auſtrali, pagus extat Sandby, ab arenoſâ ſoli glebâ, ut videtur, dictus. In quo templum conſpicitur decorum, in editiori aliquantum ſitum loco, ac in muro chori meridionale conſtituente latus, inter reliqua ſaxi conſpicitur fragmentum literarum Runicarum ductibus elegantibus ac nitidis inſignitum, pulchrum, dum ſua vigebat integritate, magnatum quorundam ſuppeditans monumentum.

Lapis iſte ex rudiorum cautium eſt genere, ſubnigricans, pyramidali olim figurâ, jam verò abſciſſo ejus cono, fragmētum ſupra terram altitudine ſua eminet ulnas ſelandicas duas, quà latius eſt, oculis obvium latus, ulnæ cum dimidia quarta obtinet menſuram. Plana eſt facies literata, reliquæ muri teguntur congerie, ut conſpici nequeant. Litera quælibet longitudine ſua tres qvartas unius quartæ adæquat, ductibus & inciſuris adeò nitidis, ac ſi hodie aut heri primum ſculptoris expertæ eſſent manum, legenti nullum facéſſentes negotium. Totius fragmenti hæc eſt Idea.



ᛁ ᛋᛒᛅᛁᚴᛁᚢᛋᚢ ᚽᚢᚠᛏᛁ ᛋᚢᛋᚢᚱ ᚠᛅᚦᚢᚱ

I Spaikiuſu eyſti Suſur fadur.

Senſus integer non conſtat; fragmenti hic eſt: I Spaikiuſu in memoriam chari patris. Quid ſi ita legendum?

ᛋᛏᛅᛁᚿ ᛋᛁᛏᛁ ᛋᛒᛅᛁᚴᛁᚢᛋᚢ ᚽᚢᚠᛏᛁ ᛋᚢᛋᚢᚱ ᚠᛅᚦᚢᚱ ᛋᛁᚿ.

Staiu ſeti Spaikiuſu eyſti ſuſur fadur ſin.

IN HONOREM CHARI (vel SUSUR) PARENTIS SUI LAPIDEM HUNC POSUIT SPAIKIUSU.

In limbo triplicato hæc extant:

ᛋᚢᛚᚠᛅ ᚱᛁᛋᛏᛁᚦᛁ ᛒᚱᚢ ᚦᛁᛋ ᛁᚴ ᛁ ᚦᚢᚱᛁᛚᛋ ᛒᚱᚦᚢᚱ ᛋᛁᚿ.

Sylfa reſtidi Bru diſ ik i Durils Brdur ſin.

Senſum nobis invidet tum hiatus lacunæ vaſtus ſatis, tum plexus labyrinthei quibus involutum id quod reliqvum, varieq; diſpoſitum, ut vix conſtet unde principium deſumendum, aut in qvo finiendum. Si mihi ſupplendi daretur facultas ita legerem:

ᛋᚢᛚᚠᛅ ᚱᛁᛋᛏᛁ ᛋᛏᛁᚿ ᚦᛁᛋ ᚮᚴ ᚴᛁᚱᚦᛁ ᛒᚱᚢ ᚦᛁᛋ ᛁᛋᛏ ᚦᚢᚱᛁᛚᛋ ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ ᛋᛁᚿ.

Sylfa reſti ſtein dis og gerdi bru dis iſt Durils brudur ſin.

SYLFA LAPIDEM HUNC POSUIT ET PONTEM FABRICAVIT IN MEMORIAM DURILDI FRATRIS SUI.

I primo loco poſitum abundè evincit voces alias præceſſiſſe, ſed quænam fuerint non adeò liquidum: Ego ex ſeqventium cum aliorum ejuſdem generis monumentorum inſcriptionibus collatione, quæ poſui in medium relinqvenda duxi, ſenſum aliqvalem nobis exhibentia, donec ſit qui aptiora aut meliora ſuggerat.

ᛋᛒᛅᛁᚴᛁᚢᛋᚢ Nomen proprium eſſe videtur, nec ſignificationem ullam ei ut appellativo reſpondentem, in noſtrâ invenio lingvâ. Obſerva B ductibus utrinq; prominentibus ſculptum ut à B diſcernatur, hic enim P Latinum exprimit: ſed in ᛒᚱᚢ & ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ figurâ non diſcrepat à Latino B, quod etiam ſuâ poteſtate exprimit.

ᚽᚢᚠᛏᛁ pro ᚽᚠᛏᛁᚱ *eſtir* idiotiſsimo peculiari. Occurrunt

runt hic binæ literæ punctatæ I ſc: ut E notet, & ᚢ ventre Dageſſato, ut Y valore reſpondeat, & ab U ſimplici diſtingvatur.

ᚺᚢᚺᚢᚱ ᚠᛅᚦᚢᚱ per ſe clara ſunt, ita enim paucis immutatis dulcem ſeu charum patrem Søderfader appellamus. Interim nec abſurdum eſſe reor vocem *Suſur* proprium conſtituere nobilis cujusdam, à quo Suſa amnis nomen accepit, in qua ſententia eſt clariſsimus Stephanius, qui etiam arbitratur ſaxum hoc amni Suſæ pontis loco olim impoſitum fuiſſe.

ᚺᚢᛚᚠᛅ viri an mulieris proprium ignoro. Si mulieris, vide quantum habeat cum Sylpa ancilla Liæ à Labano ipſi data Gen. 29. v. 24. cognationem.

ᚱᛅᚺᛁ abundè arguit lacunam, ut & alterius vocis ultima ſyllaba ÞI: illud igitur *Reſti* hoc *gerdi* legendum ſenſus indicat: ſed intermedium quid deſiderari planum eſt, quod an rectè ſuppleverimus tuum eſt judicare.

BRᚢ apud nos tàm pontem ſuper fluvium aut aqvas ductum, quàm viam vel plateam lapidibus ſtratam denotat. Hinc At brolegge, eſt lapidibus locum aliquem ſternere. Si priori ſenſu hanc vocem capias, colligere licet ſuper amnem ſupra ſcriptum, ab hac Sylfa fabricatum pontem, cum ſaxea hac inſcriptione, in honorem fratris. Extat enim in vicinia pons Vetterſløff broe dictus à pago adjacente, validus ſatis & magnus ſaxisq; conſtans ingentibus, iter facientibus tranſitum præbens commodum: ſed non usq; adeò magnam præ ſe fert antiquitatem, ut ab hac Sylfa ædificatum credamus, quin tamen olim vel eodem in loco, vel in vicinia ipſa, alium ſtruxerit, nil obſtat quò minus credamus. Novimus enim Romanis etiam in more poſitum fuiſſe, non ſolum tumulos & ſubterraneas cryptas; ſed etiam alia ſuperba & magnifica ædificia, in amicorum ſuorum memoriam exſtruere. Sic Trajanus in foro Romano ubi ſibi ſuisq; ſepulcrum elegit, columnam

mole

mole ſtupendam, artificio inſignem erexit, quæ etiamnum ibidem extat, quod in ejus vita Xiphilinus in hunc modum teſtatur: *Καὶ ἔστησεν ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ κίονα μέγιστον, ἅμα μὲν ἐς ταφὴν ἑαυτῷ, ἅμα δὲ εἰς ἐπίδειξιν τοῦ κατὰ τὴν ἀγορὰν ἔργου.* Sic Auguſtus Mauſolæum ſibi fecit ſepulcrum quod jam Caſtellum S. Angeli dicitur. Quidam ſtatuis marmoreis ſepulcra ornarunt, atteſtante veteri inſcriptione:

LOCUM SEPULTURÆ ET STATUAM DECREVIT ÆMILIA LUCIA MATER.

Et alia:

HIC SEPULCRUM CUM STATUA
POSUIT SECUNDO A CIVITATE STADIO.

Quidam, ut Ægyptii, Regum & Magnatum conditoria Pyramidibus ingentibus decorarunt, de quibus ita Lucanus lib. 8:

Cum tibi ſacrato Macedo ſervetur in antro,
Et regum cineres extracto monte quieſcant,
Cum Ptolomæorum manes ſeriemq; pudendam
Pyramides claudant indignaq; Mauſolea.

Quidam ædificiis affabrè ſtructis; de quibus vetus lapis: M. AVRELIUS ROMANUS ET ANTISTIA CHRESEME UXOR EJUS FECERUNT SIBI LIBERTIS SUIS POSTERISQVE EORUM MONUMENTUM CUM ÆDIFICIO SUPERPOSITO.

Quidni ergo noſtrates pontibus ſtruendis idem quæſiviſſent quod Romani aliis ædificiis? Favet huic opinioni, loci commoditas, pontis neceſsitas, præterlabentis amnis impetus.

Poſteriori verò ſenſu vocem ſi capias, conſuetudini Majorum noſtrorum neutiquam alienum quid dixeris: Ocularis enim inſpectio abundè docet magnatum in his oris monumenta, undiq; ſaxeis cincta eſſe ſepimentis, quæ

Græci Κρηπίδας vocant καὶ περιοικομίδας, ut in *Stróenſi* docuimus. Quia verò ad modum viarum aut pontium lapidea gaudent coacervatione, à noſtratibus **Broer** ſeu pontes vocata ſunt, quò forſan reſpexerunt Marcellinus & Juvenalis de crepidine pontis dum ſermonem inſtituerunt.

ᛁᛦ ᛁ Quid ſibi velit non ſatis aſſequor. Niſi ipſemet lapidem diligentiſsimè luſtraſſem, errorem ab amanuenſe commiſſum exiſtimarem, ac ᛁᚠᛆᛁᚱ legendum cenſerem, ſenſu claro. An v. idem hoc ſignificet affirmare nequeo. Unam vocem eſſe licet I ultimum à reliquis elemẽtis longius ſit remotum, docent poſt ſingulas voces poſita punctorum diſcrimina. An ad poſteriora alterius limbi referendum, ut ſic legatur ᛁᛦᛁ ᚦᚢᚱᛁᛚᛋ &c?

ᛒᚱᚦᚢᚱ: legendum ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ. Prius enim ᚢ ſculptoris incuria omiſſum.

Situm hujus lapidis quod attinet; aliundè eum translatum eſſe res ipſa docet: vertex enim amputatus, ut muro commodius quadrare poſſet. Sed quo in loco primulum poſitus fuerit expiſcari non potui. Idem fatum cum reliquis hujus generis in Selandia obtinuit. Nullum enim adhuc videre mihi contigit quod genuinum occupet locum, ſed vel templorum vel arcium & palatiorum ſtructuræ, vel aliis uſibus, nullo erga venerandam antiqvitatem habito pietatis reſpectu, ſe accommodare coacti ſunt.

Quo tempore fabricatum ſit hoc monumentum non liquet. Inter antiquiſsima recenſeri non poſſe, ex eo patet, quod punctatas literas habeat complures, quas Waldemaro ſecundo Danorum Regi noſtrates aſcribere, in Literatura Runica docuimus, tum quod elegantius ſit, minusq; exeſos oſtentet elementorum ductus, quam alia grandioris ævi. Templo interim ipſo antiquius eſſe res ipſa docet. Qui verò qualesq; fuerint illi, quibus poſitum,

tacent

tacent hiſtoriæ noſtræ, nec quicquam fide dignum, relationibus vulgi percipere adhuc potui.

QVINTUM.
SANDBYENSE II.

HOc terræ viſceribus ſepultum diu latuit, Anno MDCXXXVI primum erutum. Cum enim in templo foveam ſepeliendo funeri pararent, & terra ad ulnas fermè duas elata eſſet, in grande hoc ſaxum inciderunt, quod omnino eruendum fuit, opus ceptum ut commodius complerent. Erutum ad templi parietem inclinatum aliquandiu aſſervabatur, hinc tranſtulit paſtor loci ad ſtructuram furni ſui, baſin orificio ut ſuppeditaret. Monitus à Nobiliſsimo Dn. Ronnovio Bilde de Sandbygaard, eo me contuli, & lapidis ſtructuram hanc inveni.



Saxum rude erat & inæquale, coloris cineritii, ea tamen facie quæ literis exornabatur, planius, figuræ oblongæ, quadratæ, longitudine ulnæ unius & duarum quartarum

cum

cum dimidia, craſsitie & latitudine ulnæ circiter dimidiæ, duabus literarum ſeriebus exornatum, quarum tamen inferior planè mutilata. Quævis litera longitudine quartam ulnæ unius æquat. Fragmentum ſaltim eſt, cujus portionem ſat magnam, tam longitudinis quam latitudinis abſciſſam fuiſſe, ex mutilatis inſcriptionis characteribus colligere datur.

Primæ ſeriei, qui integri adhuc ſunt characteres, ita habent:

ᛂᛋᛏ. ᚦᚢᚱᚦ. ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ.

Eſt Thurd Brudur.

IN MEMORIAM THORONIS FRATRIS.

In prima hac ſerie quædam deeſſe, rudimenta ſeu reliquiæ lineæ ſequentis arguunt; quæ cum mancæ admodum ſint, eò quod Lapicidæ magis ſaxi æqualitati, quam antiquitatis religioni ſtudentes, maximam partem abſtulerint, nil certi ex reſiduis colligere licet. Quæ produximus per ſe clara ſatis, ut interpretatione vix indigeant.

ᚦᚢᚱᚦ Thoronem notat. ᚦ enim per TH in vocum initio utplurimum exprimitur; in fine noſtræ pronuntiationi magis congruè per D.

SEXTUM
SANDBYENSE III.

Dum in præcedenti monumento delineando occupamur, commodum incidit, diligentius ſingula circa templum luſtranda eſſe, ſi fortè ſe plura hujus generis monumenta offerrent. Et ecce Auſtralem ejus parietem accuratius rimantes, juxta baſin, qua choro nectitur, angularem offendimus lapidem, obſcuris quibusdam ductibus inſignem. Qvi etſi maxima parte terra tegeretur, & quicquid ejus eminebat ſambuci virgulta fermè obumbrarent, diligentius tamen luſtrandum duximus. Primum cum vix duarum literarum apices ſupra terram in noſtram ſe inſinuarent aſpectum, qui nullum ſenſum præbere poterant, calones vocari juſsimus, qui ter-

terram fodiendo & obſtacula removendo, totum ſaxi corpꝰ nudatum nobis ſiſterent. Quod ubi factum, invenimus ſaxum ejusdem mineræ cum præcedentibus, coloris cineritii, arte in quadratam, oblongam tamen redactum figuram, muro templi auſtrali ita adaptatum, ut angulum conſtitueret. Duarum ulnarum longitudine erat, craſsitie dimidiæ, latitudine trium quartarum, cui multum fuiſſe detractum, qvadratam figuram ut obtineret, ex literarum reſiduis apicibus colligere licuit. Tribus enim elementorum ſeriebus, & forſan pluribus dotatum olim cum fuiſſet, jam duas ſaltim oſtentabat integras, tertiam dimidia ſui parte mutilam. Quælibet litera integra quartam ulnæ longitudine æquabat. Ita verò exaratum conſpiciebatur, ut parte ea qua ſupra terram eminebat, quartam unam cum dimidia elementis & reliquo ornatu vacuam haberet. Exiſtimabam præcedenti ſaxo hoc fuiſſe olim junctum, ſed diligentius examinata inſcriptione & utriusq; figura, aliter longè rem ſe habere animadverti. Hæc autem erat ejus, quà ſe nobis viſendum præbuit, facies.



ᛂᛋᚴᛁᛚ : ᛋᛂᛏᛁ : ᛋᛏ --- ᚦᛋᛁ : ᛂᛋᛏ : ᛏᚢᚠᛂ :

Eskil ſeti ſtein denſi eſt Tufa.

ESKILLUS LAPIDEM HUNC POSUIT TUFÆ.

Cætera legi nequeunt quod ablata ſint ab eo qui ſaxum in quadratam figuram redegit & angulo aptavit, qui etiam longitudinis partem auferendo baſin verſus quatuor aut quinq; abſtulit literas, quæ tamen æſtimato ſenſu, collatis antecedentibus cum conſequentibus, facile reſtituuntur, reſidua alioquin per ſe clara ſatis.

ᛂᛋᚴᛁᛚ, forſan is ipſus fuit Eſchillus de quo ſequens loquitur Monumentum.

ᛋᛏ. legendum ᛋᛏᛂᛁᚾ ita enim in aliis ejus generis, ſuffragante contextus ſerie.

ᚦᛋᛁ. Repone ᚦᛂᚦᛋᛁ.

Tertiæ ſeriei notas impoſsibile nobis eſt ita colligere, ut ſenſum aliqvem præbeant: transverſæ namq; lineæ, maxima ex parte ablatæ, reliqviq; ductus plane depravati.


ᛏᚢᚠᛂ. Hujus nominis & is fuit, cui Monumentum Sórupenſe in Scania poſitum, de quo conſule Librum tertium. Vox hæc ſæpiuſcule in monumentis occurrens, hodie molliori pronunciatione *Tuvo* ſeu *Tuo* effertur Thue vel Thuwe.

SEPTIMUM *ALSTEDENSE.*

AD eundem amnem, ſed qva provinciam Ringonum interſecat, pagus extat vulgò Alſted, Saxoni lib. 12 *Villa Axelſtada*, prælio inter Sivaldum Sigari filium & Haconem Faſtuoſum commiſſo, nobilitata, in quo prælio, verbis Saxonis utor, *adeò Sigari clades Sivaldiq; charitas promiſcuos plebis animos incitabant, ut uterq; ſe bello ſexus impenderet, nec certamen crederes fœmineis caruiſſe præſidiis.*

In hoc Axelſtadio, templum viſitur atrio duplici inſignitum. Auſtrale, (quod aliqvot annis clauſum erat) reſeratum

tum in conſpectum protulit ſaxum, clarâ & pulcrâ inſcriptione inſignitum, pavimento incumbens & muri interioris particulam conſtituens, figurâ proximè ad ovalem accedens, facie, quâ eminet, planâ literas oſtentans; alioqvin rude, impolitum & griſeum, qvamvis jam calce, cum reliquo pariete, dealbatum. Longitudine eſt trium ulnarum cum qvartæ dimidia. Latitudo qvâ maximè extenditur, ulnam cum qvartæ dimidia æqvat. Literæ limbo inciſæ circulariter, circa apicem crucem inſculptam ambiunt. Mihi monumentum hoc perluſtranti pavimentum ex parte auferendum fuit, qvò tectos characteres accuratius delinearem. Ita verò ſe habet:



Aliunde eo tranſlatum hoc ſaxum, ut atrii inſerviret ædificationi, manifeſtum eſt. Sed accolarum nemo inventus qvi de eo certi qvid edocere potuerit. Ejusdem ætatis cum præcedenti eſſe ſculpturæ docet elegantia & Runæ punctatæ, ſed neſcio an non crux adjuncta, (quæ ethniciſmum haud redolet) recentiorem arguat, adeò ut annum Chriſti 800 ætate attingere vix credam. Iis enim adſtipulari nos non poſſe, qui ante natum Chriſtum extitiſſe Monumenta Runica crucis ſigno decora arbitrantur, ſupra diximus. Inſcriptio hæc eſt:

ᛂᛋᚴᛁᛚ: ᛋᛆᛏᛁ: ᛋᛏᚼᚴ: ᚦᛂᛋᛁ: ᛂᚠᛏᛁᛦ: ᚢᛋᛏᛁᚿ: ᛆᚢᚴ:
ᚠᛚᛁᛦ: ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚿ: ᛋᚢᚿ: ᚢᛋᛏᛁᛋ: ᛆᚦᛦᛚ: ᛘᛁᚴᛁ.

Eskil ſati ſten deſi eftir yſtin aug Flir brudur ſin ſun uſtis adhl Migi.

ESKILLUS LAPIDEM HUNC POSUIT YSTINO ET ALIIS FRATRIB⁹ SUIS. FILIUS YSTINI NOBILIS MIGI.

ᛅᛋᚴᛁᛚ Eſchillus hic, qui pietate in ſuos, hoc Monumentum poſuit, quis fuerit aut unde reſciſcere haud valui. In familia Abſolonis Archiepiſcopi & Esberni Snare complures hujus nominis leguntur, ſed neſcio an ad eos hęc pertineat, cum neminem ex iis invenerim, qui fratrem Yſtini nomine habuerit, ex quo filius Migi. Interim ſuſpicor eum fuiſſe, quem Saxo lib. XIIII ab agilitate tantopere commendat. Egregium de eo facinus commemorat pag. 280 Edit. Francoſ. in hunc modum: *Eskyllus animi & generis nobiliſſimus eques militaribus armis prægravis, unum ex eis* (Sclavis) *inermem per paluſtria loca citato curſu fugientem pedibus inſecutus, illius veſtigiis limi mollicie ſubſidentibus, nec voraginum illuvie, nec armorum onere depreſſus, facilem currendi eventum habuit. Quin etiam occupatum Barbarum capite ſpoliavit. Ac tum demum ne plantis quidem cæno infectis ſolidam humum repetiit.* Is idem fuiſſe videtur quem pag. 306 refert *adeò ſe ætatis magnitudine contuſum confractumq; aſſeveraſſe, ut ne eqvum quidem ſine adjutore conſcendere poſſet. At ubi hoſtes in conſpectum venere, quovis juvene ocior eqvum inſiluit, ita ut corporis ejus robur nulla ex parte quaſſatum putares. Adeo virtus ætati imperat.* Quod ſi hic ipſus ſit, circa annum Chriſti MCLXXVI vixiſſe oportet.

ᛋᛏᚴᛅ. Manifeſta hic eſt literarum transpoſitio, ſolâ & merâ ſculptoris incuriâ aut negligentiâ commiſſa; quę neminem turbare, aut occaſionem de alia horum elementorum poteſtate cogitandi præbere poteſt, cum ſenſus ipſe clarè ſatis doceat legendum eſſe ᛋᛏᛅᚴ *Stan* pro Stein. Quamvis enim ᛅ crebrò etiam pro E ponatur, attamen in hoc monumento I punctatum ſemper E exprimit, ut in ᛂᛋᚴᛁᛚ. ᚦᛂᛋᛁ. ᛂᚠᛏᛁᚱ patet, ᛅ verò A.

ᚠᛚᛁᛦ ego Flere explico, ut plures vel alios appellativè denotet. Si quis tamen proprium hic eſſe contendat, non repugno: tum hic emergit ſenſus: *Eskillus lapidem hunc poſuit Yſtino & Fliro fratribus ſuis.* Jam in uſu non eſt, nec ex veteribus quemquam ita nominatum ex ullis monumentis Runicis colligere datum.

ᛅᚦᛡᛚ

ᚽᚦᛡᛚ ᛘᛁᚴᛁ. Migonem hunc nobilem & generoſum fuiſſe indicat, utpote qui ob præclaram aliquam patriæ navatam operam, inclaruerit, & nobilitatis inſignibus fuerit conſpicuus. Ut vel hinc pateat errare eos qui eo ſæculo apud noſtrates Nobilitatis titulum in uſu non fuiſſe arbitrantur. Vel ᛘᛁᚴᛁ legendum pro *Mikil* quod multum & valdè olim ſonabat, Nobilis valde ſeu Nobiliſsimus, **det vàr en meget ædel Mand**/ Belgis **en Nobel Baaſz.** Atqve hoc tam ad virtutem, probitatem, cæteraſq; animi dotes quam ad genus & proſapiam referri poteſt. Lubet hic inſerere ea quæ de hac voce ᛘᛁᚴᛁᛚ annotavit clariſsimus Opitius ad verſum ix Rythmi de S. Anone. *Michil.* Excerpta Lipſii *Mikil* magnus, multa, copioſa, *Mikilon* magnus, *Mikile* magnificentia. Kero: multo magis; *Mikelumer.* Multo minus *Mikilumin.* Canticum B. Virginis L. Gothica. *Mikileidſai wala meina ſan*, id L. Teutonica vetuſta: *Mikiloſo min ſela Truchtin.* Cantica Danica antiquiſsima:

> Spanie Land oc Mycklegaard
> Oc ligge ſaa langt aff Lee.

Ubi **Mycklegaard** noſtrum **Meckleburg** eſt, Latinorum Megapolis. Et ſic Septentrionalibus Conſtantinopolim dictam obſervat carminum iſtorum compilator. Hinc & provinciam ad littus Germanicum nomen trahere non dubitandum eſt. Videtur autem vocabulum *Michil* ſeu *Mikil* Danis *Magla*, originem trahere à Græco *μεγάλη*.

Quia verò in hoc Monumentum incidimus, in quo neceſſario Axelſtadii aliarumq; circumſtantiarum facienda erat mentio, non poſſumus quin eadem operâ moneamus, fruſtraneam prorſus eſſe operam *Iohannis Meſſenii* dum in ſuo Sueopentaprotopoli totus in eo eſt, ut contra Saxonem noſtrum (quem immeritò crebrò vellicare conatur) evincat, nequaquam hoc loci, & circa Sigerſtadium, famoſum illud & admirabile amoris & fidelitatis ſpecimen ab Hagbarto & Signe editum, ſed potius in Suecia

prope Sigtoniam. Verba ejus afferam ut qvam frivolis
& ſtramineis pugnet haſtis, quivis cordatus videat, ita au-
„tem libri citati capite 12 philoſophatur: Cum planities
„Haborina admodum ſit vicina & contermina civitati Sig-
„tonienſi, de ipſa hoc loco pertractans urbe, mei ratus eſſe
„muneris, de planitie memorata, alias famoſiſsima quædam
„inveſtigare & rem geſtam veritati conformare. Potiſsi-
„mum verò cum Saxo ille Sielandus in ſua contendat acci-
„diſſe Dania, hoc admirabile amoris & fidelitatis ſpecimen;
„præter omnem veritatis ſimilitudinem, circumſtantiis &
„loco ipſo reclamantibus. Enimverò præterquam quod
„ipſa de Haboris & Signis vulgatiſsimis amoribus, plurimis
„ante ſeculis concinnata & publicata cantio ipſum Saxo-
„nem hiſtoriam contexentem erroris arguat ſæviſsimi, et-
„iam M. Laurentius Nericius Upſalenſis Archiepiſcopus,
„fideliſsimus antiquitatis inveſtigator Suecanæ, certiſsimis
„permotus indiciis & argumentis fallaciam in ſuo Chroni-
„co detegit Danici ſcriptoris hoc modo: Hæc eſt Haboris
„hiſtoria ſuccinctè compræhenſa quam *Saxo* multis & ele-
„gantibus perſequitur verbis; verum apud nos in Suecia a-
„lius longè ſermo de iſto vagatur Habore, velut etiam ex
„pervetuſtis, heroicis & eroticis Sueticè conſcriptis cantile-
„nis liquido conſtat. Nempe Haborem non fuiſſe Suecum
„natione ſed Norvegum, & Signem regis Sueciæ filiam, at-
„qve Haborem regis Norvegiæ filium in Uplandia non pro-
„cul Sigtonia in planitie quadam, hodie etiam de illius no-
„mine compellata, & è regione pagi cujusdam trans flu-
„men in paræcia Hætuna Foreſigtuna dicti, ubi quondam
„aula floruit Regalis, collocata, fuiſſe ſuſpenſum. Quomo-
„do igitur veritati conſentaneum, Haborem amoris illiciti
„pænas perſolviſſe in Cymbrica Cherſoneſo? Imò mihi nu-
„per à fide digniſsimis narratum hominibus in ipſa planitie
„Haborina ſecus decurſum Melcri jacente, paucos ante an-
„nos quendam accolarum, caudicem patibuli, in quo Ha-

bor circiter annum ſalutis ducenteſimum vigeſimum ſe- “
cundum laqueo ſtrangulatus, ex terra eruiſſe, & plurimis “
hominum monſtraſſe. Nec modicum etiam fidei noſtræ “
apponit ſententia, quod prorſus è diametro dictæ plani- “
tiei fuerit regia habitatio, in qua Habor proditus, captus “
& morti adjudicatus, trans amnem ſuſpendendus. “

Vides, Lector candide, quibus arietibus hic homo tantum autorem, de veritatis & exiſtimationis arce deturbare conetur! Ficulneis ſc: & planè ineptis, quos vix examine dignos quis exiſtimaret. Sed cum haud pauca etiamnum apud nos extent, quæ autoris noſtri fidem firment, percurramus ſingula ejus momenta.

Saxo, inquit, *in ſua contendit accidiſſe Dania hoc admirabile amoris & fidelitatis ſpecimen, præter omnem veritatis ſimilitudinem circumſtantiis & loco ipſo reclamantibus.* Inſigniter impudentem hunc hominem eſſe oportet, qui audacter adeò de loco hoc, quem nunquam vidit, id aſſerere & propalare audet, cujus contrarium ocularis docet inſpectio. Locum à Saxone adductum & circumſtantias examinet, niſi omnia ad amuſſim hiſtoriæ reſpondeant, cauſâ ceciderim. Accede, monſtrabo tibi adhuc Sigari urbem & Regiam, imò tumulum, monſtrabo aulam Signis, monſtrabo Hagbarti monticulum, ubi ſuſpendio mulctatus, omnia ſuis nominibus adhuc cuivis ruſtico accolæ notiſſima. Quin eodem in loco videbis Suſam amnem, lucum ex quo milites frondes decerpſerunt, Valbrunnam, Haconis buſtum, aliasq; omnes à Saxone noſtro commemoratas circumſtantias. Quæ ſi adeò clara in planitie Sigtoniana demonſtraveris, te rationes probabiles hujus aſſertionis habere credam: Sed miror Saxonem noſtrum tam ſagaci oculo prævidiſſe futurum, qui ipſi litem hac de re intentaret, dum in hæc prorumpit: *Et ne cuiquam antiquitatis veſtigia prorſus exoleviſſe credantur, prædictæ rei fides præſentibus locorum indiciis exhibetur, cum & Hagbartus pago vocabulum extinctus*

intu-

„ *intulerit, nec longè à Sigari oppido locus pateat, ubi plano paulùlum ag-*
„ *ger elatior veteris fundi inſtar protuberantis humi ſpeciem demonſtrat.* Quæ omnia noſtro etiamnum ſæculo ab accolis monſtrari „ & in hodiernum usq; diem de geſtis eo in loco, teſtari mox o- „ ſtendam.

Pergit Saxonem erroris convincere ex cantilenis ante aliquot ſæcula concinnatis, atq; in ſubſidium vocat M. Laurentium Nericium, qui idem aſſerit: ſed multò modeſtius, honorificâ Saxonis noſtri injecta mentione. Hiſce cantilenis quid tribuendum, docet ipſe Nericius, dum vagabundos ſermones pro fundamento, eas agnoſcere aſſerit, ac ſi nil eſſet aliud; Sueticis cantilenis, Danicas contrarias opponimus, ejusdem, ſi non majoris fidei.

Sed addit, *planitiem non procul Sigtoniâ ab eo denominatam, una cum aula regali, ibidem ſuſpenſum eum arguere.* At univerſæ hiſtoriæ refragatur ſeries. Sigarus enim Danus fuit, ejus filia Signe Dana, in Daniæ Sigerſtadio habitantes. Hagbartus v. Suecus, (velut ille vult Noryagus) qui in Daniam & quidem Sigerſtadium ad Signem venit, ibidemq; ea, quæ à Saxone referuntur, perpetravit, ubi etiam captus & capitis damnatus. Quomodo igitur in Sueciam translatus, ut ibi ſuſpendio mulctaretur? aut quomodo Signe in Sigerſtadio Daniæ, vidiſſet Hagbardum propè Sigtoniam in ſcalis gemoniis? & ipſe viciſſim in Suecia, conflagrantem regiam in qua Signe detinebatur, ut uno eodemq; momento ſimul perirent? Quis tam bardus qui hæc non animadvertat? Sit planities in Suecia ab eo dicta, forſan quod ibidem vel natus, vel educatus, vel facinoribus clarus extiterit; ſed ab ejus ſuſpendio denominatam, nulla veritatis ſpecie affirmari poteſt.

Suam ſubjungit experientiam, *accepiſſe ſe in ipſa planitie Haborina paucos ante annos quendam accolarum caudicem patibuli, in quo Habor circiter annum ſalutis* CCXXII *laqueo ſtrangulatus, ex terra eruiſſe.* Quis tam obtuſæ naris, qui hujus figmenti non odoretur fundamentum? Scribit Saxo noſter: *Quendam narraſſe Abſoloni trabem ſe eò loci* (propè Sigerſtadium Selandiæ) *reper-*

pertam vidiſſe, quam Agreſtis vomere glebam rimatus, offendit. Hinc Meſſenii relatio. Sit ita, quidam ibidem ante annos paucos invenerit lignum quoddam, nondum tamen caudicem patibuli Haborini fuiſſe oſtenſum eſt. Mille quadringentis & ultra annis, lignum quoddam ſub terra, pluviis, putredini, terræq; eroſioni ſubjectum, durare poſſe prius demonſtrabit, quam ipſi fidem adhibeam.

Deniq; *multum fidei ſuæ ſententiæ apponere exiſtimat, quod è diametro planitiei dictæ fuerit regia habitatio, in qua Habor proditus, captus & morti adjudicatus.* Fuiſſe Regiam ipſi credimus, ſed ibidem proditum, captum & morti adjudicatum, negamus: nec ipſe unquam probabit, reclamantibus omnibus hiſtoriæ circumſtantiis, ut ſupra docuimus. Ego potius hanc regiam favere ſententiæ Saxonis arbitror, qui in Suecia natum refert Hagbartum, & forſan in eadem hac regia, unde ab eo planitiei nomen. Sed hæc incertiſsima relinquens; unicum non poſſum non monere, ex quo totius Meſſeniani diſcurſus apparebit veritas. Concludit Nericii ſui verba hoc epiphonemate: *Quomodo igitur veritati conſentaneum Haborem amoris illiciti pœnas perſolviſſe in Cymbrica Cherſoneſo?* Quibus aut Saxoni noſtro aſſuere tentat, eum dixiſſe Haborem in Cymbrica Cherſoneſo ſuſpenſum eſſe, quod ne per ſomnium cogitavit, imò cujus contrarium tota hiſtoria ejus (exactiſsimè locum in medio Selandiæ depingens) evincit: aut adeò eſt in Geographicis puer ac rudis, ut neſciat inter vaſtiſsimas vicini Regni provincias diſtingvere, qvarum limites vel ex vulgari mappa diſcere potuiſſet. Quid huic hiſtorico de remotioribus ſcribenti fidendum, ſi tam bardus aut cœcus in iis quæ præ foribus ſunt? Sed deſino tam palpabiles nænias excutere, cum quivis vel leviter Saxonem noſtrum cum novello hoc conferens Scriptore, abundè videat qvantum diſtent Erva Lupinis. Sed quò totum negotium evadat illuſtrius en dicti tractus, ſubjungo topographicam delineationem, quam ego αὐτοψεί, monſtrantibus loci Paſtore & accolarum Senioribus, ante annos non ita multos, locum dili-

gentiſsimè luſtrando, tum conſignavi, & poſtea Clariſs. Vir Dnus. D. Johannes Laurenbergius in Academia Sorana Matheſeos Profeſsor Regius, accuratis adhibitis obſervationibus, eleganter ſua manu delineavit.



Quod ſi in planitie Sichtonienſi circumſtantias omnes, locorumq; momenta hiſtoriæ melius & accuratius reſpondere monſtraverit Meſſenius, forſan erit quod nos dubios reddat: ſin ſecus, Saxonem noſtrum, ut ſpero, ultro abſolvet.

Sed relicta Selandia, brevi trajectu in Scaniam ventis ſecundis ut navigemus inſtituti poſtulat ratio.

MO-

MONUMENTORUM DANICORUM

LIBER TERTIUS

De Monumentis Scaniæ.

SCania Selandiam ortum verſus, ex adverſo reſpicit, inq; eam brevis ad Pontum Danicum eſt trajectus, quocirca de iis quæ hic occurrunt Monumentis Literaturâ Runicâ inſignitis porro diſpiciendum; nec prætereunda quæ adnata quaſi brachia, Hallandia ſcilicet & Blekingia ſinu ſuo fovent, potiora potiſſimum brevibus perſequendo, ſi prius ex Lyſcandro noſtro ejus præmiſerimus delineationem. Sic autem ille Antiq: Danic. ſermone tertio.

Scandia præclariſsima eſt, omnes terras Arctoas, quæ ta- “
men opulentiſsimæ ſunt, fertilitate, amœnitate & gloria un- “
diq; antecellens: Scandia Gothici imperii parens eſt, plena “
mercib⁹, armata viris, & jucundiſsima. Enimverò à triplici “
alluitur Oceano, inq; continenti, locis mediterraneis, à triplici “
attingitur regione, terræ opes cumulãs pelagumq; abundãtiſ- “
ſimè exercens. Illa principatus ſeu gentes XXIIII ſuis includit “
limitibus; & priori quidem loco ſunt quos Getas ſeu Gothos “
ipſorumq; provincia Gothica ſeu Gethica eſt. Gethicum n: “
nomen ipſius gentis Getarum vernaculum eſt, **Gytinger/Ge-** “
tinger/ Getæ; ſed Gothicum recentius, Germanicam Tuiſco- “
nicamq; ſapit originem. Principatus hic ampliſsimus eſt, & “
poſt imperium Gothorum divulſum, porta Daniæ ad orien- “
tem, contra Aquilonarium gentium acceſsiones appellata, in “

“confinio Hallandorum, Smalandorum, Bleichanorumq;.
“In bello miniſtraſſe eam Regi Danico duo millia Schyta-
“rum aut Sagittariorum antiqvus mos prædicat. Hi igitur
“cum cæteris Scandiæ populis, omnium gentium feruntur
“bellicoſiſsimi, præſtantiſsimi & maximè invicti. Neq; e-
“rant cum jam ſtarent res Aquilonarium, qui cum his faci-
“lè aſsimilari poterant, ſolis exceptis Vandalis Cimbricis,
“quos Vinilios & Vinulos dicim9. Hi proximi Getis erant,
“diſparibus verò ſtudiis pugnabant. Nam Getæ, omnes
“Baliſtarii & Schytæ ſunt peritiſsimi, arcu ſimul & tormen-
“tis: ſed Cimbrici iſti Ficti ſunt, haſta, gladio & ſpigis vi-
“nulicis bellum fortiter cientes, & cum legimus diverſas
“hiſtorias, migrationes, etiam gentium antiquas conſide-
“ramus, hinc prodiiſſe Pictos ſeu Fictos, qui athletæ & di-
“gladiatores appellantur: Illinc Schytas, qui ſagittarii ſunt,
“citius credimus. Proximi his ſunt ad occidentem, Norici
“Gothis affines & ſimilibus gaudentes moribus; quos ſe-
“qvuntur usq; ad mare Balthicum, ſub ſaltu Hallandico,
“Bergenſes juxta Engelholmiam; à quibus ad ortum & au-
“ſtrum ſeparantur fluvio Rhynenſi Auſtrii, usq; ſub ſilvam
“Auſtriacam, & hi rurſus Sileſio amne diremti ſunt à ma-
“gna Laudanorum provincia, quæ Helſingicam civitatem
“Metropolim habet. Ea verò antiquiſsima eſt, & de ety-
“mo diſputant multi, aliisq; aliæ placent ſententiæ. Qui-
“dam à ſalutatione videntur derivare, & conſuetudine
“mercatorum omnium gentium, qui hoc in loco Dani-
“cum venerantur nomen & tributa ſolvunt. Sed nos inco-
“larum authoritatem pluris facimus, qvorum ſententia
“concinnior æſtimata eſt. Helſingi, ii inquiunt, populi
“Barbariæ Aquilonaris erant. Hi olim in Oceanum Bal-
“thicum pervenientes, ſive laborante re & politia Cimme-
“rica & Getica, occupaverunt anguſtias maris Oreonici, in
“Scandia munitionem & urbem conſtruentes, ab his urbs
“Helſingia & Helſingburgum & circumjacens regio Hel-
ſingi-

ſingica dicta eſt, uſq; ad flumina Sileſium & Rha, ſed de tempore nihil propemodum certi invenire potuimus, quod hic conſtanter aſſereremus. Poſtmodum autem innoteſcente hominibus, viresq; capeſcente religione Chriſtiana, hæc provincia omnium in Scandia prima, Catholicam dicitur ſuſcepiſſe fidem, & inde nomen conquiſiviſſe Laudaniæ vel Laudeoniæ **Lougudeherrit.** Multa ibi ſunt Monumenta, de quibus alias. Et ſic quidem Scandi de Helſingis diſputant. Hinc ad Auſtrum trans fluvium Rha ſeqvuntur Rhonebii, quorum caput eſt in Coronenſi civitate. Poſt intervallum habitant Turones, juxta antiquiſsimam maximamq; urbem Lundenſem, celebratam ſede Archiepiſcopi metropolitana, & Parlamento Scandiæ inſigni. Hi attingunt ulterius Bardos, moxq; Tauri, qui & Oxonii ſunt in Taurica ad civitatem opulentiſsimam Malmogianam. Deinde in extremo reflexu Scandiæ ad meridiem Schytia eſt, quam latiſsima planitie inhabitant Schytæ, celebratiſsimum illud Schytarum nomen referentes, & cum certum ſit Schyticam appellationem per Cimmerios & Getas in orientem propagatam eſſe, quæ Sagittarium, quales omnes Gothi & præſtantiſsimi ſunt, ſignificat; nos de ea ſollicitè & magna cum cura inquirentes, in toto aquilone non niſi his in locis & inferioribus Scandiæ, eam invenire potuimus, & inde promanaſſe id vocabulum in multas gentes ratiocinari contigit. Fuerũt autẽ iis in locis olim duæ civitates imperii Gothici metropolitanæ & maximæ, una poſt aliam. Antiquior quidem Scandia erat, opulentiſsimum Aquilonis emporium, & ſtante regno Gothico, multis ſeculis nobiliſsimum, ad quod erant omnium gentium & nationum navigationes uſitatiſsimæ. Unde evenit ut tota inſula Arctoa Scandiæ nomine, quod notiſsimum cunctis populis fuit, diceretur; cum vicina regio Scandia appellata ſit, nam à terra nomen acquiſivit civitas. Hujus maxima erat, & propter

„negotiationes celebratiſsima ubiq; fama: Skane/Skanøer/ Scandia. Hæc colonia quaſi parens Gothiæ fuit, & ante tempora Chriſti cum Lunda Turoniæ (ut fama refert) maxima floruit, aliis omnibus divitiis & potentia excellentior. Sed ipſa poſtea debilitari cæpit, & laborare ad priſtinam authoritatem & gloriam conſervandam, & Balthi ſeu Dani cum Cimmeriis & Getis, conſtitutione Haraldiana Hylletandica, tria ampliſsima regna, Cimmericum, Dacicum & Geticum, ferè in unum redigentes imperium, nominis & authoritatis Dacicæ, laborante hac politia, novam in vicinia civitatem exſtruxerunt. Ipſa etiam inſignia Regnorum priſtina transmutantes, urbi nomen trium Leonum (quos tunc regium Danorum clypeum primum invaſiſſe rumor eſt) ſeu Trilcopolim fecerunt. Exinde tenuiſſe eam principatum ferè civitatum Scandiæ, magnaq; cum admiratione floruiſſe, vallo quoq; & mœnibus fortiſsimis munitam in circuitu & æneas oſtentaſſe portas relatione certiſsima incolarum etiam hodie notum eſt. Sed elapſis ſeculis hæc quoq; infirmata eſt, jamqve & principatu & ſplendore antiquo nudata, decus tamen mediocris civitatis conſervavit, quod Scandia antiquior propemodum videtur amiſiſſe. Fuit & alia urbs Falſtrobota, adhuc exſtans, ſed priſtino ſtatui nequaquam æqualis. Orientale deinde littus incolunt Vemenii caput in Eiſtadio habentes. Hinc poſt intervallum Geretii duas habentes civitates ſuper ripam fluminis Sacri, Vejas, Aoſiamq;, iis verò proximi ſunt quos dicimus Gothi & Pheroſtæ, ſtatim & Villandia Scandiæ provincia. Et ita quidem extrema & maritima delineata ſunt. Sed multi alii populi in mediterraneis, ſylvoſis, campeſtribus locis degunt, quales ſunt Linuſii, Phereſii, Othini, Ingellii, Haragrii, Herilci & alii, quos jam omnes recitare noſtri non eſt propoſiti. Hæc igitur Scandia eſt ampliſsima, fertiliſsima, populoſiſsima, clara urbibus magnis & multarum gentium migrationibus.

PRIMUM
LUNDENSE.

OCcurrit hic primo in provincia Turonia, vulgo **Torncherrit** dicta, Lundia Archiepiſcopalis olim ſedes auguſta & Metropolis, nunc civitas amœna & Capitulo Canonicorum inſigni. In hujus templo cathedrali præter ea quæ obſervatu digna commemorat Vir clariſsimus Iſaacus Pontanus Hiſtoriographus regius, olim campana fuit ſtupendæ magnitudinis, de cujus fabrica multi varia comminiſcuntur. *S*ed Birgerum Archiepiſcopum Lundenſem ultimum, eam fieri curaſſe certum eſt, eiq; nomen Mariæ Lauretanæ indidiſſe. Verum cum molem tantam nec turris capere, nec uſibus aptam vidiſſet *S*ereniſsimus Rex Fridericus II, ex ea tres alias vaſtas ſatis & magnas fieri curavit, quibus Croneburgicam exornavit turrim. Altitudo ejus quatuor ferè ulnarum, circumferentia quatuordecim erat. Bapſile longitudinem trium æquabat ulnarum, denſum ſpithamas quinq;.

In ipſo hoc templo Laurentiano varia occurrunt artis architectonicæ miranda ſpecimina, in quibus & hi conſpiciuntur characteres ᚠᛅᛏ ✳ᛁᚴᛒ, ab architecto Adamo **von Byren** Germano, boni ominis cauſa, ut reor, appoſiti: inter reliqua in ipſius templi parte ſeptentrionali, occaſum ſpectans columna viſitur, cujus baſis epigraphen hanc continet, & ſimul Emblema operis propoſiti difficultatem indicans. Vir enim conſpicitur corium aſino detractum ſtrenuè ſtrigili purgans, genibus eidem inſidens, cui adjacet aſinus ipſe excoriatus, & pondere adeò gravatus, ut fractis cruribus & perruptis ventris interaneis, ſuccumbere ac vitam finire gemebundus cogatur, additis anni milleſimi quadringenteſimi vigeſimi ſeptimi numeralibus notis, in hunc modum:

Thet



Thet maa vel it Aſen være/
Som tagr mer end det kand bære.

Eſt aſinus; quicunq; ſuo plus tergore ſumit
Geſtandum; corpus quam bene ferre queat.

Quid ſibi velit hoc Emblema, ut & alia quibus in Hypogeo ſeu crypta Chori fontem exornavit, ſine ullo negotio quivis collegerit. Nobis ſufficit indicaſſe notas haſce ᚴᚭᛏ ᚼᛁᛚᛒ denotare Got help, Deus adjuvet, & fortunet, opus ſcilicet, tum inchoatum & mox perficiendum. Germanica hæc eſſe, mirum non eſt, cum architectus ipſe ſua potius quam aliena delectatus ſit lingva.

SECUNDUM
VALKIERANUM.

IN eadem hac provincia propè Valkieram in ipſis agrorum interſtitiis, ſaxum rude & impolitum extat, quod limitis par-

partes accolis ſuſtinet, vulgò Runeſteen dictum, figurâ oblō-gâ acuminatâ, longitudine duarum ulnarum cum dimidiâ, latitudine duarum, craſsitie unius: parte qua auſtrum ſpectat, hanc oſtendens inſcriptionis ſeriem.



ᛏᛅᚢᚠᛅ:ᚱᛁᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛁᚾᛅ: ᚦᛁᛋᛁ: ᚢᚠᛏᛁᚱ: ᚴᛅᛘᛅᛁ: ᛒᚢᛏᛅ: ᛋᛁᚾ: ᚢᚴ: ᛅᛋᚢᚱ.

Taufa risdi ſtino diſi uftir Gamai buta ſin ug Oſur.

TAUFA LAPIDES HOSCE POSUIT IN MEMORIAM GAMAI COGNATI SUI ET ASURII.

ᛏᛅᚢᚠᛅ. De hoc nomine vide quæ ex Ricobaldo Ferrarienſe comentati ſumus ad Monumentum duodecimum hujus libri.

ᛋᛏᛁᚾᛅ plurale eſſe videtur ſignificans lapides: plures namq; eo in loco fuiſſe mihi perſuadeo, quos ædificiis, ut ſolent, aptarunt accolæ; nec refragatur tumulus vicinus Rune-

Høy dictus, ex pluribus congeſtus. Obſervare & hic convenit, in toto hoc monumento inverſam eſſe figuram literæ O, quæ alioquin ita pingitur ᛆ, cum poteſtatem ferè obtineat duplicis ᛆ.

ᚢᚠᛏᛁᛆ poſitum pro ᛁᚠᛏᛁᛆ, quod in aliis multis pari modo occurrit.

In ᚠᛆᛘᛆᛁ obſerva ᚠ punctatum quod arguit ex vetuſtioribus haud eſſe hoc monumentum.

ᛒᚢᛏᛆ nomen cognationis aut affinitatis eſſe oportet, cujus genuina me latet ſignificatio. Depravationis nulla ſubeſſe poteſt ſuſpicio, cum in aliis etiam reperiatur: maritum tamen denotare putarem, ſi ᛒᚢᛕᛏᛆ legendum; pro quo jam dicimus Huſzbunde.

ᚬᛋᚢᚱ, is eſt quem Aſurum alii vocant, noſtrates Aſer/ de quo vide monumentum ſequens Stróenſe.

TERTIUM
STROENSE.

Tertium locum tribuimus Stróródenſi, quod propè pagum Strørød vulgò Strøe conſpicitur. De quo hæc olim ad genere & virtute nobiliſsimum virum Dominum Tagonem Tott de Erichsholm/ Regni Daniæ Senatorem prudentiſsimum, tum Sylvisburgenſium, nunc Malmogienſium Præſidem Regium, fautorem meum ſingularem, perſcripſi.

Inter reliqua quæ in Scania extant fortitudinis & magnanimitatis majorum noſtrorum monumenta, haud infimum locum ſibi vendicat illud quod in provincia Onſcherrit dicta, tribus ſupra Coronenſem urbem miliaribus, propè pagum Strøe/ aliàs Strørød/ in fundo nobiliſsimi Viri Domini Tagonis Tottii Ottonis F. de Erichsholm/ regni Daniæ Senatoris prudentiſsimi, conſpicitur.

Tumulus enim ibidem extat nitidus & elegans, viginti quatuor ulnarum Selandicarum longitudine, latitudine qua-

tuor

ſtuor, in quo ſeptem eximiæ magnitudinis ſaxa conſpiciuntur, quorum tria orientalem ejus cingunt oram, totidem occidentalem, unum verò totius meditullium occupat, pyro arbore procerâ ſatis & fructifera ſtipatum, in hunc modum.



Saxum primum orientem verſus ſitum, altitudine trium ulnarum, totidem latum, rude quamvis ſit & impolitum, quà tamen auſtrum ſpectat, hiſce literarum exornatum cernitur characteribus:

ᚠᛅᚦᛁᛦ : ᛚᛁᛏ : ᚼᚢᚴᚢᛂ : ᚱᚢᚿᛂᛦ : ᚦᛁᛋᛁ : ᚢᚠᛏᛁᛦ : ᚭᛋᚢᚱ :
ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ : ᛋᛁᚿᛅᛋ : ᚿᚢᚱ : ᚢᛅᚱᚦᚱ : ᛏᚢᚦᚱ : ᛅᚱᚠ.

Fadir lit hugve Runer diſi uftir Oſur Brudur ſinas, nur vardr Tudr arff.

PATRICIUS RUNICAS HASCE LITERAS SCULPI CURAVIT IN MEMORIAM ASURII FRATRIS SUI: JAM HÆRES FACTUS EST TORO.

ᚠᛅᚦᛁᛦ quamvis appellativè parentem ſignificet, hoc tamen in loco proprium eſſe, totus evincit contextus. Haud paucos verò ejusdem nominis etiamnum apud nos reperiri eſt in confeſſo, qui ſe Romano idiomate Patritios appellatos volunt. Quis verò hic fuerit, quantæ autoritatis, aut qualia geſſerit, nondum ex monumentis noſtris

hiſtoricis, aut relationibus fide dignis elicere licuit. Ex iis quæ hic extant colligere datur, virum fuiſſe ut magni æſtimii, ita opulentum & de ſuis benè meritum. Quippe qui ſumptibus haud exiguis, hoc Mauſoleum ſuis extrui curavit & conſangvineorum ſuorum memoriam, tam ſplendido opere ad poſteros propagare curiosè ſtuduit.

ᚼᚢᚠᚢᚾ ᚱᚢᚾᛅ. Lapidem ante quidem in monumento locatum, ſed jam demum in memoriam Aſurii literis exornatum, hinc facile quiſpiam collegerit; ſimulq; hinc vocis ᚱᚢᚾᛅ genuina eruitur ſignificatio, quà literas notat, animi ſenſa exprimentes. Eodem ſenſu in altero legimus ᛘᛏ ᚼᚢᚠᚢᚾ ᛋᛏᚾᚴ: id eſt lapidem jam monumento adaptatum, literis exornavit. Differt hæc loquendi forma ab ea ᚱᚽᛁᛋᛁᛁ ᛋᛏᚽᛁᚴ etc. quæ lapidem aut ſaxũ ibi poſitum fuiſſe indicat, ubi antea nullum erat.

ᚢᚠᛏᛁᛅ. Haud infrequens eſt pro ᛁᚠᛏᛁᚱ poni ᚢᚠᛏᛁᛅ, eodem ſignificatu, ita permittẽte idiotiſmorum varietate.

ᛅᛋᚢᚱ etiam proprium eſt viri nomen, qui nobis jam ASER vocari conſuevit. Id in ſacris haud raro occurrit, Gen. 10. v. 22, filius Sem ita appellatur. Fuit & Aſſur pater Thecuæ, cui duæ erant uxores Haala & Naaza, 1. Paral. 4, v. 5. Hinc & Aſſyria, terra Aſur dicitur Eſa. 7, v. 18. capite verò decimo v. 5. *Aſſur virga furoris Dei* proclamatur, *& baculus in cujus manu indignatio Domini.* Adeò ut ex his aliisq; multis (de quibus forſan ſuo loco) haud inconcinnè ortus noſtri veſtigia legere liceat indubitata. Quin imò ſi modernam hujus vocis pronunciationem ſequare, ejus in populo Iſraelitico expreſſa invenies veſtigia. Filius n. Zelpæ quem Jacobo pepererat ASER appellatur, de quo Lea adeò triumphavit, ut vel illius cauſa omnes generationes ſe beatam prædicaturas exiſtimaverit, Gen. 30. v. 12. Eidemque Aſer, Jacob jam moriturus benedicens, cap. 49. v. 20. *panem ejus pingvem futurum pronunciat, adeò ut etiam regibus delitias ſit præbiturus.* Ex hujus tribu nata Anna Phanuelis f. Prophe-

phetiſſa, quæ Chriſtum recens natum palam concionabatur Luc. 2. v. 38. Non igitur hæc nomina merum olent gentiliſmum: ſed noſtram gentem ex populo Dei traductam, clara præbent teſtimonia. Ac quamvis hic legatur OSUR, tamen inter A & O in noſtrâ literaturâ non usq; adeò curioſam diſtinctionem fecerunt majores. Quod vel ex eò liquidum, quod ᚮ nil aliud ſit quam ᛅ geminatum, aut lineâ unicâ adauctum, ut in Literaturâ noſtrâ Runicâ fuſius demonſtratum.

ᛏᚢᚱ Toronem indicat, atteſtante pronunciatione vulgari, cujus rationem veteres habuerunt majorem, quã orthographiæ nobis jam uſitatæ. Hoc a. nomen quamvis etiamnum nobis haud ſit infrequens, ac moderni plæriq; ad Theodorum detorqueant: antiquitus tamen in multo frequentiori apud nos fuit uſu. Deorum enim primarius Tor dictus fuit, à quo non ſolum quinti ſeptimanæ diei nomen **Torſdag** ortum traxit, & Martio menſi **Tormanet**: verum etiam oppida, ſilvæ, ſaltus, pontes & homines ipſi, hac appellatione ſunt dotati, ut in Faſtis noſtris uberius demonſtravimus.

Quis verò aut qualis exiterit hic ᛏᚢᚱ, quamvis ex hiſce inſcriptionibus difficulter quis collegerit: famam tamen & vulgi ſermones (quod in his oportet) ſi pro documento aſſumpſerimus, quendam ex nobiliſsimâ Tottiorum proſapiâ TOR TOT dictum hic ſepultum eſſe ut ſtatuamus oportet. De quo in manuſcripto genealogias pręcipuarum familiarum in Daniâ exiſtentium continente hæc invenio: **Den førſte vi finde der Chriſten Mand vaar i de Axelſønners Slect/ heed Her Tor Tott/ ſom ligger begraf-ven i Kiølling Høj.** Id eſt: Primus ex familia Axiliorum qui Chriſto nomen dedit, dictus eſt Domin⁹ TORO TOTT, qui in colle **Kiølinghøj** tumulatus fertur. Mox ſubjungitur hujus proſapiæ typus, quem eo lubentius annotare hic placuit, quod præcipua Nobilitatis Danicæ lumina, a-

liquo affinitatis aut conſangvinitatis vinculo, hanc familiam tangant. Sic autem ſe habet:

Dn. TORO TOTT

Petrus Toronis f. | Chilianus Toronis f.

Axilius Chiliani

Ago Axilii f. | Andreas Axilii f. | Joannes Axilii f. | Juditha Axilii

Truido Agonis | Olaus Agonis | Axilius Agonis | Axilius Andreæ | Chriſtina Andreæ

Petrus Axilii | Jacobus Axilii | Juſtina Axilii | Johannes Tott

Chriſtina Jacobi Muſſi | Axilius Petri | Bondo Jacobi | Giſela Tott

Petrus Axilii | Andreas A. | Chilia. A. | Ericus A. | Ola. A. | Ivarus A. | Laurenti. A. | Philipp. A. | Ago Tott | Helena Olai Stiſon

Birgitta Succa dicta | Birgit. Nicol. Erici | Claud. Agonis | Georg. Agon. Roſencrantz | Bened. Agon. | Johan. Agon. | Helena Thoro. Bondi | Eric. Agonis

Claudius Claudii Tott | Ago Claudii | Ago Johan. | Anton. Erici | Everh. Erici

Petrus Tott | Axilius Antonii | Ericus Antonii

Chriſtianus Tott.

Ubi nota, hunc Toronem Tot nequaquam primum conſtitui, ex quo reliqui nobiliſsimæ hujus familiæ ortum traxerint, ſed primum ſaltim ex iis qui Chriſto nomina dederunt. Tottiorum namq; à Saxone noſtro injectam eſſe mentionem libro 8 legimus, ubi inter duces qui in Olonem conſpirarunt & Tottus recenſetur: *Duodecim duces*, inquit, *ſive patriæ calamitatibus moti, ſive Oloni ob aliam cauſam infeſti, inſidi-*

as capiti ejus præparare cœperunt. Ex his fuere Lennius, Attula, Tottus & Vithnus, qui quanquam apud Sclavos præfecturam gerebat, Danos tamen origine contingebat. Olonem autem hunc circa annum Chriſti CCLXXXX vixiſſe memorant noſtrates Chronologi, quo tempore Longobardorum ex regnis hiſce ſeptentrionalibus in exteros facta fuit irruptio.

Celebratur quoq; in hiſtoriis noſtris Petrus Tott, qui Valdemaro primo inſignem operam contra barbaros Vandalos in bello circa annum Chriſti MCLXXI locavit. De quo idem Saxo hiſtoriæ lib. 18: *Petrus quoq; cognomento Toddo cum navigium ſuum palis illiſum rupiſſet, ejusq; reficiendi cauſa abeuntem ſociorum claſſem relinqueret, tempus reparationi impenſum, ut ſolitarius ita omnis periculi immunis exegit, refectaq; puppe, ſubſecutus ſocios, nemine laceſſente, per tutam & liberam navigationem ad claſſem pervenit.*

Inter res geſtas Haqvini Haqvini f. Norvegiæ regis potentiſsimi, invenio circa annum Chriſti MCCLV in Islandia quendam fuiſſe hujus familiæ, Toro Tott nomine, cui ex primatibus Islandiæ Giſſurius quidam bona ſua & prædia commiſit avita, in Norvegiam ad regem profecturus. Rem geſtam fuſius diductam invenies in Hiſtoria Norvagica lingva vernacula nuper edita.

Paulus Varnefridus de geſtis Lombardorum lib. 1. cap. 5. meminit villæ cujusdam Totonis in Gallia Belgica, forſan à Tottis nomen trahentis, alii Turonis legunt, an à Toro Deo ſeptentrionalium primario? Cap. 20 Tatonis res geſtæ deſcribuntur, qui poſt patrem Claſonem ſceptra Longobardica tenebat & Herulos proſtravit. An Totto legendum ſit judicent Critici peritiores.

In Norvegia ab introductâ de vero Deo religione quindecim computare ſolent hominum ætates; quod huc translatum non multum abludit; ſed potius illud quod de Torone Tott aſſeritur, confirmare videtur; ipſum videlicet hujus familiæ primum fuiſſe qui Chriſto nomen dederit.

Alio-

Alioquin de eo & hoc circumfertur elogium, à poſteris, ut apparet, haud fruſtra concinnatum:

Dalby Molle oc Kielby Vang
Bøge-Ore oc Ringſø ſang
Giffuer jeg Boſie Kloſter ny/
Mens ſelff ligger i denne Høy.

Quorum ſenſus hic fermè eſt:

Campos, piſtrinas, viridantia paſcua & arva,
Chriſto devotis cœnobiisq́ dedi:
Hocce tamen placuit colle ut tumularer avito
Totti dic, ſodes, molliter oſſa cubent.

Virum itaq; fuiſſe apparet opulentum, ab ethnicis ſuperſtitionibus ad veri Dei cultum converſum, qui ut ſuam erga creatorem declararet gratitudinem, cœnobiis condendis tot bona legare voluit, majorum interim ſuorum more, in proprio fundo inter cognatos & amicos tumulari. Quinimo in ea ſum opinione, primis in hiſce oris magnatibus Chriſtianis, indultum à religioſis fuiſſe, majorum monumentis ut poſt obitum inferri poſſent, modo Eccleſiis & Cœnobiis bona quędam legarent. Atq; hoc nomine Boſienſi monaſterio ſupra enumerata ſacravit Toro hic. Ericus verò Roſæcrantzius primus quoq; in ea familia Chriſtianus atrium meridionale ad templum Orſtadenſe in Cimbriâ, eodem nomine ædificaſſe fertur, quamvis in Hofringholmenſi fundo ſitum collem, majorum buſtis nobilitatum, ſaxisq; ingentibus etiamnum conſpicuum, huic prætulerit, in quo funus ſuum ſolemni pompâ tumularetur.

Hunc autem ritum funera in propriis fundis tumulandi Romanos nobiſcum habuiſſe communes, vel ex illo Martialis colligere licet:

Septima jam Phileros tibi conditur uxor in agro
Plus nulli Philero, quam tibi reddit ager.

Clarius idem indicat Livius lib. 6: *Auderentve poſtulare ut ſinguli*

ſinguli propè CCC civium poſſiderent agros, plebejo homini vix ad te-ctum neceſſarium, aut locum ſepulturæ ſuus pateret ager? Pari modo Appianus lib. 1. cauſam redditurus cur legem agrariam recuſaverint divites, hæc profert: *Quod iniqvum eſſe ducerent, non ſolum agris ſe mulctari, ſed & ſepulchris majorum, ſitis in ſolo hæreditario.*

Antiquitus autem ſummus honos habitus magnatum (gentilium licet) ſepulcris, præſertim communibus, in quibus non unius ſaltim, ſed totius familiæ condebantur cadavera, ut mirum non ſit ex Chriſtianis *νεόφυτοις* haud paucos in agris & fundis apud majores ſuos ſepeliri maluiſſe, quam nova ſibi in templis eligere conditoria.

ᛆᚱᚠ. Haud infrequens fuiſſe veteribus ex cognatis & amicis ſibi hæredes eligere, eosq; publicè proclamare, idq; monumentis eximiis, in æternam rei memoriam teſtari, non ſolùm ex hoc lapide colligere licet; ſed etiam ex eo qui non usq; adeò multis leucis ab hoc diſtat propè pagum Hierup, in quo eadem fermè verba, idemq; Toronis nomen exaratum reperitur. Sic namq; habet:

ᚽᚠᛏᛁᚱ. ᛏᚢᚴᛆ. ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ. ᛋᛁᚿ. ᚿᛆᚠᚿᛁ. ᚱᛁᛋᚦᛁ. ᛋᛏᛁᚿ
ᛁᚦᛋᛁ. ᚼᛆᚿ. ᚢᛆᚱᚦ. ᚢᛁᛋᛏᚱ. ᛏᚢᚦᚱ. ᛆᚱᚠ.

Eſtir Tuka brudur ſin Naſni riſti ſtin diſi, han vard viſtr Tudr arſ.

IN. HONOREM. FRATRIS. SUI. TYCONIS. SAXUM. HOC. ERIGI. CURAVIT. NAFNI. FUIT. AUTEM. VERUS. TORONIS. HÆRES.

Situs hic lapis in Scaniâ in parochiâ Opagrienſi provinciæ Bärchertt, in ipſis agrorum, à meridionali pagi Hierupenſis tractu ſitorum, ſulcis, adeò ut limitis vices jam accolis ſubeat. Rude quidem ſaxum & impolitum, pyramidali fermè figurâ, altitudine duarum ulnarum, latitudine unius cum unâ quartâ, utrinqve literis Runicis, ut hic videre licet inſignitum.



Ante annos aliquot disjectum jacebat, jam verò priſtino ſitui (ut audio) laudabili ſanè conatu reſtitutum.

Hic etiam Tyconem legitimum Toronis proclamari hæredem quis non videt? idq; monumento tam eximio, omnibus teſtatum reliquiſſe Nafnonem eſt in confeſſo. Sed ad Stróenſe revertamur mauſoleum.

Lapis alter orientalem cum reliquis, ſepulcri conſtituens coronam; ejuſdem fermè cum primo eſt magnitudinis, figuræ tamen diverſæ, piriformis enim penè eſt, & auſtrali ſui parte hac gaudens inſcriptione.

ᚠᛆᚦIR. ᛚIT. ᚼᚢᚴᚢI. ᛋᛏᛁᚿ. ᚦᚢᛋ. ᚢᚠᛏ. ᛏᚢᚦR. ᛆᚴ. IBI.

Fadir lit bugve Sten dus uft Tudr og Ebe.

PATRICIUS LAPIDEM HUNC SCULPENDUM CURAVIT IN MEMORIAM TORONIS ET EBONIS.

ᚠᛆᚦIR

ᚠᛅᚦIR idem ille eſt venerandus ſenex, qui ſupra fratri Aſurio alterum poſuit. Conjicere & hinc licet magnates in fundis ſuis ſepulcra obtinuiſſe, in quibus non ſolum ipſi, ſed etiam cognati, aliiq; ejusdem familiæ, ſive affines, ſive hæredes tumulabantur. Qualia ſepulchra Romanis (apud quos non minus quam apud nos in uſu fuerunt) communia dicebantur. Quod vel ex Cicerone lib. 1. Officiorum colligere licet, ubi de hiſce præclarè diſſerit in hunc modum: *Magnum eſt eadem habere Monumenta majorum, iisdem uti ſacris, ſepulcra habere communia.* Teſtatur & idem elegans inſcriptio Hiſpanica hac verborum formula:

VOS. FILII. IN. VIVENTEM. PARENTEM. PIENTISSIMI. IN. MORTUUM. PII. MAGIS. PATERNOS. CINERES. EX. HISPANIA. EXPORTATE. COMMUNIQVE. SEPULCRO. CONDITE. QVO. AVITIS. CINERIBUS. IMMIXTI. SACRO. GAUDEANT. ANNIVERSARIO. PARENTARI.

Hiſce autem ſepulcris noſtrates quandoq; Monumenta apponebant literata, tumulo illatos laconicè indicantia, quandoq; verò ſine inſcriptione relinquebant, idq; maximâ ex parte. Apparet ſimul ſecundum hunc lapidem poſt primum aut poſitum, aut notis literariis inſignitum fuiſſe. Vivebat enim adhuc ᛏᚢᚦR cum primus poneretur, hæres namqve Patritii in eo conſtituitur, quo munere fungi neqvibat mortuus.

ᚢᚠᛏ. Abbreviatio eſt ex ᚢᚠᛏIR, poſt ſignificans.

ᛏᚢᚦR. Is ipſus eſt Toro Tot, qui hæres in proximo cōſtituebatur teſtamento: jam verò ante teſtatorem fato functꝰ, quod Patritio præſtare tenebatur, ab ipſo accepit. Alium verò Toronem præter Tottium noſtrum, non eſſe de quo monumenta hæc teſtantur, abundè ex eo evincitur quod fundus in quo collis hic ſitus à longiſsimâ patrum memoriâ, nobiliſsimorum Tottiorum jurisdictioni fuerit ſubjectus, ac etiamnum Nobiliſs. Tagonem Tott Otthonis f. de Ericksholm &c. ſibi vendicet toparcham. Tumulos autem hoſce non niſi

in propriis fundis exſtruxiſſe veteres ſupra oſtenſum. Ut nihil jam dicam vulgi famam per manus à majoribus acceptam, idem ipſum coſtanter aſſerere.

Quod verò in Kiølinghøy, aliquot leucis inde diſtante ſepultum aſſerat manuſcriptum ſuperius citatum, non usq; adeo magnam redolens antiquitatem: id ſcriptoris tribuendum arbitror inſcitiæ: qui cum in colle tumulatum eum eſſe accepiſſet, hunc eum arbitrabatur. Cui tamen præſens refragatur inſcriptio, fama conſtans, fundiqve dominium. Plus igitur tam evidentibus tribuendum eſſe documentis, quam nudæ ſcriptoris relationi, nullis rationum fulcris innixæ quis non videt?

Cognomen hic appoſitum non eſſe ſi regeras, ac idcirco æq; alium Toronem atq; Tottium hoc ſibi vendicare poſſe monumentum contendas: ſcito majoribus noſtris nequaquam in more poſitum fuiſſe cognomina epitaphiis inſerere; ut omnia ejus generis quæ etiamnum apud nos extant abundè edocent. Vel quod Laconiſmo & ſimplicitati ſtuderent, vel quod ſolo proprio nomine poſteris innotuiſſe, ſufficere arbitrati ſint, famâ, rerum geſtarum claritate, fundiq; poſſeſsione, ab aliis *ὁμωνύμοις* eos abundè diſcriminantibus.

IBI. Tritum etiamnum apud nos Eberi nomen, ac nulla immutata litera ita vocati Ebe dicuntur. Sed cujus conditionis hic extiterit me latet. Interim & hic locum habere videtur illud quod ſupra monui de cognatione nominum heroum Danicorum, cum iis qui principatum in populo Iſraelitico obtinebant. Quantum enim diſtet Ebe ab Heber ſi aſpirationem demas ipſemet vides. De Heber & Geber lege, ſi lubet, cap. 10. Geneſeos v. 24. 25.

Tertius lapis qui ad ortum vergit, ut & tres reliqui occidentem ſpectantes, literis ac notis planè deſtituuntur, ornamenti aut munimenti partes ſubeuntes. Non enim Danis ſolùm, ſaxis ingentibus ſepulcra cingere & muni-

re,

re, ſed etiam Romanis, in more poſitum fuiſſe, variis edocemur documentis. Neronis namq; ſepulcrum lapide Thaſio ſeptum teſtatur Suetonius, ſic inquiens: *In eo Monumento ſolium porphyretici marmoris, ſuperſtante Lunenſi ara; circumſeptum eſt lapide Thaſio.* Quo alludit Virgilius in culice:

Tumulus formatum crevit orbem
Quem circum lapidum, levi de marmore formas
Conſerit; aſſiduæ curæ memor.

Hæcce autem ſepimenta à Græcis κρηπῖδας καὶ περιοικομιδὰς vocatas fuiſſe teſtis eſt Pauſanias II Eliacor.

Septimus totius meditullium occupans, adjunctam habens pyrum, peculiare ab accolis invenit nomen. Vocatur enim *Lille Thule*, quod reliquis pari fermè magnitudine exiſtentibus, hic minor ſit, altitudine enim ſesquiulnam Selandicam non ſuperat; licet ambitu duas fermè æquet; figurâ cilindricâ.

Hujus etymi & aliam reddunt rationem, quam hic præterire non potui, præſertim cum vivis teſtibus ſe eam comprobare poſſe, ſanctè afferant accolæ. Eſt autem hæc: Villicus quidam pagi proximi, hujus lapidis allectus figurâ, uſibus domeſticis, ut ipſi videbatur, ſatis apta, cum ante annos non usq; adeò multos in ædes ſuas transferri curavit, ædificio aptandum. Mox nocte ſubſequente, tantus per totam domum ſubito oboritur tumultus, tantusque ſtrepitus, ut univerſi præſentem ædium metuerent ruinam, cum tale quid nunquam eo in loco antea percepiſſent. Idq; aliquot noctibus continuatum ubi fuiſſet, paterfamilias de ſalute ſua totiusq; familiæ ſolicitus, precibus ad Deum confugit, tanti mali cauſas exquirens, & liberationem calidis ſuſpiriis expetens. Mox nocte proximâ in ſomno quidam ei apparuit, aterne an albus ignoravit, hæc verba auribus inſuſurrans: **For liden Thule paa ſit ſted igien.** Parvum Thule redde loco ſuo. Cujus monitu expergefactus lapidem tumulo ereptum reſtituit, ſuoq; in

 loco

loco repoſuit. Quo facto phantaſmata & terriculamenta iſta evanuere, ac ejusmodi ludibriis liberata tota domus. Hæc illi; quibus permoti etiamnum hunc lapidem vocant parvum Thule, tumulum vero ipſum **Thulſhoy**: ſanctéq; adhuc cavent, ne quis huic monumento violentas inferre manus ullo modo præſumat.

Totius verò hujus monumenti ſtructuram quod cõcernit, eam pauló ante veri Dei, in hiſce regionib9 cultum, inchoatam, & ab obitu Toronis noſtri completam fuiſſe à ratione nequaquam videtur alienum. Siquidem poſt id temporis Cœmeteria & templa, non verò agri aut fundi ſepulturis Chriſtianorum deſtinabantur; licet peculiari indultu & hi quibusdam fuerint conceſsi. Nec repugnat pirus annoſa ſatis, ſive ſtudio, ſive caſu eidem inſerta, ejusque meditullium latiſsima exornans comâ. Toronem prçterea hunc inter primos qui ſacris Chriſtianis fuerint imbuti in hac familia, refert manuſcriptum ſuperius citatum; & alibi ſub Rege Olao **Hunger**, circa annum Chriſti MLXXXVIII vixiſſe eum repperi; quo tempore templis & cœmeteriis deſtituebantur multis in locis hujus Regni, ut more majorum ſuorum in fundis cadavera ſepeliri coacti fuerint alii: alii vero etſi cœmeteria & templa habuerint, majorum tamen buſta iis prætulerint; quod etiam à Torone factum res ipſa docet.

Haſce de monumento Stróenſe olim publicatas meditationes, cum amico cuidam meo in Angliam ituro communicaſſem, atq; is nobiliſsimo Palæmoni Roſæcrantzio de **Krenckerup**/ Aalcholmii Præſidi Regio, tum temporis Sereniſsimæ Regiæ Majeſtatis legatum ibidem agenti, oſtendiſſet, operæ duxit precium viri ut nobiliſsimi, ita in antiquitatibus verſatiſsimi, Domini Henrici Spelmanni, Equitis Anglo-Britanni, de iis judicium exquirere. Quod ſcripto in hunc modum accepit.

Illu-

Illuſtriſſimo Domino PALÆMONI ROSECRANTZIO, *Sereniſſ: Danicæ Majeſtatis apud Anglos Legato, Henricus Spelman, ſalutem humilimè cum dignitatis incremento.*

VAlde placuit (Illuſtriſs: Domine) quod è veſtra clientela nuper mihi oſtẽdit eruditꝰ juvenis Axilius Juliꝰ, TULSHØI illud Monumentum Danicum, ab Olao Wormio doctè, ſplẽdidè & ingenioſè enarratum. Non adducor tamen ut credam Tottorum cognomen ſub anno Chriſti CCLXXXX usqvã gentium innotuiſſe, cum Germani, Galli, Britanni, & (ut alios taceam) populi omnes boreales, Græcorum Hebræorumqve more ſimplici uterentur appellatione. Tottum igitur, de quo meminit Saxo Grammaticus ſub illo ſeculo, inter majores Toronis Totti, qui recentius vixit 800 annis, ideo numerandum non cenſeo, quod *ὁμώνυμος* eſſet, ut nec Aſſuros illos Hebraicos ad Aſſurum Totti fratrem gentili ſpectaſſe cognatione. Danos tamen, Norvegos & Gothos (quos olim Getas) ab Hebræis oriundos (cum enixius id evicerit Arngrimus Jonas in ſua Crymogæa) non inficiar.

Certè apud Hiſtoricos noſtros qui de Danis copioſius tractarunt quam ipſi Dani, nullus, quod ſciam, occurrit Saxo vel Danus, gentili fretus cognomine. Nec ejusmodi quempiam reperi inter Gallos veteres, apud Gregorium Turonenſem, nec ſub mediis ſeculis apud Aimoinum, nec inter Longobardos apud Paulum Warnefredum ſeu Diaconum. Fateor tamen in hiſtoriis noſtris ut & aliarum gentium, deprehendi interdum alium atq; alium bino compellatum nomine, neutro tamen gentili, ſed hoc ex contingenti aliquo adventitio, & per probrum ſæpe, (quod Plautus improperium vocat, nos *a Nichname*) illo autem genuino & legitimo.

Noſtrates ſeu Anglo-Saxones, ſive Anglo-Dani ante introitum Normannorum, gentili non ſunt uſi cognomine, nec in tota patria mea, quæ præ cæteris tota paruit Dano, Danorumq; hodie villis ſcatet & proſapiis, ullus mihi accuratius in-

dagan-

„ daganti compertus eſt binominis. Extat in memoriam rei
vetus quædam narratiuncula: Normannam nobilem, Angli
„ repudiaſſe nuptias, quod duplici non honeſtaretur nomine.
„ Brevi igitur in Normannicum ruunt omnes morem, cogno-
„ mina ſibi aut à prædiis, villis, oppidis (quod Normannis atq;
„ Gallis uſitatiſsimum fuit) aut ab animi corporisve dotibus,
officio, magiſtratu, artificio, rebus geſtis & hujusmodi, ad-
„ ſciſſentes, eademq; ad nepotes & propaginem ſuam diffun-
„ dentes. Sed de his nimium.


„ Antiquſsimi moris eſt, in campis ſepelire, etiam totam ſi-
mul cognationem in eodem monumento. Sic Abraham, I-
„ ſaac & Jacob cum uxoribus ſuis, in ſpelunca quæ fuit in extre-
„ mitate agri nuncupati Machpelach (qua & parentes ſui primi
„ Adam & Eva ſi Doctoribus credamus) inhumati ſunt. Nec
„ inane hic quod dicitur in extremitate agri. Ritum enim ali-
um antiquiſsimum ſuggerit, cujus è Platone meminit Cice-
„ ro in fine lib. 3. de legibus: in arvis ſc: non condendos mortu-
„ os, extremitates enim agrorum incultas olim reliquêre, quod
„ & in TULSHØI videtur obſervatum, prout ſanctius à Da-
nis & Saxonibus noſtris. Hos enim animadverto tumulos
„ paſsim ex aggeſto ceſpite eminentius per loca extuliſſe: haud
„ tamen in frugiferis arvis, ſed in ericetis camporumq; finibus
„ minimè Cereri atq; Baccho arridentibus. Priſcum igitur vio-
„ larunt morem, qui pirum in ſepulcro ſeruêre: multò enim
hæc recentior eſt, nec in cœmeteriis unquam vidimus arbo-
„ rem fructiferam: agreſtes verò ſepiſsimè & feras. Judæos ta-
„ men in hortis aliàs poſuiſſe monumenta atq; tumulos, non i-
„ gnoro: ſed hæc pluribus differenda tranſeo. Miror tamen
Toronem Tottum monaſteriorum côditorem illic ſibi non
„ delegiſſe ſepulturam, cum id in primis fundatorib⁹ admodũ
„ gratũ eſſet, & futuræ arrha beatitudinis, quam nec cedentibus
„ Monachis ipſi cederent præſertim à Chriſtianis fratribus ad
„ Ethnicos redire, à fidelibus transfugere ad infideles. Forte ali-
us fuit hic Torus Tottus cui ne moleſtus ſim — molliter oſſa
„ cubent.

De

De literis Runicis plura cupio: unde nomen, quænam Regio, & quis populus? Rinucorum meminit Plinius, eosq; hodie ponunt Authores juxta Batavos atq; Friſios, Friſorumqve lingvam hodiernam veterum illorum Teutonum & Gothorum admodum conſonantem prædicant. Et quos Tacitus in Germania Sunicos vocat, quidam Runicos legunt. Expediret procul dubio ſingula Doctiſs: Wormii libellus de Literatura Runica ſi ejusdem haberetur copia.

Ego Monumenti inſcriptionem Gothicis planè exaratam literis cenſeo. Gothicarum autem variæ ſpecies, varia Alphabeta. Unum ex Anonymo dedit Bon. Vulcanius, & ab amicis aliunde perquiſita quatuor alia, ſed hæc parum inter ſe diſtantia, adeò ut præcipua duo tantum videantur genera, eorumq; alterum à Galfila (aliis, Gulfila & Ulphila) Epiſcopo Gothico ſub æra CCCCXV juxta Iſidori Chronicum excogitatum. Tritemius Abbas aliud etiam perhibet recentius à Normannis (qvos à Gothis Aſiaticis ducit) inventum. Et apud nos reperitur aliquando, Gothicæ ſcripturæ genus monumenti non abſimile, ſed alio atq; alio diſpar charactere, Wormiiq; dignum enucleatione.

Breve ecce ſpecimen:



Sculpta fuit hæc Inſcriptio Epiſtylio crucis lapideæ, Beucaſtri partibus Angliæ borealibus (ubi Dani plurimum verſabantur) Cambdenoq; & mihi ſimul exhibita Anno Domini 1618, ab Antiqvitatum inter proceres Angliæ peritiſsimo Domino Guilielmo Howard noviſsimi Ducis Norfolciæ filio. Habetur & ex eodem tractu ſub Brigantibus Cumberlandiæ in Cambdeni Britania, literis aliquot magis obſoletis & Exoticis alia inſcriptio (Danica reor) quam utramq; intueatur cupio veſter Myſtagogus Wormius, exponensq; vel alterutrum erit mihi magnus Apollo. Nec deficiens quidem minoris pretii, nam hæc fortè *τὰς ἐν ἅδε τριακάδας ἐπιζητεῖν.* De cæteris, cum minus generalia, verba non faciam.

„Hæc ut veſtra novit Excellentia ſatis æger & detentus aliis
„peroravi. Spero me initurum cum Authore amicitiam, &
„per literas aliqvando nos acturos pluribus. Deus Optim⁹
„Maximus amplitudinem veſtram in veſtrum patriumque
„decus diutiſsime tueatur. Londini XIIII Calend. Maj:
„MDCXXIX ſt. vet.

Delata ad me tanti viri tam amicâ & candidâ cenſurâ, non potui non gaudere, inter tantos reperiri qui hæc æſtimarent, & tam benevolè mecum de iisdem conferre non gravarentur, oblata ſimul occaſione amicitię inchoandæ, & firmiori nexu poſthac copulandæ. Primâ itaq; data comoditate non deſtiti viri humaniſsimi amicitiam ambire, atq; quid in ejus deſiderare mihi videbar cenſura paucis exponere, idq; hac concepta formula, quam non ingratam fuiſſe ex amiciſsimis Spelmanni ad me ſequenti anno datis literis intellexi.

VIRO Illuſtri & Generoſo

DN. HENRICO SPELMAN,

Equiti Anglo-Britanno, amico meo S.

NOn poſſum non, Vir illuſtris, tantam tuam humanitatem & incredibilem benevolentiam exoſculari, qua me faciei ignotum, nullaq; vel minimâ re de te tuisve unquam benè meritum proſequeris; non ſolum eruditum tuum, laborioſiſsimoq; ingenii molimine expolitum Archeologum, dono mittendo: ſed etiam nugas meas Stróenſes tanti faciendo, ut iis excutiendis, aliquid etiam temporis tribuere haud ſis veritus. Pro quibus officiis fateor me tantopere tibi obligatum, ut ſi quid à mea proficiſci poſſet tenuitate, quod honori tuo dilatãdo inſervire queat, illud non immeritò totum tuum eſſe, gratus agnoſcam. Ut verò aliquo indicio mutuum declarem affectum, ecce Faſtos tibi mitto meos, ex ſummis tenebris, in hanc, majorum voluntate potius, quàm meo voto protruſos lu-

cem.

cem. In quibus eundem quo in Stroenſe monumento examinando, liberè ut exerceas candorem, amice peto. Sunt enim hæc talia, quæ à nemine tentata hactenus, unius hominis glaciem frangentis, infinitisq; aliis indies diſtenti negotiis, facile effugere poſſunt diligentiam. Si quæ occurrunt minus expedita, illa, Deo volente, ſuo tempore clariora reddet noſtra Literatura Runica, cui triſtiſsima rerum noſtrarum, hoc belli tempore, facies; typographorum quin etiam ſordida tenacitas, hactenus lucem invidit.

Monumentum TULSHØI à te diligenter adeò perluſtratum quod attinet, illud amici cujusdam mei rogatu publicaſſe me ſcito, ut Doctorum in patria, de talibus explorarem judicia, & an reliqua ejus generis, magno labore & ſumptu ex ruderibus & ſaxis Daniæ & Norvegiæ eruta, digna luce ducerent, expiſcarem. Ne operam aliquam his ulterius tribuendo, bonas horas ſeverioribus deſtinatas, temere perderem. Tanti igitur æſtimii chartam hanc eſſe non arbitrabar, ut tui ſimiliumq; antiquitatum procerum experiretur cenſuram; quam tamen ut gratiſsimam exoſculor & veneror. Utq; per nobiliſsimum Axilium Julium noſtrum communicatam curæ & cordi fuiſſe agnoſcas, quæ mihi ea pellecta irrepsêre dubia, tanta fretus humanitate, in ſinum tuum liberius deponam, utq; æquo excipiantur animo ac candido enucleentur unicè exopto.

Non credis Tottorum cognomen ſub Anno Chriſti CCLXXXX uſquam gentium innotuiſſe, cum Germani, Galli, Britanni & populi omnes Boreales, Græcorum Hebræorumq; more ſimplici uterentur appellatione.

Sed magna mihi indigere videtur probatione *Omnes* Boreales tunc temporis ſimplici uſos appellatione. De Germanis, Gallis, Britannis nil jam dicam: de Danis, Norvegis, Suecis contrarium evincunt, tum hiſtoriæ fide dignæ, tum nobilium genealogiæ, aliaq; apud nos extan-

tia documenta. Ut Adelingos Longobardorum, Amalos & Baltheos antiquiſsimas Danorum & Gothorum taceam familias, de quibus etiam doctè diſſerit Archeologus: Gungincos, de quibus Paulus Diaconus lib. 1 de geſtis Longobardorum c. 14. qvi an noſtri fuerint Gungi, quorum adhuc in Scania integer eſt principatꝰ; quiq; ſe veterū Gothorum progeniem gloriantur, quibꝰ ſagitandi peritia vix cedunt. Lithingos apud eundem ibidem cap. 21. *Hi omnes Lithingi fuerunt, ſic enim apud eos quædam nobilis proſapia vocabatur*, ait Warnefridus: licet quidam legant Adelingi, ad explicationem ipſius Pauli reſpicientes. A Skioldo Danorum rege juxta Saxonem IV, qui, ut ferunt annales noſtri, circa annum mundi 3006 vixiſſe putatur, Skioldungos dictos inſequentes quam plurimos, teſtantur hiſtorici noſtri. Rolvo qui circa annum mundi 3379 imperavit cognomine fuit **Krage**. Fridlevus I. anno mundi 3871 faſces tenens, **Snare** dictus. Frotho III. cujus anno 19 Gothi è Dania migrarunt, quiq; tempore nati Chriſti vixit, **Heſſmild** ſalutatus, Haraldus II. anno 276 nati Chriſti imperium obtinens, **Hyllctand** dictus. Ulterius non progredior in Regum Danicorum Hiſtoria. Norvegos jam conſule, non ab Haraldo Harfagre, quem anno Chriſti 860 imperium inchoaſſe referunt, à quo ad majorum noſtrorum tempora vix quiſquam fuit qui cognomine aliquo non gaudebat: ſed regulos ante ejus tempora faſces provinciarum tenentes aſpice; maxima parte non ſimplici, ſed duplici uſos nomine comperies. Quid juvat referre Ivarum **Vidfadne**, Aaſam **Ildraada**, Olaum **Trætelge**, Haldanum **Huidbeen**, Halfdanū **den milde**/ Gudrodū **den gamle**/ aliosq; quam plurimos? Sueci tibi enumerabunt Rodericum **Slyngebond**/ Alricum **Geſiblind**/Ericum **hin viſe**/ Haldanum **Bergram**, aliosq; quos tibi in hiſtoriis verſatiſsimo in memoriam revocare piget. Magnatum & nobilium non minorem recenſerem (Danorum ſaltim) cata-

logum,

logum, ſi apud te genealogias per manus nobis traditas pondus aliquod habere ſcirem. Roſæcrantziorum adduximus in Tulshoi, addere poſſem Wrnorum, Bannerorum, Braheorum, Gyldenſternorum, Langorum, aliorumq́; ſi neceſsitas efflagitaret, exempla.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotiq; longa
Morte, carent quia vate ſacro.

Quid Cambdenus in deſcriptione Cornvalliæ de Godolphinorum referat familia, plana ſunt & Spelmanno notiſsima.

Tottum igitur, de quo Saxo (cujus authoritas non temerè repudianda) è numero majorum Toronis non excluſero, niſi alios Tottos tum viguiſſe, aut hanc 800 annorum lineam interruptam, documentis evidentibus probaveris.

Aſſuros illos Hebraicos ad Aſſerum Totti fratrem gentili ſpectaſſe cognatione, nuſpiam dixi, ſed quia eadem in gente noſtra, quæ in Hebraica reperire licet Heroum nomina; ab Hebræis oriundos nos contendo, quod te ultro largiri gaudeo.

Quia verò hæc de cognominibus diſceptatio, varias parere poſſe difficultates animadverto: ſubmoneo cognomina in familiis quibuſdam Danicis, à ſumma fuiſſe antiquitate, ſed quibuſdam ſeculis, in nonnullis interrupta, à poſteris tamen tandem revocata. Idq́; nobiliſsimorum quorundam apud nos vigentium, & etiamnum viventium edocent exempla, qui, etſi abundè conſtet quâ ſtirpe & familia orti, malunt tamen longâ ſerie, addito ſaltim parentis proprio ſalutari, eo modo quo Græci, patris nomen poſtponentes, ut ΕΥΓΝΙΣ ΕΥΒΙΟΥ Eugnis Eubii ſc. filius, in ara quæ extat Meſſanæ in Sicilia, & Romani in nummis. JULIA. C. JUL. CÆS. IMP.

 filia

filia ſcilicet. Id elapſo ſæculo multò fuiſſe nobis frequentius teſtatum reliquit nobiliſsimus Daniæ Hiſtoriographus Arnoldus Huitfeldius, in vita Friderici primi, circa finem; ubi refert, dictum Regem Nobilitati Danicæ autorem fuiſſe, ut obliterata jam fermè, familiarum revocarent cognomina & clypeorum ſigna; ne tribuum fieret cōfuſio, & ſtirpis irrevocabilis obreperet oblivio. Nec hoc diſsimulo, quaſdam etiam reperiri familias, quæ licet ante ſecula non ita multa cognomina primum acquiſiverint, majorum tamen ſeriem non interruptam, à remotiſsimo numerant ævo. Et hoc ſenſu Toronem ex Tottiorum fuiſſe majoribus aſſerere is poſſet, qui aliis deſtitueretur fulcris. Sed generoſiſsimi hujus ſtemmatis genealogiæ mihi inſtar omnium fuêre.

Quantum valeat autoritas negativa peregrinorum de rebus Danicis diſſerentium, me melius noſti. Tuos Anglos, Gallos, Saxones Danica tractantes, ſi cum noſtratibus M.S.S. præſertim & nondum editis conferas, bone Deus quam jejuni, quam manci, quam omnium rituum noſtrorum ignari! Poſſem tibi noſtrorum nobilium cognomina in hujus anni Gallorum relationibus annotata, & miſeris adeò modis depravata recenſere, ut vix à nobis ipſis agnoſcantur, & niſi rei geſtæ ſeries conjecturam firmaret, planè pro peregrinis haberentur. Ex quo quantum in talibus exteris ſit habendum fidei facilè æſtimares. Sed hæc teipſum animadvertiſſe non dubito.

Quod *Anglo-Saxones aut Anglo-Dani ante introitum Normannorum in Britanniam gentili haud uſi ſint nomine* facilè conceſſero, nec fidem tuam in dubium vocabo: ſed hinc ad Danos in patria & omnes reliquos ſeptentrionales non ritè argumentamur.

Ritum totam cognationem ſimul in campis ſepeliendi in eodem monumento, tanta tui ingenii ubertate locupletatum ad nos rediiſſe gaudeo. Sed non poſſum quin hic annotem, quæ apud nos diverſa reperio ab iis quæ ex Cicerone colligis. Non enim in ericetis & camporum ſaltim finibus col-

les

les & tumulos hujuſmodi arte elaboratos, ut ſepulcra magnatibus ſuppeditent apud nos frequentiſsimos reperies: ſed etiam in frugiferis arvis, Cereri (de Baccho non loquor, nobis minus familiari) dicatis, adeò ut à colonis noſtris haud paucos ex parte aratro everſos cernere liceat. Nec priſcum morem adjecta piro violatum crediderim. Oſtenderem enim annoſas fagus, qvercus, aliasq; arbores porcorum ſaginis deſtinatas, qvosdam coronæ inſtar cingere tumulos, quosdam verò ad caput aut latera exornare. Hæc ocularis nos docet inſpectio, nullis opinionibus aut conjecturis evertenda.

Sacras literas ſi conſuluerimus, inveniemus Reges Juda etiam non in arvis frugiferis, ſed in hortis ſuis tumulatos. De Manaſſe teſtatur caput XXI lib. IV Regum ẏ. 18. quod poſt obitum in horto domus ſuæ, in horto Ozæ ſit ſepultus. Qvin & de filio ejus Ammone idem memoratur verſu ultimo ejusdem capitis: *Sepelieruntq; eum*, inquit Spirit9 Dei, *in ſepulchro ſuo in horto Oza.* Non igitur infrequens fuiſſe videtur multis gentibus Reges & Magnates ſuos, in hortis & arvis læta fruge conſpicuis tumulare.

Miraris *Toronem, tot Monaſteriorum conditorem illic ſibi non delegiſſe ſepulturam.* Miror & ego, & qui factum documentis nullis evidentibus probare datur. Conjecturas meas in medio poſitas vides, & ni elogium propoſitum, familiæ conſtans relatio, ſimiliaq; alia me moverent exempla, planè tecum negarem, ut ut ſit, hiſce fidem ut adhibeamus neceſſum eſt, donec contrarium probetur. Nondum confirmatis in Religione magnatibus, lucri cupidos Monachos, multa conceſsiſſe, ne rigore nimio jacta doctrinæ fundamenta everterent, à ratione neutiquam alienum.

De Runicis mirari ſatis ego nequeo, ex hiſtoricis Britannis, *qui de Danis copioſius* (te autore) *tractarunt quam ipſi Dani*, nihil percepiſſe Spelmannum. De quibus tamen Danorum vulgus aſsiduè tot tantaq; cantillat & diſſerit, Norvegi, Sueci, Iſlandi ſcribunt, referunt & oſtendunt. Imò, quibus tritius nihil in ore omnium. Et quia Literaturam meam, totum

tum hoc expeditum daturam iteris, ecce ejus Ideam tibi mitto, & quæ de nomine Runarum publicanda ex uſu eſſe duxi, plenius addo, ea candido & accurato tuo judicio lubens ſubmittens; luce acceſsioneq; aliqua locupletata reditura ſperans.

Monumenti inſcriptionem Gothicis literis exaratam cenſes, & rectè: Gothicæ enim nil aliud ſunt quam Runicæ, & illa quæ exteris dicta eſt Gothica, ab iis qui eam primum in peregrinas advexerunt regiones, nobis Runica eſt literatura vero & genuino nomine, quod caput quartum Literaturæ expeditum dabit.

Inſcriptio epiſtilii crucis lapideæ Beucaſtrienſis verè Gothica ſeu Runica eſt, ſed ab imperito haud planè deſcripta; nam nec integra eſt; nec 4, 5, 7, 8, 12 notæ confuſionem & depravationem effugêre. Quod etiam de monumento in comitatu Brigantino extante, à Clariſsimo Cambdeno delineato, conqveror; alioquin non hic ullo opus foret Apolline. Quid ſi ita legendum?

ᚱᛁᚾᚬ ᛋᛅᛐᚢ ᚱᚢᚾᛅ ᛋᛐᛁᚾᚬ ᚦ

Rino ſatu Runa ſtina d.

RINO LAPIDES HOS RUNICOS POSUIT.

Quod ſi tanta apud excellentiſsimum Spelmannum pollerem autoritate, ut accuratius aliquanto à quodam hujus literaturæ non planè imperito hæc delineari curaret, efficerem ut agnoſceret nihil mihi gratius eſſe, quam in talibus amicis gratificari.


Vides excellentiſsime Spelmanne quo fine hæc ad te exaranda duxerim: nempe ut pro inſigni benevolentia & amoris in me affectu, gratias agerem debitas, ſpem tuam haud irritam redderem, amicitiæ & familiaritatis inter nos futuræ fundamenta ponerem imò meipſum, meaq; omnia tibi tuiſq; ſtudiis devoverem. Quæ ſpero te in meliorem interpretaturum partem, cùm ex iis facile colligas, ea quæ vel ab exteris, vel à noſtratibus, de ſeptentrionalibus ſunt divulgata, minimam partem eſſe eorum quæ adhuc in archivis apud nos latitant, & ob nimiam familiaritatem neglecta aut deſpecta cõtemnun-

temnuntur. Quæ neſcio quo fato, tanto cum detrimento, antiqvitatum cultoribus hucusq; ſubtrahantur.. Me, aliis licet, iisq; ſeverioribus devotum, nulla famæ cupiditas, aut auræ popularis ardor, ſed merus patriæ amor, ad luſus hoſce, horis detruſit ſuccifivis, quos eo quo profecti animo, bonos ac candidos, teq; in primis, interpretaturum ſpero. vale.
Hafniæ 18. Julii Anni MDCXXIX. O. W.

QVARTUM
GORSTANGENSE.

NOmarchia Pheroſtæ Froſtherrit dicta, duos continet pagos Gaarſtang nominatos, ex quibus ad plagam cœli orientalem ſitus, Oſter-Gaarſtang ad differentiam alterius vulgò appellatur.

In hoc lapis grandis ſatis, rudi arte in conum elaboratus, fimetum ruſtici cujusdam claudit, longitudine trium ulnarum cum dimidia, latitudine duarum ſemis. Qui olim, referentibus accolis, ſitus erat in colle qui viſitur inter nominatum Gaarſtang & Hulmby, ſed inde ad ſordidos hoſce translatus uſus, dignus ob antiquitatem, loco longè nobiliore. Figura & inſcriptionis tenor hic eſt, quem in delineato cernis typo, expreſſo juxta ſitum quem jam in fimeto obtinet. Olim autem dum monticuli ſui corona & ornamentum erat, erectus ſtetit cippus, apice cœlum ſpectans, à baſi in ſummitatem & hinc recta deorſum tractum ac ſeriem notarum traducentem; quæ & tum lectu expeditior, & viſu preclarior multò erat. Sed qualem ſe jam viſentibus præbet, talem hic cape.



ᚦᚢᛚᚠᛦ: ᚢᚴ: ᚢᛚᚠᛦ: ᚱᛁᛋᚦᚢ: ᛋᛏᛁᚾᛅ: ᚦᛁᛋᛁ: ᚢᛋᛏᛁᛦ:
ᚮᛋᛘᚢᛏ: ᛚᛁᛒᛅ: ᚠᛁᛚᛅᚴᛅ: ᛋᛁᚾ.

Dulfr ug Vlfr risdu ſtino diſi uſtir Oſmut liba filaga ſin.


DULFR ET ULFR (VULFGANGUS) LAPIDEM HUNC POSUERUNT OSMUTO VITÆ SUÆ SOCIO.

ᚦᚢᛚᚠᛦ ut proprium nobis jam minus familiare, ita ᚢᛚᚠᛦ non inconſuetum, pro quo jam *Vulf* dicere ſolemus. Ethniciſmum redolens appellatio; appellativum enim Lupum ſignificat, ex quo, ut & aliis animalibus feris, non veriti ſunt in paganiſmo appellationes trahere & hominibus accommodare, ex quibus multa ad noſtra quoq; defluxere ſæcula. Sed Germanis jam multò familiarius hoc nomen quàm nobis. Et neſcio quid non germanismi prima fronte oſtendat hæc inſcriptio: vox enim ᛚᛁᛒᛅ Germanis charum notat, pro quo noſtrates **Kiere** dicunt. Niſi forſan corpus aut vitam notet, quam jam **Lijff** dicimus, ut indicet eum ita comitem & ſocium fuiſſe, ut corporis quaſi ſui cuſtos extiterit, aut vitæ ſocius. Quô inclinat Clariſſimus Stephanius. ᛚᛁᛒᛅ namq; vitam interpretatur, ut ſignificet Osmutum talem fuiſſe comitem, cui in ſummo vitæ diſcrimine & graviſsimis periculis tuto fidere liceret, **ſom mand maatte ſla ſin Lijd til.** Eadem ratione **Lijffdreng**/ fidum Achatem ſeu famulum, qui vitæ alterius quaſi excubias agit, eamq; defendere paratus eſt. **Lijffancker** ſacram anchoram vocamus. Sic Martinus Opitius Notis in Rythmum de S. Annone v. 1 ad illa verba *wi ſich liebin wineſceſte* &c. notat Otfrido S. Galli monacho in Evangeliorum libro ante DCCLXXX annos rythmis lingva Francica conſcripto *Lib* idem eſſe quod Germanis **Leben**/ Belgis **Leven**/ Anglis *Live*, Danis **Lijff** vita. Vel cognomen eſſe poteſt *Oſmundi*.

ᚠᛁᛚᛅᚴᛅ, vox etiam eſt nobis jam minus trita, ut quid ſignificet vix certo dicere valeam. Interim comitem ſeu ſocium verti: Nam in uſu nobis eſt verbum **atfylge**/ quod comi-

mitari notat, ex quo traductum hoc nomen ſuſpicor, comitem ſeu ſocium denotans: in bellis forſan & expeditionibus gravioribus ubi corpus variis exponitur periculis. De mendo non eſt quod quis ſuſpicionem moveat, ipſe enim diligentiſsimè ſingulos apices rimatus ſum, & inſcriptio nitida ac clara adeò, ut exoptandum, quæ occurrunt monumenta reliqua, tam facilè in ſenſus ſe ingerere poſſe.

QUINTUM
ASUMENSE.



ELegans, recentius licet, in muro qui cingit cœmeterium Aſumenſe in provincia Gereſiorum **Gierßherrit** ſitum, quod etſi chriſtianam ſapiat religionem & multum ab aliis diſcrepet, neutiquam prætereundum, in primis cum ejus à nobiliſsimo Haraldo Huitfeldio regni Daniæ

 Can-

Cancellario Magnifico & Hiſtorico clariſsimo, factam eſſe mentionem videam. Ad plagam itaq; cœmeterii dicti ſeptentrionalem, portæ adjunctum cernitur ſaxum muro infixum, oblongum ac planum, altitudinem obtinens trium ulnarum cum dimidia, latitudinem unius, literis ac characteribus conſpicuis in modum ſupra propoſitum exornatum.

ᚴᚱᛁᛋᛏ: ᛘᛅᚱᛁᛅ: ᛋᚢᚿ: ᚼᛁᛅᛚᛒᛁ: ᚦᛁᛘ: ᛂᚱ: ᚴᛁᚱᚴᛁᚢ: ᚦᛁᚿᚢ: ᚴᚢᚦᛁ: ᛅᛒᛋᛁᛚᚮᚿ: ᛂᚱᚴᛁ:ᛒᛁᛋᚴᚢᛒ: ᛆᚴ: ᛅᛋᛒᛁᛆᚱᚿ: ᛘᚢᛚᛁ.

Kriſt Mariæ ſun hialpi dem er Kirckiu dinu gudi Abſilon Erkibiſcup ok Asbiorn Muli.

CHRISTE FILI MARIÆ ADSIS IIS QVI TEMPLO TUO BENEFACIUNT ABSOLONI ARCHIEPISCOPO ET ESBERNO MULE.

In ᛘᛅᚱᛁᛅ obſerva ᛅ quod alioquin O denotare ſolet hic diphthongum Æ exprimere, notam enim peculiarem huic deſignandæ aptam, non habuerunt noſtrates, poteſtate igitur vicinam arripuerunt, ut vel hinc colligere detur literam ᛅ quandoq; O, quandoq; duplex A, quandoq; diphthongum Æ exprimere.

ᛅᛒᛋᛁᛚᚮᚿ Abſilon pro Abſolon. Cæterum quis quantusq; hic fuerit, pluribus in locis perſequitur Saxo noſter. Fuit autem Waldemaro primo coævus & collacteus, ex illuſtri Candidorum familia, ob eloquentiam variasq; animi & corporis dotes, primum Epiſcopus Roeſchildenſis, deinde Archiepiſcopꝰ Lundenſis conſtitutus; quibus præclarè defunctis muneribus, Regi Waldemaro primo, chariſsimus, ejusq; filio Canuto acceptiſsimus. Anno MCCI vel (ut quidam volunt) MCC, XII Kal. April. obiit in monaſterio *Sorano*, quod ipſe magnis ſumptibus condidit, proprioq; patrimonio largiſsimè ditavit.

Quanto etiam apud exteros fuerit in pretio, abundè declarat Abbas Lubecenſis Arnoldus, qui Helmoldum continuavit, in hunc modum: *Hoc dierum curriculo ex hac vi-*

ta ſubtractus eſt Dominus Abſolon Lundenſis archiepiſcopus, vir religioſus & magni conſilii ſive diſcretionis & præcipuæ honeſtatis. Hujus induſtria omnes Eccleſiæ totius Daniæ prius diſcordantes uniformes in officiis divinis factæ ſunt. In cathedrali ſede crucifixum ſuper affigi præcepit, ut accedentibus & recedentibus reverentia crucifixo magis quam ſibi fieri videretur. Præterea largè ſua eccleſiis & monaſteriis conferens, maximè cathedralem eccleſiam B. Laurentii Martyris Lundis ditare & ornare ſtudebat, coronis precioſis & campanis maximis, ut nunc cernitur & diverſis ornamentis. Et quia erat, ut dictum eſt, vir religionis amator, monaſterium Ciſterſienſium Monachorum in Sora ædificare & ditare ſatagebat, ubi etiam circa finem dierum ſuorum moleſtia corporis tactus ægrotabat. Ordinatis autem Eccleſiæ ſuæ rebus in die B. Benedicti Abbatis diem clauſit extremum. Cujus morte omnis Dania non parum indoluit, & quia multos diſcordantes ad pacem in vita reformaverat, ipſius exitum Deo pacis auctori commendabant. Inter reliqua poſt obitum ei conſecrata elogia, extat & hoc Saxonis Grammatici:

Abſolon hic primas, ſpeciei jure ſecundus
Abſolon, ore Cato, probitate David, Samuel re,
Currus & auriga, pater & patronus, ovile
Et Paſtor, Pax & patriæ Dux, legifer & lex,
Fortibus hic Samſon, Salomon ſapientibus, Abram
Juſtis, perverſis Phinees, fuit anchora Danis,
Quicquid Achillis erat, quicquid Platonis, in ejus
Splenduit ingenio, teſtatur gloria famæ.
Nunc pater emeritus Danorum pulvere pauſat
Terris ſtans fama, merito cœleſtibus aſtat.

S. G.

Nec eum ſilentio involvit Lætus noſter lib. 4. rerum Danicarum, dum ejus memoriam his celebrat:

——*Sed omnes*
Qui virtute tulit numeros hominumq; favore

Enituit, ſolus felicibus Abſolon ortus
Extitit auſpiciis, Regum tutela, Deorum
Cultor, & in duris humana modeſtia rebus.

ᛅᛉ: In vetuſtioribus ſemper ᚢᛚ ex quo idiomatis mutationem vel tantillo temporis curriculo colligo.

ᛁᛋᛒᛁᛅᚱᚾ ᛘᚢᛚ. Et hic Esbernus Mule magnæ autoritatis vir, Nicolai filius, hiſtoriis noſtris decantatus ob autoritatem, prudentiam, ſingularemq; in Deum devotionem. Non mirum eum Abſolonis hic facere mentionem, ſiquidem is frater fuit Esberni Snare qui hujus Esberni avus. Ita enim ſe habet Genealogia:

Schialmo Huide
Tycho, Eber, Aſer, Suno
Abſolon Archiep. — Esbernus Snare
(Esbernus Snare:) Abſolon Bæg. — Johan. — Nicolaus Mule
(Nicolaus Mule:) Esbernus Mule.

Invenio in Genealogia Abſolonis, Martini Petrei, hunc Esbernum etiam cognomento dictum Sverting, quem vel hoc ſaxum æternitati commendat. Obiit v. is triginta uno annis poſt Abſolonē, anno videlicet Chriſti MCCCXXXII, quo anno è vivis etiam ſublat⁹ Woldemar⁹ III Princeps magnæ ſpei. De ejus obitu ita Joan. Iſaac. Pontanus vir Clariſsimus Hiſtor. Dan. lib. 6: *Fatalem præterea hunc annum habuere Esbernus Mulenius Nicolai filius, & Abſolon Bolligius ſummæ apud Regem autoritatis eques. Esberni cenotaphi-*

um

um Gothicis characteribus Saxò inciſum ſervat hodieq; cœmeterium Aaſhumenſe, quod eſt in territorio vulgò Gierſherrit *appellato.*

Aashumeum autem templum ab Abſolone conditum ab hoc verò Mullenio locupletatum ex his ſuſpicari licet, unde preces iſtæ piæ quibus epitaphium hoc conſtat.

De ætate conjecturam facili negotio quis fecerit, cum ab hoc anno MCCXXXII poſitum fuiſſe ab utriusq; amicis aut templi patronis res ipſa doceat, quo ævo noſtras has literas Runicas locum etiamnum in publicis Monumentis inveniſſe videmus, quamvis rariſsimè. Hoc enim ultimum ferme ex omnibus arbitror hujus generis.


Pagum hunc Aaſum etiam Saxonis noſtri monumentis nobilitatum invenimus. Libro namq; decimo poſtquam ſtratagema propoſuiſſet, quo Ulfo Suecus in Helga amne Danos decepiſſet, ac ſubmerſionis periculo expoſuiſſet, ſubjungit: *Rex lacu luſtrari juſſo merſorum corpora uncis & everriculis capta, apud Aſum contiguum amni oppidum, ſupremis procuravit officiis.* Tum igitur oppidum fuit præclarum, tot inſignium & fortiſsimorum militum ſepultura nobilitatum: quod jam fatali rerum viciſsitudine ad pagi mediocris redactum eſt anguſtias.

SEXTUM
ALRUMENSE.

NEc inter vetuſtiora recenſere poſſumus illud quod in Laudania Lugudeherrit in cœmeterio Alrumenſi extat. Salutationem enim angelicam noſtris exhibet literis, unà cum epitaphio ejus qui ſub ſaxo ſepulturam ſibi comparavit.

Tumbam tegit lapis planus ſic ſatis vetuſtate exeſus, ac in duas ſciſſus partes, quarum major præter inſcriptionis ſeriem crucis magnæ inſigni ornatur. Dum integer erat, figura conſpiciebatur quadrata, oblonga & plana, longitudinis tres ulnas cum una quarta obtinens, latitu-

titudinis unam cum dimidia. In circumferentia inſcriptionem hanc habet:



ᛆᚢᛂ. ᛘᛆRIᛆ. ᚠRᛆᛐIᛆ. ᚦᛆᛘIᚿᚢᛋ. ᛐᛂᚴᚢᛘ. BᛂᚿᛂᚦIᚴ-
ᛐᛆ. ᛐᚢ. Iᚿ. ᛘᚢᛚIᛂRIBᚢᛋ. ᛂᛐ. BᛂᚿᛂᚦIᚴᛐᚢᛋ. ᚠRᚢᚴᛐᚢᛋ.
ᚢᛂᚿᛐRIᛋ. ᛐᚢI. ᛆᛘᛂᚿ. ᚼᛂR. ᛚIᚵR. ᚼIᛚᚦᚢᛚᚠ. ᛋᚢIᚿ. ᛋᚢᚿ.
ᚢᚿᚦᛂR.

AVE MARIA GRATIA DOMINUS TECUM BENEDICTA TU IN MULIERIBUS ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI. AMEN.

Her ligr Hildulf Suin ſun under.

Poſteriora hujus ſunt ſenſus: HIC JACET HILDULF SVENONIS FILIUS.

Omnia ut clara & perſpicua, ita ſimplicitatem ejus ævi redolentia, quâ præclarè & vivis & mortuis ſalutatione angelica proſpectum putabant. Obſervanda interim hic veniunt:

I. In contextu angelicæ ſalutationis, omiſſam eſſe vocem PLENA, vel ſculptoris vel autoris incuria.

II. Cernere hic licet quo pacto literæ Runicæ ad alias, latinæ inprimis lingvæ, voces exprimendas ſint traductæ, qvibusq; notis eas quibus deſtituebantur literas expreſſerint. Hic enim pro C, ᚴ legitur in ᛐᛂᚴᚢᛘ, BᛂᚿᛂᚦIᚴᛐᚢᛋ & ᚠRᚢᚴᛐᚢᛋ.

III. ᛋᚢIᚿ

III. ᛋᚢᛁᚴ Suenonem indicat, quis verò hic fuerit Sueno aut qualis ejus filius Hildulphus, unà cum hiſtoriis noſtris, fama tacet.

SEPTIMUM
BIERGESOENSE I.

MAjorem præ ſe ferunt antiquitatem quæ in Biergeſøe provinciæ Jerweſtedsherrit dictæ, reperiũtur. Non procul Yſtadia ſitus hic pagus, in quo duo occurrũt Monumenta. Alterum muro cœmeterii orientaliori inſitum, ex lapide cõſtat rudi & impolito, quadrato fermè, longiori paulò quam latiori, in ſumitate aliquantulum ad rotunditatem inclinante. Qui ejus menſuram obſervarunt, ajunt in longitudine continere ulnas duas, in latitudine ulnam cum dimidia, facies literata ſic ſe habet. In triangulo æquilatero, cujus baſis, quæ de-



ſideratur, baſin ſaxi ſpectare debebat; apex verò faſtigium muri, notæ characterum diſcurrunt, à lateris ſiniſtri baſi, in

apicem, & hinc rurſus per dextrum latus in baſin ejusdem. Stylus quidem Laconicus ſed qui priſcam redolet ſimplicitatem, & lineamenta exhibet ſine difficultate in ſenſus ſe ingerentia.

ᛉᚼᛚ. ᛋᛅᛏᛁ. ᛋᛏᛅᛁᚿ. ᛅᚢᚠᛏᛁᛦ. ᛅᚢᛚᚠᚢᚿ.

Keli ſeti ſtein euftir Aulfun.

CHILIANUS LAPIDEM IN MEMORIAM ALFINI POSUIT.

Certum eſt aliunde tranſlatum eſſe hoc monumentum, ut una cum aliis muro cœmeterii exſtruendi inſerviret; ſed accolarum nemo eſt qui meminiſſe queat ubi olim ſteterit; forſan in colle, ex quo alter erutus, de quo mox ſermo erit, quiq; eodem in pago reperitur.

ᛉᚼᛚ Chilianum verti, quem jam **Kiel** per unius literæ vocamus metatheſin.

ᛅᚢᛚᚠᚢᚿ proximè ad Alfini accedit vocem, niſi quis Olaum interpretetur. Olim ᛅᚢᛚᚠᛦ.

OCTAVUM
BIERGESOENSE II.

Alterum in eodem pago viſitur ſepem horti cujusdam claudens, juxta viam quâ Gundersleviam itur. De quo certum quod primitus in colle vicino ſteterit, atq; inde ad hunc locum à Conſulis cujuſdam Ydſtadienſis villico tranſlatum, patrum memoria fuerit; ſed haud impunè. Sanitate enim corporis mulctatus, miſeram ex eo tranſegit vitam, ut conſtans omnium fert relatio. Exemplo ſuo docens, haud temerè patrum (etiam ethnicorum benè meritorum) violanda eſſe monumenta, magnis ſumptibus & pio Zelo æternitati conſecrata. Cippus ipſe figura pyramidem refert apice acuminato, longitudine ulnarum trium, latitudine unius cum dimidia. Hujus inſcriptionis:

ᚴᛅᛉᛁ



ᚭᛡᚴᛁ. ᛋᛆᛁᛏᛁ. ᛋᛏᛆᛁᚿ. ᚦᛆᚿᛋᛁ. ᛆᚠᛏᛁᛦ. ᚢᛚᚠ. ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ. ᛋᛁᚿ. ᚼᛆᚱᚦᛆ. ᚠᚢᚦᛆᚿ. ᛏᚱᚢᚠ.

Ohgi ſeiti ſtein denſi eftir Vlf Brudur ſin herde Guden trug.

OHGI LAPIDEM HUNC ULFONI FRATRI SUO POSUIT, DIIS FIDO.

ᚦᛆᚿᛋᛁ duplici modo explicari poteſt, ut vel notet hunc, ſc. lapidem, vel tumulum qui Dyſze & donſi antiquitus dicebatur, ut ſenſꝰ ſit: lapideum tumulum fabricaſſe Oghum. Sed prior magis arridet opinio, quam confirmare videtur vox ᛋᛆᛁᛏᛁ. Lapides enim poni, tumuli fieri aut erigi dicuntur. In Trygveldenſi eſt ᚠᛆᚱᚦᛁ.


ᚼᛆᚱᚦᛁ ᚠᚢᚦᛆᚿ &c. Quis horum ſit ſenſus fateor me certò aſſequi non poſſe. An ᚼᛆᚱᚦᛆ hic Dominum notet, an ᚠᚢᚦᛆᚿ Deum vel bonum, an ᛏᚱᚢᚠ Tryg ſeu fidum, alii æſtiment. Ego ad Ulfonem retuli; quaſi indicet eum demortuum jam & tumulatum, Deorum cuſtodiæ traditum ab o-

mni malo tutum eſſe, ut olim fidus iis erat. Vide monumentum decimum quartum hujus libri, ubi pluribus de hac formula diſſeruimus. Saxonem enim omnium optime explicaſſe reor, cum *Fidiſſimum Deorum arbitrum* interpretatur.

Vox ᚼᛁᚱᚦᛁ etiam exercitum notat, ut & hunc inde quis collegerit ſenſum, quaſi exercitui, cui præfuerit, fidus ſit inventus. Vel, ſi lubet, collige eum in Idolorum obiiſſe cultu ac noluiſſe veri Dei agnitionem admittere, unde Diis ſuis fidus ſit habitus, alias ejusmodi & ejusdem ſenſus formulas, vide in Monumentis huj⁹ libri X, XIV, XVI, & ſequentis VI. Quidam vocem ᛏᚱᚢᚠ explicant propter, ut ſenſus ſit, propter Deos, vel Deorum ergò, ſcilicet ut pietatem ſuam in Deos oſtenderent, planè eo ſenſu quo extat in Neopolitana inſcriptione PIETATIS CAUSA. Et in illa:

M. VINICIO. P. F.
POST MORTEM.
MUNICIPES SUI
ÆRE CONFLATO
PIETATIS CAUSA
POSUERUNT.

NONUM
HOBYENSE.



IN tractu Ingelliorum vel Ingelſtadenſi, non procul à portu Cimbrico, pagus extat Hoby/ in hujus cœmeterio ſepul-

crum

crum quoddam lapide tegitur quadrato, oblongo tamen, & elevato aliquantum, ex genere eorum qui ex Gothlandia adferri ſolent, politior quam vulgares. Hic limbos duos juxta longitudinem excurrentes Runicis literis exornatos obtinet, inſcriptionem eamq; latinam in modum ſupra propoſitum exhibentes.

ᛆᚿᛁᛘᛆ: ᚠᛆᛘᚢᛚᛁ: ᛑᚢᛁ: ᛒᛂᚿᛂᛑᛁᚴᛏᛁ: ᛏᛂᚴᚢᛘ: ᛋᛁᚿᛂ ᚠᛁᚿᛂ: ᚱᛂᚠᚢᛁᛂᛋᚠᛆᛑ: ᛁᚿ: ᛒᛆᛋᛂ: ᛆᛘᛂᚿ.

ANIMA FAMULI TUI BENEDICTI, TECUM SINE FINE REQVIESCAT IN PACE AMEN.


ᚠᛆᛘᚢᛚ, quidam legunt ᚠᛆᛘᚢᛚᛆ ita ut ultima nota Æ diphthongum exprimat, & pari modo in ᛑᚢᛁ, arbitrantes fœminam eſſe quæ hic ſepulturæ tradita.

ᛒᛂᚿᛂᛑᛁᚴᛑᛁ alii ᛒᛂᚿᛂᛑᛁᚴᛑᛆ, quod ſi prius obtinet, vel proprium eſſe poteſt ejus qui hic tegitur Benedicti, vel appellativum ad famulum referendum: quod ſi poſterius, etiam tam proprium (modo ultima diphthongus) quam animæ adjectivum eſſe poteſt. Obſervanda in hac voce nota quæ D exprimit, hæc ᛑ nempe, diverſa à ᚦ ejusdem valoris.

ᚱᛂᚠᚢᛁᛂᛋᚠᛆᛑ In hac voce nota literam ᚠ adhibitam eſſe ad duas diverſas literas denotandas, differentes à genuina poteſtate; in eadem namq; voce ᚱᛂᚠᚢᛁᛂᛋᚠᛆᛑ & Q & C notat.

DECIMUM
KIŌBINGENSE.

IN tractu eodem, ſed oppido **Kiöbing**, ſaxum rude & planum januam orientalem cœmeterii fulcit, longitudine ulnarum quatuor, latitudine duarum, quod aliunde tranſlatum eſſe in hoſce uſus dubium nullum eſt, ſed quemnam antea occupaverit locum nemo eſt qui hactenus docere potuerit. Orientem ſpectans lineamentis dotatum latus, ita ſe habet.



ᚢRIᛋᛏR. ᛋᚢᚴ. ᛅᚢᚴ. ᛘᛅᛏI. ᛋᚢᚴ. RIᛋᚦᚢ. ᛋᛏIᚴ. ᚦII-ᛋI. ᚢᚠᛏ. ᛁBᛁ. ᚴᚢᛚᛁᚴ. ᛋᚢᚴ. ᛅRᚢᚴ. ᚴᚢᚦᛁᚴ.

Vriſter ſun aug Meti ſun riſtu ſtin diiſi uft Ebe Guleg ſun trug Guden.

FILIVS VRISTER ET FILIVS METTÆ HUNC LAPIDEM POSUERUNT EBONI FILIO GVLEG, DIIS FIDO.

ᚢRIᛋᛏR ᛋᚢᚴ an duo fuerint qui lapidem hunc poni curarunt, an verò unus dubitari poteſt. ᛘᛅᛏI namq; convenit cum Metta quod fœminæ nomen, ut dubium ſit an Uriſter patris, Meti v. matris ſit nomen, filii iſtius qui nomine non exprimitur: ſed hac ſaltim periphraſi innuitur. Verum probabiliꝰ autumo, duos fuiſſe, cum nondum exemplum viderim, in quo & patris & matris nomen exprimatur. Indicare idem videtur vox RIᛋᚦᚢ quæ pluralis, cujus ſingulare RIᛋᚦI: pluralia namq; in ᚢ terminari vel ex ſequenti patebit ubi ᛋᛁᚢᛏᚢ etiam plurale. Quod verò à parentibus hi

deſcri-

deſcribantur, forſan factum, quod illi celebriores quam hi, vel qvod autor peculiarem in hoc loquendi genere eleganti-am ſitam exiſtimaverit.

ᛆᚱᚢᛘ ᚠᚢᚦᛯ eadem fermè loqvendi formula, quæ ſu-pra in monumento octavo extat; conjecturæ ſi quid dandũ, necdum inveni quod melius quadret quam illud quod ſu-pra adduxi. Arbitrari qvoq; qvis poſſet, hoſce qui talibus or-nati encomiis ſunt, ſacerdotes & Divorum officiis peculiari-ter addictos fuiſſe, idq; titulis hiſce eos expreſſum voluiſſe.

UNDECIMUM
SCORBYENSE.



IN Linuſia Lunitzherrit tria extare viſa digna Monumenta com-

comperi, ac primum quidem in prato inter Skorby & Guſnabe/ quod jam disjectum, olim tamen elevato ſitu conſpiciebatur, longitudine trium ulnarum, latitudine unius cum dimidia. Præter limbum literis exornatum etiam verſus apicem literas exhibet, quarum ſenſum aſſequi nondum datum cum depravatè deſcriptas acceperimus. Lupi effigiem ſculpturâ inferior exhibet. Inſcriptio hæc eſt, figura ſupra propoſita.

ᛘᛁᚢᛚᚠᚱ. ᛅᚢᚴ. ᛅᚢᛏᛁᚱ. ᚦᛁᛅ. ᛋᛅᛏᚢ. ᛋᛏᛁᚾ. ᚦᛁᛅᛋᛁ. ᛅᚠᛏᛁᚱ. ᛏᚢᚠᛁ. ᛋᚢᚾ. ᛋᛁᚾ.

Keulfr aug Autir der ſeutu ſtin deeſi eſtir Tuſi ſun ſin.

KEULFR ET AUTIR HUNC POSUERUNT LAPIDEM IN MEMORIAM FILII SUI TUFI.

Quidam ᚴᛅᛚᛏᚿ legunt Geltnn vel Galtnn vel Galto, ᛅ namq; A & E valore æquipollet, ſic ᚿ vel duplex N vel O denotat; ſed *Keulfr* (forſan Chilianum, jam Kield) habent qui accuratius ſaxum ſunt rimati.

ᛅᚢᛏᛁᚱ quamvis videatur *eſtir* ſignificare; tamen proprium hic eſſe ſatis indicat tum ſenſus, tum vox ᛋᛅᛏᚢ pluralis, quæ ponere, ſeu at ſette notat, tum quod mox ſequatur ᛅᚠᛏᛁᚱ non per ᚢ, ſed per ᚠ expreſſum.

Peculiare quid ſculptura nobis exhibet; ex magna namq; familia & generoſa proſapia hunc Tufum ortum fuiſſe, Lupum denotare credo, bellicâ virtute, ſine dubio, acquiſitam oſtentans imaginem, an Ulfſtandorum attingat proſapiam aliis inquirendum relinquo.


Quæ circa apicem ſaxi conſpiciuntur reddi quidem totidem Romanis poſſunt, at ſenſum ex iis non facile quis elicuerit. Sunt autem hæ:

ᚦᛁᛋ. ᛋᚼᛅᛒ. ᛁᛅ. ᛚᛁ. ᛘᚢ.
DIS SHEB IE LI MU.

Duode-

DUODECIMUM
SIŒRUPIENSE.

MOnumētum ſecundum in hoc tractu non procul à templo Siórupienſi diſtat, in rivo quodam in quo hoc ſaxum aliis aptarunt ut pedeſtri itinere venientibus, pontis vices ſuſtineret. Longitudine eſt ulnarum trium cum dimidia,



latitudine duarum. Propè hunc locum collis viſitur, in quo olim hoc poſitum fuiſſe ſaxum ferunt accolæ, forſan locum obtinuit inter reliqua quæ in monumento vicino Hóneſta-

denſe extant, mentio enim in eo fit Esberni & Tufæ, de quibus etiam teſtantur inſcriptiones reliquæ ejus loci.

ᛋᛅᚴᛋᛁ: ᛋᛆᛏᛁ: ᛋᛏᛁᚿ: ᚦᛆᛋᛁ: ᚼᚢᚠᛏᛁᛦ: ᛅᛋᛒᛁᚢᚱᚴ: ᛋᛁᚴ: ᚠᛁᛚᛅᚠᛅ: ᛏᚢᚠᛅᛋ: ᛋᚢᚴ: ᛋᛆᛘ: ᚠᚬᛏᚢ: ᚼᚠᛁ: ᛅᛏ: ᚢᛒ:ᛋᛅᛚᚢᛘ: ᛅᚿᚢᛅ: ᛘᛅᚦᚼᚴ: ᚢᛅᛒᚴ: ᚼᚠᚦᛁ.

Sagſi ſeti ſtin deſi euftir Osbiurn ſin filaga Tufas ſun ſem fòtu egi at Vpſalum Anua maden Vabn efdi.

SAXO LAPIDEM HUNC POSUIT ESBERNO SOCIO SUO, TUFÆ FILIO, QVEM EGO UPSALIÆ ENUTRIVI: ANVA INSIGNIA ET ORNAMENTA ADDIDIT.

ᛋᛅᚴᛋᛁ, jam Sachſe, Latinis Saxo; quod vel Grammatici & Hiſtorici noſtri meritis nobilitatum, quia verò Literatura noſtra duplicibus dictis literis deſtituitur loco X ponitur ᚴ & ᛋ.

ᛅᛋᛒᛁᚢᚱᚴ jam Eſbern/Esbernus, cujus nomen in ſeqventi monumento bis extat; ſed hic illius videtur fuiſſe nepos ejusdem nominis. Pro ᛅ hic poſitum ᚬ ut & in ᚠᚬᛏᚢ; utroq; enim modo ſculptum in monumentis invenio.

ᚠᛁᛚᛅᚠᛅ comitem ac ſocium in bello fuiſſe arbitror, à verbo Jeg følger. Eandem vocem in Arhuſienſi tertio invenio, ſed literis paululum mutatis ᚠᛆᛚᛅᚠᛅ. Sic in hiſtoria Canuti Regis M.S. priſco noſtro idiomate ᚦᛅ ᛉᚼᛘᛁ ᚦᛅᚱᚦᚢᛆ ᛋᛉᛅᚱᛁ ᚢᛁᚦ ᛏᛅᛚᛅᛆ ᚢᚼᚱᛒᛁᛚᚠᛁᛅᛚᛅᚠᛅᛋ ᛁᚴ. Tunc dixit Thoro Skori ad Tolarum Verpil ſocium ſuum. Hinc derivatum ᚠᛁᚼᛚᛅᚠᛋᛉᛅᛒ ſocietas in hiſtoria Suenonis Eſtritii: ᚦᚼᚱ ᛋᚢᚼᛁᚱᚴ ᛅᚠ ᚻᛅᚱᛅᛚᚦᚢᛆ ᚠᛁᛅᚱᚦᚢ ᚠᛁᚼᛚᛅᚠᛋᛉᛅᛒ ᛋᛁᚴ, ubi ſocietatem iniiſſent Sueno & Haraldus. Deductum videtur à ᚠᛁᚼ, quod bona, pecuniam, facultates notat, & ᛚᛅᚠ quod contributionem: illi enim qui ſocietatem ineunt, bona ſua in commune conferre ſolent, ut qvicquid aggrediantur, communibus fiat ſumptibus.

ᛏᚢᚠᛅᛋ ſuſpicari datur Esbernum hunc filium fuiſſe iſtius Tufæ cui ſupra monumentum poſuerunt fratres. Tufæ cujusdam meminit Ricobaldus Ferrarienſis in Pomœrio Ec-

clesiæ

cleſiæ Ravennatis, de Theodorico Rege Gothorum agens. Qvendam enim ejus nominis fuiſſe ait in Odoacri exercitu, qui aliis qui ſe Theodorico dediderunt autor erat ut ad Odoacrum redirent. *Paucis injectis diebus, rurſus deditivus exercitus Tuffa quodam nomine inſtigante, Odoacris partibus ſe tradidit*, inquit. Patet igitur Tuffæ nomen tunc temporis, circa annum Chriſti CCCCLXXVIII, urbis verò conditæ MCCXXVIII, (ut computat idem autor) Gothis in Italia exiſtentibus familiare fuiſſe.

ᛋᛏᛅ legendum arbitror ᛋᛏᛉ Som.

ᚠᚬᛏ *Fótu* enutrivi à verbo jeg føder. Obſervandum venit literam ᚬ quæ nativa ſua indole O refert, hîc diphthongum Danis propriam ø exprimere, & contractionem hic eſſe duarum literarum ᛁ & ᚢ.

ᚢᛒᛋᛅᛚᚢᛉ Upſaliæ in Suecia educatum eum fuiſſe innuere videtur, alium certè horum non invenio ſenſum, conjungimus jam voces quæ olim ſeparatæ, ab Ubbone enim & aula denominatam volunt Ubſaliam.

ᛅᚴᚢᛅ arbitror nomen eſſe proprium cujusdam, qui in hoc Monumento exſtruendo ſymbolam contulit, inſignia aliaq; ornamenta ad inferias ſpectantia ſuppeditando.

DECIMUM TERTIUM
HUNESTADENSE.

ELegans & præclarum eſt quod propè Huneſtadium viſitur, ex octo conſpicuis & grandibus confectum ſaxis, quorum duo characteres obtinent Runicos elegantes, ac alterum quidem eorum, cum adjunctâ muliebris ſexus effigie. Tria deinde urſæ, equitis & Lupi monſtroſas oſtendunt imagines ex intricatis plexibus confectas, tria reliqua ſine ullis ſunt lineamentis: ex quibus duo erecta adhuc viſuntur, ſed duo collapſa. Spectatu dignum monumentum. Rudera aulæ aut Regiæ cujusdam propè conſpiciuntur, qualis autem fuerit, à quibus aut exſtructa aut devaſtata non memorant ac-

colæ. Inſignem ac celebrem familiam hic vixiſſe ex relictis colligere datur. Ad Monumentum ipſum ut accedamus; primum ejus ſaxum longitudine eſt trium ulnarum, latitudine duarum, conum habens obtuſum, fermè ſemicircularem; quà Boream ſpectat planius, limbos literatos duos in ſummitate circulariter incurvatos & ambitu ſuo effigiem fœminæ, ut videtur chlamidatæ, caſsidem in capite & ſecurim humero dextro geſtantis, cingentes.



ᚭᛋᛒᚢᚱᚾ. ᛆᚢᚴ. ᛏᚢᛘᛁ. ᚦᛁᛆ. ᛋᛁᚢᛏᚢ. ᛋᛏᛆᛁᚾ. ᚦᛁᚾᛋᛁ. ᛁᚠ-ᛏᛁᛆ. ᚱᚢᛁ. ᛆᚢᚴ. ᛚᛁᛁᚴᚠᚱᚢᚦ. ᛋᚢᚾᚢ. ᚴᚢᚾᚢ. ᚼᛁᚾᛏᛁᛆ.

Oſburn aug Tume deir ſeutu ſtain denſi eftir Rui aug Leigfrud ſunu kunu henter.

ESBERNUS ET TUME LAPIDEM HUNC POSUERUNT RUI ET LEIGFRUD NURUI SUÆ.

ᚭᛋ.

ᛅᛋᛒᚢᚱᛁ in altero lapide ᛅᛋᛒᚢᚱᛅ, Esbernus, cujus nominis complures in Dania extitêre viri magni, & rebus preclarè geſtis celebres, inter eos Esbernus Mule de quo ſupra in Aſumenſi monumento, Esbernus item Snare de præclara Hvidorum familia. Sed an horum quisquam hic inſinuetur certò affirmare nequeo. Ad priorem certè mens inclinat.

ᛏᚢᛘᛁ etiam Esberni fuit nurus, ut lapidis ſecundi docet inſcriptio, quæ ᛏᚢᛘᛅ habet, ſed Sórupenſe ᛏᚢᚠᛅ, an Tuve modernum? Saxo in principio libri octavi meminit cujusdam Tummi *velificatoris*, qui ſub ducibus Hetta & Viſna ſtrenuam operam Haraldo in bello Bravico locaverat. An hic fuerit de quo monumentum præſens loquitur, aliis conſiderandum relinquo. Ipſe valdè dubito, ſiquidem non tam viri qvam fœminæ appellatio hoc in loco eſſe videatur. Interim verba Saxonis adducam, quæ ita ſonant: *Sub Hetta Viſnaq; ducibus* Tummi *velificator exceſſerat, quarum muliebri corpori, natura virilem animum erogavit.*

ᛋᛅᚢᛏᚢ poſuerunt plurale pro ſette/ cujus ſingulare ᛋᛅ-ᛏᛁ exhibet lapis ſequens.

Hominis cum ſecuri huic primo lapidi inſculpta effigies, priſcum noſtrarum Amazonum mihi exprimere videtur habitum, de quibus in hunc modum diſſerit Saxo noſter lib. VII: *Fuêre quondam apud Danos fœminæ, quæ formam ſuam in virilem habitum convertentes, omnia penè temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis nervos luxuriæ contagione hæbetari paterentur, ſiquidem delicatum vivendi genus peroſæ, corpus animumq; patientia & labore durare ſolebant, totamq; fœmineæ levitatis mollitiem abdicantes, muliebre ingenium virili uti ſævitia cogebant. Sed tanta cura rei militaris notitiam captabant, ut fœminas exuiſſe quivis putaret, præcipue verò quibus aut ingenii vigor, aut decora corporum proceritas erat, id vitæ genus incedere conſueverant. Hæ ergo perindè ac nativæ conditionis immemores, rigoremq; blanditiis anteferentes bella pro baſiis intentabant, ſangvinemq; non oſcula delibantes, armorum potius quam amorum officia frequentabant, manusq; quas in telas aptare debuerant, telorum obſequiis exhibebant, ut jam non*

lecto ſed letho ſtudentes, ſpiculis appeterent, quos muliere ſpecie potuiſſent: Hæc Saxo. Forſan hac imagine Leifrudum ex eo cenſu olim fuiſſe denotare voluerunt.

Alter lapis inſcriptionem oſtentans, circa baſin latior, & appendice quaſi dotatus, circa ſumitatem magis ad figuram accedit rotundam, ambitu lineari in ſe parum recurrente & crucis figura exornatus, altitudine trium ulnarum & latitudine pari. Hujus literæ etiam Boream ſpectant in hunc modum exaratæ.

ᛅᛋᛒᚢᚱᚾ. ᛋᛅᛏᛁ. ᛋᛏᛅᛁᚾ. ᚦᛅᚾᛋᛁ. ᛅᚠᛏᛁᚱ. ᛏᚢᛘᛅ. ᛋᚢᚾ. ᚴᚢᚾᚢ. ᚼᛅᚾᛏᛅᚱ.

Asburn ſeti ſtain denſi eftir Tuma, ſun kunu henter.

ESBERNUS LAPIDEM HUNC POSUIT NURUI SUÆ TUMÆ.

Hinc apparet Tumam hanc de qua ſupra etiam, nurum fuiſſe Esberni, ac lapidem hunc poſt priorem poſitum & characteribus inſignitum, adeoq; hoc monumentum ex eorum eſſe genere, quæ integræ familiæ deſtinantur. Ex poſitis hanc cognationis & affinitatis ſeriem colligere licet.

Esbernus

N. — Rui.

Tuma — Leifrud.

Esbernus Siorupenſis.

ᚦᛅᚾᛋᛁ quidam Dyſſe explicant pro Tumulo: at hoc loco pronomen eſſe demonſtrativum utrobiq; apparet, cum unicus ſit tumulus in quo diverſi lapides.

ᛋᚢᚾ ᚴᚢᚾᚢ filii uxorem ſeu Nurum indicat.

Lapis tertius ſtelæ aut columnæ fert faciem, tenuiori ſui parte ſurſum ſpectans; ulnas tres altus, unam cum ſemiſſe, qua latior, latus, omni carens ornamento ſculptili.

Quartus verò erectus etiam, ſed ulna minor quò ad alti-

altitudinem, latitudinis ejusdem: parte borealiore, equitem habet tunica talari indutum monſtroſo animali inſidentem, ſiniſtra habenas tenentem, dextra varios & intricatos plexus, ſaxi apicem perreptantes. Magnum certè & altum quid ſapit, cum in aliis inſculpta inſignia ejusmodi rariſsimè inveniantur.

In qvinto, (qui temporum injuria collapſus, duarum cum ſemiſſe eſt ulnarum, latitudine unius cum ſemiſſe) monſtroſus conſpicitur urſus, poſterioribus inſiſtens pedibus, rictu quaſi intricatis quibusdam in orbem plexib9 inhiantem.

Sextus Draconem criſtatum ex variis conflatum lineis, arte oſtentat haud vulgari, cujus Hieroglyphicum ſenſum ex Ægyptiorum Literatura venari quidem licet; ſed an majorum noſtrorum decretis conſonum, haud facile dixero. Præfectos militum ut & cohortes, qvare per draconem notaverint veteres, vide apud Pierium Hieroglyph. lib. 15. Pſalmo 74 id indicaſſe videtur Regius Propheta David, ubi per *draconum capita in aquis contrita* milites, duces & centuriones Pharaonis intelligit. Mihi haud diſplicet illud qvod notat Aldrovandus Ornithologiæ lib. X. de Hieroglyphicis Gripis: *Sepulti animum aut naturam talem fuiſſe, cujusmodi eſt illud quod appictum videtur. Nempè ſi ovem vel agnum ſepulchrum inſculptum habeat, intelligas hominem ferocitate demolita, manſuetudinem amplexatum: ſi taurum temperantiam, ſi angvem prudentiam, vel quid hujusmodi pro ut animalis quod detentum fuerit ſignificatum exiget.*

In ſeptimo & octavo, ductus nulli nullæq; lineaturæ: diſjecti & ad latera collapſi, rudiores omnes, formæq; neglectæ.

Quod de ætate hujus monumenti addam, non habeo: ab aliis erudiri paratus.

QVia verò Osburni & Asburni nomen, in duobus hiſce monumentis illuſtre, occaſionem mihi præbuit illa quæ huc ſpectant, Viro Nobiliſsimo Domino Petro Osburno Eqviti Anglo, ad petitionem Nobiliſsimi Dn. Henrici Spelman, amici mei honoratiſsimi communicandi; qvæ inter nos hac de re acta, (cum ad horum monumentorum enodatio-

tionem haud parum faciant) hic ſubjungam. Anno MDCXXXVIII, menſe Auguſto, inter reliqua hæc ad me ſcripſit eruditiſsimus Dn. Spelmannus.

Contendit hic à me, quidam Eques nobilis, & in fiſco Regio ampliſsimæ eminentiæ, Dominus Petrus Osburn, ut mea interceſsione, tuam referat ſententiam in his quæ mittit quæſtionibus. Dignus quidem eſt ut ei ſatisfacias & ſuo nomine vehementer rogo.

Quæſtiones ſeparata in charta conſignatæ hæ erant:

Olaus Wormius in ſuo libro de Literatura Runica cap.28. pag. 168 inter alia Gothica vel Danica nomina, quæ (ut ibidem dicit) ſunt antiqua & ſignificantia, hæc habet, quæ ſunt nomina familiarum apud nos in Anglia, & videntur inde eſſe deducta.

Alf, Lother, Olafr, Orm, Osbiurn, Rolf, Rudl, Skibern, Svein, Tuke, Tume, Ulf.

Rogo hanc gratiam, ut intelligam derivationem eorum, & quam habent ſignificationem, ac ſimiliter an apud illos etiam in cognomina abierint, ſicut & apud nos in Anglia.

Inter nomina Poëtarum, quos vocat ille Scaldros invenio Thorbiornum, Thorbernum, Halbiorn, Biorno, quæ videntur aliquam habere affinitatem in derivatione cum Osburno. In hoc maximè cupio intelligere, rectanè ſit conjectura mea.

Si fortè apud ſe habet exemplar antiqui alicujus monumenti, cui inſcriptum nomen Osbiurni, cupio hanc cum eo inire gratiam, ut ad me mittat transſcriptum, unà cum interpretatione.

Hiſce Nobiliſsimi Domini Osbiurni quæſitis anno ſequenti in hunc modum reſpondi.

HOrtatu ampliſsimi viri Domini Henrici Spelman, amici mei honoratiſsimi, quæſitis Nobiliſsimi Domini Petri Osbiurni reſpondere lubens tentabo: non quod ſperem me omni ex parte ejus voluntati ſatisfacere poſſe, ſed

ut animum amicis inſerviendi promptum ac facilem agnoſcat, meisq; conatibus porrò favoris ſui aura aſpirare non deſinat. Si quando à recto tramite exorbitaſſe me viderit; id rei difficultati & obliteratæ ferè antiquitatis in lucem denuo revocandæ tenebris ut adſcribat rogo. Ne verò quicquam intentatum relinquam, ſingula eo quo mihi propoſita ordine, repetam, momenta expendam, quidque noſtris antiquitatibus conſonum de iis dici poſsit notabo. Quin cuncta in meliorem partem interpretaturus ſit Nobiliſsimus Dominus nullus ambigo.

Primo ait me cap. 28 *Literaturæ* Runicæ pag. 168 *inter alia Gothica vel Danica nomina quæ ſunt antiqua & ſignificantia habere ſequentia quæ ſunt nomina familiarum in Anglia, & inde videntur deducta.*

Verba Literaturæ ex quibus hæc collegit Nobiliſsimus Osburnus, citata pagina ita habent: Extant adhuc veſtigia (nominum propriorum) à magnanimitate, ſervitio, urſis, feris, propugnaculis aliisq; rebus deſumtorum &c. Quorum non ea eſt ſententia: omnia nomina propria antiqua ejus eſſe generis, imò nec ea omnia quæ ibidem recenſentur, ſed eorum quamplurima. Multa enim caſu impoſita, multa pro arbitrio parentum, quorum ratio reddi jam nulla poteſt; multa verò ſignificãtia ſunt, quod mox in exemplis, quorum enucleationem flagitat Nobiliſsimus Dominus, oſtendendum. Cæterum quod familiarum in Anglia nomina, à quibusdam noſtratium ſint deducta, dubitare is neutiquam poteſt, qui commune quod diu habuimus imperium, noſtratium eo delatorum cum Anglis conjugia, affinitates & commercia ex hiſtoria utriusq; gentis diligentius collegerit. In eadem igitur cum Domino Osburno plane ſum opinione. Demonſtrare id quodammodo tentavit veſtras Richardus Verſtegan in ſuis antiquitatibus pag. 303, ſed eo usq; non penetravit, antiquitatum noſtrarum & documentorum ut arbitror, penu-

ria. Et, quis quæſo ſibi perſuaſerit tot annorum decurſu ex quo Dani Angliam invaſerunt, eámq; ſuo ſub imperio tenuerunt, eos plures familiarum ſuarum poſt ſe non reliquiſſe notas, quam quas ille recenſet? Rectiſsimè igitur judicat vir Nobiliſsimus, quas proponit familias noſtris gaudentes nominibus, hinc eſſe deductas. Illas igitur ordine contemplemur.

II. *Alf. Doral, Lother, Olafr, Orm, Osbiurn, Rolf, Rudl, Skibern, Svein, Tucke, Tume, Ulf.*

ALF. Priſcum fuit nomen magnatum apud nos proprium, ſed ex eorum genere, quæ primitiva cenſemus, quæq; aliam nullam apud nos obtinent ſignificationem. Saxo hiſtoriæ Danicæ ſcriptor celeberrimus libro V refert quendam hujus nominis in Hetmarchia imperium obtinuiſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Eodem tempore regnabat Alf in Hetmarchia, filium habens Aſmundum.* Mox Biornonis cujusdam fit mentio, de quo plura in Osbiurno. Patet igitur hinc vetuſtiſsimum fuiſſe nomen in ſeptentrionali plaga. Libro VII Regi Sigaro Dano filius fuit *Alf* nomine, *cæteris animo formaq; præſtantior*, ut inquit idem Saxo, qui pluribus ejus venuſtatem & res geſtas perſequitur ibidem. Libro VIII etiam Alfi Aggi filii fit mentio. Ut dubitare nemo valeat, quin uſitatiſsimum apud nos exſtiterit nomen: ſed proprium & primitivum, cujus ratio reddi vix poteſt.

DORAL etiam ex vetuſtioribus eſt nominibus propriis: ſed alterius cenſus, compoſitum ex Thor & al. Qvod ut melius capias, obſerva quæ citato à te capite Literaturæ meæ ad nomina à D incipientia notavi: plæraq; nempe quæ initialem Þ habent antiquitus per Th prolata. Quod factum quia Þ litera priſca quandoq; D latina, qvandoq; Th exprimenda. Pro Doral igitur Thoral efferendum. Thor verò inter Deos ſeptentrionales primatum obtinebat, ut ex Saxonis libro I conſtat. Ab eo itaq; denominationem ſortiri, magnæ laudis olim erat. Hinc variæ de-

ductæ,

ductæ, non ſolum virorum, ſed & mulierum appellationes, ut *Thora*, *Thorilda* apud eundem noſtrum Hiſtoricum libro citato, quod ignem ſeu flammam amoris Thori notat. *Thoraldus* ibidem, quaſi totum Thoro devotum dicas. *Al* namq; totum notat, & particula eſt perfectionis, ut docuimus Literaturæ noſtræ cap. 3. *Thorbiorn* urſa Thori: pro quo jam *Thorbernum* dicunt. *Thorkild*, Thoronis fons, aliaq; ejus generis infinita ex Thoro & adjunctis compoſita. *Doral* igitur ſeu *Thoral* plane Thoro Deo devotum notat; quod ut olim proprium frequentiſsimum, ita jam apud vos in cognomen degeneraſſe nil mirum.

LOTHER primitivum mihi videtur & Regibus noſtratibus familiare, ut ex toties citato conſtat Saxone, niſi quis derivare velit à *Loth* quod ſortem & *Er* quod honorem notat: quaſi honoratam ſortem vocares.

OLAFR plane proprium primitivum, nobis etiamnum in frequentiſsimo uſu. Latinè per Olaum exprimunt, Olonem quibusdam in locis Saxo vocat.

ORM appellativè Vermem notat, interim proprium fuiſſe tam apud noſtrates, qvam apud Britannos ſeu Anglos Saxo docet. Lib. XIV Ormonem memorat Norvegum, qvem Regis germanum cognominabant. Lib. VII Haraldum ſibi qvendam in Britannia Orm cognomento Brittannicum adſciviſſe refert, & eundem hunc mox in principio libri ſeqventis *Orm Anglicum* vocare videtur, ubi inqvit: *His agglomerantur Orm Anglicus, Vbbo Freſicus.* Ut dubitem an à Danis ad Brittannos, an à Brittannis ad Danos hoc nomen defluxerit; qvanqvam prius magis arrideat, quod vox ſit apud nos ſignificativa. Hoc manifeſtè in cognomen degeneravit: ita enim me totamq; meam familiam, aliosq; apud nos cognominat, licet vulgo ſcribatur Worm ad Germanicam prolationem (qvam nimis affectant noſtrates) habito reſpectu, qvâ etiam delectati ſunt majores mei.

OSBIURN quaſi Oisbiurn compoſitum ex *Os* vel *Ou*,

 quod

quod oſtium fluminis vel ſinum maris notat, ut & literam O, vide Literaturam Runicam cap. 19. pag. 109. 138, & *Biurn* qvod Urſum indicat. Eſt igitur Osbiurn Urſus fluminum vel maris; ſeu is qui in bellis maritimis fortem ac ſtrenuum ut urſus ſe præbeat. Vox hæc *Biurn* primitiva qvamplurima de ſe produxit compoſita, ut *Osbiurn*, *Skibiurn*, *Thorbiurn*, *Halfbiurn*, aliaq; qvamplurima. Cæterum qvem Osbiurn veteres dixerunt, jam Esbernum vocant Romanorum mollitiei ſtudentes. Sed de Osbiurno plura in monumentis, qvia ex profeſſo hoc agitur.

ROLF proprium primitivum, nullius, qvod ſciam, ſignificationis appellativæ, licet hoc titulo gaviſi ſint Reges Daniæ, ut ex ſecundo & tertio libro Saxonis conſtat: jam Rudolphum malunt.

De RUDL aliud non habeo qvod dicam, ſignificativũ enim non eſt, ſed pro arbitratu vocantis impoſitum.

SKIBERN ſeu Skibiurn ex Biorno & Skib compoſitum, ut ſupra monui; Skib navem Biurn urſum denotante. Eum ita vocarunt qvi in navibus aut prælio navali hoſtes haud ſecus aggrediebatur, ac urſus venatorem aut prædam aliam.

SVEIN primitivum & ſimplex, appellative juvenem præclarum, exercitatum & induſtrium ſignificat, qui tyrocinii annos egreſſus inter veteranos recenſeri meruit, Sveno Saxoni dicitur, apud qvem hujus nominis plures reperire licet. Quin & hodie in freqventi eſt uſu.

TUKE appellative craſſum, obeſum notat, ſed proprium & olim, & jam. Tycho malunt moderni.

TUME merê proprium tam fœminis qvam viris. Virili ſexui adſcriptum apud Saxonem invenies lib. VIII: fœminis tribuunt monumenta noſtra literis Runicis ſaxis inſculpta.

ULF Lupum denotat, ex quo non ſecus ac ex Biurn varia extant derivata & compoſita. Hinc *Ranulf* & *Vlfvilda* de qva Saxo, qvi & pro *Vlf* Ulvo ponit. Ex ejus dentibus cognomina qvi ſortiti ſunt apud nos, vigent nobiles antiqvæ proſapiæ *Vlfſtandorum*. Ex dictis igitur conſtat verum eſſe quod aſſe-

aſſerit Literatura: Nomina propria veterum deſumpta eſſe partim à ſervitiis ut Svein, partim ab urſis ut Biorno, Osbiurn, Skibiurn, partim à feris aliis ut Ulf & Orm, de quibus fuſius diſſerendi hic non eſt locus.

III. Tertio quæſito his maxima ex parte ſatisfactum eſſe reor. Derivationem enim eorum qvantum licuit paucisſimis expoſui, unà cum ſignificationibus propriis. Sed in cognomina apud nos non eodem modo omnia abierũt. Olim quidem raro aliis uſi ſunt cognominibus noſtrates quam parentum propriis, ut Alf Thoralſon qui erat Thoraldi filius, Lother Olafrſon qui Olai erat; niſi in bello aut alibi à præclaris facinoribus vel eventu quodam memorabili, vel corporis notabili quodam nævo illis quædam attributa. Quorundam tamen veſtigia adhuc legimus quibus familiæ vetuſtiſsimæ diſcernebantur, in qvorum cenſum ex enumeratis nulla reponenda duco, præter Orm, Tuke, Ulf.


IV. De qvarto dubio rectiſsime judicat nobiliſsimus Dominus Osburnus. Scaldrorum enim à nobis enumeratorum nomina hæc: *Thorbiurn*, *Thorbern*, *Halbiurn*, non ſecus à Biurn ſeu Biornone deducta ſunt ac Osbiurn. Biurn enim & Biorno idem ſunt: hoc ductum Romanum, illo priſcum Danicum agnoſcente. Thorbiurn & *Thorbern* Synonyma Dei Thoronis Urſum, vel ſi mavis Divorum Urſum, *Halbiurn* dimidium Urſum, ſeu qui ad Urſi veri perfectionem nondum devenit, denotantibus. Proba igitur conjectura.

Poſtulato ultimo ut quodammodo ſatisfieret, ex lib. 3. Monumentorum noſtrorum, duo præcedentia ſunt adducta, in qvibus Osburni fit mentio, utrumq; in Scania exiſtẽs, alterum juxta pagum Siorup, alterum prope Huneſtadium, de quibus jam ſufficienter actum.

DECIMUM QVARTUM *VEDMANSHŒIENSE.*

AD provinciam Vemeniorum Vedmandſhøy-Herrit dictam accedimus. Hic in pago auſtraliori ejusdem no-

minis, propè curiam paſtoralem, viâ regiâ, qvæ Dybeckam ducit, in torrente Hermandſpad dicto, cippus ex lapide exſtat rudiore, pyramidalis, altitudine trium ulnarum cum ſemiſſe, latitudine unius cum tribus quartis, Boreali ſuâ facie inſcriptione perpulcrâ exornatus. Icon ejus talis ferme.



Arcuata inſcriptio laterum politius exornans, ab imo dextri lateris ad ſummum excurrit, hinc ſe rurſum ad ima demittit, eam qvam vides exhibens Runarum ſeriem; eò accuratiùs obſervatam, qvò plures fuerint qui depravatè eam excepe-rint, & neſcio qvemnam alienum à characteribus elicere ſenſum tentaverint, de quo, mox uberius.

ᛒᚱᚢᚦᚢ. ᚱᛅᛋᛏᛁ. ᛋᛏᛁᚿ. ᚦᛅᛁᛋᛁ. ᛅᛁᚠᛏᛁᛦ. ᚱᚢᛋᛅ. ᛒᚱᚢ-ᚦᚢᚱ. ᛋᛁᚿ. ᚼᛅᚱᚦᛅ. ᚴᚢᚦᛅᚿ. ᛏᚱᚢᚴ.

Brudu reſti ſtin deiſi eiftir Ruſa Brudur ſin herde Guden trug.

Bro-

BRODERUS LAPIDEM HUNC POSUIT ROSÆ FRATRI SUO, FIDISSIMO NUMINUM ARBITRO.

BRᚢᚦᚢ alii legunt BRᚢᚦᛁᛦ non ineptè, ut ſit diſtinctio inter BRᚢᚦᚢR qvod fratrem notat, etiam in hoc ipſo monumento & BRᚢᚦᛁᛦ qvod proprium, (ut ᚠᛅᚦᛁᛦ in Strö-enſi) Broderum deſignat.

RᚢᛋᛅRoſam verti, alii legunt ᚢᚢᛋI Uuſum; ut ut ſit, nomen eſſe fratris Broderi liqvidò conſtat.

ᚼᚽRᚦᚽ ᚠᚢᚦᚽᚴ ᛏRᚢᚠ ſimilis loqvendi forma extat in monumento VIII & X hujus libri, & fermè in Rhythmo de S. Annone Colonienſi Archiepiſcopo ℣. XLIII:

Her ſprach; troſti dig heiro Godis drut.

Qvod explicat Opitius in hunc modum: Amice Dei; à **drouu** (**trew**) fides Winsbekius.

Trut Kind, du ſin hoch gemut

Vnd darunter in zuchten leben.

Willeramus Abbas Paraphr. in Canticum Canticorum cap. V. *Sulich is min drut*: quod Merula vertit *Sulch iſt myn lieff*. Rectè verò annotavit Doctiſsimus Spelmannus in Archeologo ad hanc vocem: exteros T in D ſæpiſsimè convertere. *Sunt verò*, addit *Drudes iſti non tantum fideles ſimpliciter, ſed ex Vaſallorum genere, qui in Feudali jure fideles appellantur: & inter hos fortè ſpecies quædam particularior.* Capitula Rhemenſis & Rotomagēſis provinciarum, ad Ludovicum Regem Anno 818: *Sine ſolatio & comitatu Drudorum atq; Vaſſorum, nuda & deſolata exibit anima veſtra.* Author vitæ S. Uldarici pag. 139: *Drudes ſuos donis congruis ſibi complacere ſatagebat.* Inde *Druchte* vel *Druthe* pro deſponſata. L. ſalica Tit. 14 parag 10: *ſi quis puellam ſponſatã quæ Druthe ducitur ad maritum.* Hinc nomina propria *Drude, Drudhit, Drudholi, Drudprecht.* Loqvendi hanc formulam eleganter mihi videtur expreſsiſſe Saxo lib. VII, ubi *fidiſsimos numinum arbitros* reddit. Si enim inqvit: *Qui quidem Fro Dei neceſſarii erant & fidiſsimi numinum arbitri.* De Sueonum fortiſsimis qvi ad bellum Bravicum confluxerunt, loqvens.

Sunt

Sunt qui mira & rara, prorſus ab hiſce aliena ſibi imaginentur in hoc cippo extare. De eo in chartis quibusdam ab Hermanno Chytreo Vejano conſcriptis, hæc inveni: *Hoc monumentum meo quidem judicio erectum videtur tempore Snionis Regis (qui vixit ut quidam volunt, circa annum Chriſti 600) cum egreſsio illa univerſalis, propter famem vehementiſsimam, à Cimbris & Gothis facta. Veriſimile ſiquidem eſt, parentes liberos ſuos ad naves usq; comitatos fuiſſe, illiusq; periodi membrum, quod Latinè ita ſonat:* Dicite Diis ſuam gloriam, *parentum videtur eſſe. Poſterius quod commodiſsimè ita reddi poteſt:* Dii profugium noſtrum in bello; *liberorum è terra exeuntium.* Hactenus ille. Quod alieniſsimum eſſe ab inſcriptione vel luſcus videt.

Priſcæ noſtræ Literaturæ rudior, hæc legiſſe videtur:

ᛋᛁᛆᚱ ᚠᚢᚦᛅᚱ ᛋᛁᚿ ᛆᚱᚦᛆ: ᚠᚢᚦᛅᚱ ᚢᛅᚱ ᛁ ᚴᚱᛁ.

Sier Guder ſin ære: Guder vor i Kri.

DIIS DATE HONOREM, DII NOSTRI IN BELLO.

At fruſtra eſt, reclamantibus omnibus literarum notis.

Hujus qvidem Saxi uberiorem declarationem olim nobis promiſit vir clariſsimus DN. M. Andreas Vellejus Hiſtoriographus Regius in Notis ad cantilenam 20; ſed morte præventus nec hæc, nec alia præclara patriæ noſtræ encomia ad finem perducere valuit.

DECIMUM QVINTUM
TULSTRUPENSE.

IN eadem Provincia, auſtraliori templi Tulſtrupenſis muro, ſaxum fermè quadratum adaptarunt, longitudinis ulnarum quatuor, latitudinis trium cum dimidia, Lupi, ut arbitror, figura inſigne; quod limbus ambit, non literis ſolum, ſed aliis inſuper ornamentis & plexibus quibusdam intricatis, columnula dentata, aliisq; ejus generis, ſaxeæ duritiei inſculptis, conſtans. Quæ omnia typus additus accuratius tibi exhibebit quam prolixa verborum ſeries.



ᚴᛚᛁᛒᛁᛦ. ᛆᚢᚴ. ᚭᛋᛆ. ᚱᛁᛋᚦᚢ. ᚴᚢᛘᛚ. ᚦᚢᛋᛁ. ᚢᚠᛏᛁᛦ. ᚢᛚᚠ.

Gliber aug Oſa riſdu Kuml duſi uftir Vlf.

GLIBER ET OSA TUMULUM HUNC POSUERUNT VLFONI.

Apparet lapidis hujus primævam ac propriam ſedem non fuiſſe templi murum: ſed tumulum ac collem qvendam, cujus hic expreſſa ſit mentio. Inde namq; translatum eſſe conſtat, atq; hinc cauſam colligere licet, raritatis veterum monumentorum. Templa enim & arces ſtruentes poſteri, antiqvitatis nullâ habitâ reverentiâ, obvia quævis, inſtituto ſuo commoda, partim fregerunt, partim uſibus alienis adaptarunt, literatam faciem maxima ex parte muro includentes atq; ita majorum ſuorum memoriam fœdè occultantes.

ᚴᛚᛁᛒᛁᛦ etiamnum muliebre nobis familiare eſt nomen, **Gleborg**: quaſi lætitiæ diceres arcem.

ᚭᛋᛆ litera ᚭ inverſa eſt, aut O, aut duplex A denotans; ut ſit Oſa vel Aaſa, vocalibus enim affinitatem aliquam ſoni

habentibus, promiſcuè uſi ſunt veteres. Aalæ verò nomen veteribus haud infreqvens.


ᚴᚢᛘᛚ vide qvam aptè reſpondeat cumulo Latinorum, eodem planè ſenſu; collem verò ſeu cumulum aut tumulum, ſepulturæ & memoriæ Ulfonis ab hiſce duobus exſtructum indicat.

ᚢᛚᚠ Nos jam Vulfgangum aut Ulfonem dicimus, hujus nominis indicio exſculptam in lapide figuram Lupi eſſe conjicimus, ut & nomen demortui, & forſan inſignia qvoq; exhiberet: vel animi dotes Hieroglyphico ritu proponentes, virum fuiſſe in bello & conflictibus lupi more ferocem & ſtrenuum indicare eos voluiſſe arbitror. Hoc nomine in primis claruit *Vlpho* ille, qui Canuti magni fuit ſororius, & ex Eſtritha ſeu Margaretha (ut qvidam volunt) Suenonem regem genuit cognomento Eſtritium. De cujus progenie, mira & penè fabuloſa Saxo, ſi ad litteram intelligas. Quidam Suecum fuiſſe memorant, qvidam verò probabilius Anglum, ut Ericus Rex & Adamus Bremenſis. Nec diſplicet Pontani noſtri conjectura, qua Ulphonem hunc è vetuſta Cimbricæ Cherſoneſi Anglorum proſapia oriūdum, Danorum Regi Suenoni Eſtritio natalium originem longa majorum ſerie impertiſſe, ſtatuit.

DECIMUM SEXTUM
FULIENSE.

IN Provincia Schytica Skyts⸗Herrit/ primo à Trelleburgo lapide, pagus extat Fulia; propè cujus templum tres amœni viſuntur colles, in quorum majori & elatiori, qvindecim circiter ulnarum: cippus extat obtuſus, altitudine duarum ulnarum cum ſemiſſe, latitudine unius. Hic Borealiore latere quatuor characterum oſtentat ordines, hac ſerie lapidem exornantes, à baſi in apicem excurrentes.

ᛏᚠᛆᚱ



ᛅᚢᛏᚱ: ᚱᛁᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛁᚿ: ᚦᛁᛅᛋᛁ: ᛅᚢᚠᛏᛁᛦ: ᛅᚢᚠᛏᚢᚱ:
ᚠᛆᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚿ: ᚼᛆᚿ: ᚢᛆᚱᚦ: ᛋᛆᚢᚿᚢ: ᛋᚢᚿ: ᚴᚢᛏᛁᛅᛏᛁ: ᚴᚢᚦ
ᚼᛁᛆᛚᛒᛁ: ᚼᛆᚿᛋ: ᛋᛅᛚᛚ.

Eutr riſdi ſtin dieſi euſtir Euſtur fadur ſin; hand vard Saunu ſun. gutieti Gud hialpi hans Sell.

EVTR LAPIDEM HUNC POSUIT EVTURO PATRI SUO, QVI FILIUS ERAT SAVNU. OPTIME DEUS ANIMAM EJUS JUVA.

ᛅᚢᛏᚱ Eutr, idem nomen mox ita exprimitur ᛅᚢᚠᛏᚢᚱ, quamvis diverſarum ſit perſonarum patris & filii. Veteres namq; orthographiæ rationem usqve adeo accuratam non habuiſſe hinc patet: niſi myſterium hic latitare quis exiſtimet, ac ſtatuat filium reverentiam & honorem patri debitum declaraturum, pluribus literarum notis illius qvam ſuum nomen exprimere curaſſe. Idem nomen reperies in

monumento hujus libri undecimo Scorbyenſe ſcilicet literis parum immutatis.


ᛋᛅᚢᚿᛅ ᚠᚢᚱ legendum ᛋᚢᚿ, ut ſenſus ſit, filium Sauni fuiſſe Evterum.

ᚵᚢᛏᛁᛌᛏᛁ Superlativum à ᚵᚢᛏᛁ gode.

Chriſto nomen dediſſe Evterum filium qvi hoc monumentum poſuit ex adjunctâ hac precationis formulâ conſtat. Suſpicari inſuper licet patrem ab erroribus Idololatricis haud immunem, ut non tam templum aut cœmeterium, qvam collem hunc, avitum forſan, ſuæ deſtinaverit ſepulturæ; filium interim paternum teſtamentum violare nefas ducentem, de animæ tamen ejus ſtatu ſollicitum, voti hanc formulam appoſuiſſe.

DECIMUM SEPTIMUM
FOSSIENSE.

OXeorum Provincia politâ ſuperbit Malmogiâ, quæ etiam in ſuo diſtrictu, non procul ab urbe, parochiâ Foſſenſi, pulcrum tenet monumentum aliundead Ruſticorum compotatoriam exornandum tabernam, ubi Andria & Syſſitia celebrare ſolent, translatum. Lapis eſt oblongus qvatuor ulnarum proceritate, latere politiori & characteribus inſignito dimidiam ulnæ partem latitudine haud æqvans. Et qvamvis olim apice ſuo elevatus fuerit à baſi excurrentibus linearum ductibus & in eandem recurrentibus, jam tamen inglorius humi cubat, à priſtino ſplendore multum deturbatus. Ejus lineamenta hæc accepi:



ᚬᚱᛘ. ᚱᛁᛋᚦᛁ. ᛋᛏᛁᚿ. ᚦᛆᚿᚢ. ᛆᚠᛏᛁᚱ. ᚢᚿᚴᛆᚱᚴᛆ. ᚠᛆᚦᛆ-ᚴᛆ. ᛋᛁᚿ. ᛏᚱᚢᚴ. ᚴᚢᚦᛆᚿ.

Orm riſdi ſtin denu eftir Ungerge fadege ſin trug Guden.

ORMERUS HUNC LAPIDEM POSUIT UNGERGO PATRI SUO, DIIS FIDO.

ᚦᛆᚿᚢ alibi ᚦᛁᛋᛁ.

ᚠᛆᚦᛆᚴᛆ legendum cenſeo ᚠᛆᚦᛆᚱᛆ ut patrem notet.

ᛏᚱᚢᚴ ᚴᚢᚦᛆᚿ de hiſce ſupra ſæpius monui.

DECIMUM OCTAVUM
HOYBYENSE.



IN parochia Hoybÿ Præfecturâ Bardorum Barcherrit / ad occidentalem plagam pagi Wiſmerløff ſaxum ſepi ex ſaxis conſtructæ inſertum eſt grande qvoddam, oblongum, apice incurvato, baſi latiori, literis & characteribus peculiaribus inſi-

inſignitum; altitudo tres circiter æqvat ulnas, latitudo unam, craſsities ſesquiulnam. Nemo eſt qvi aliunde transportatum referre valeat. Collapſum quidem ante annos erat aliqvot, jam verò ſitu erecto donatum. Figura ſupra propoſita.

Initium legendi capiendum eſſe arbitror à plaga orientali, ubi ante literarum initium triplicata occurrit crux, & notæ in ſeptentrionem excurrunt; ab iis ad occidentale latus progrediendum, à ſaxi imo ad ſummum excurrendo donec deſcendendo, rurſus in orientali finiatur: hoc pacto:

ᚹᚢᚿᚢᚹ: ᚢᛁᚿ: ᚼᛅᛚ: ᚦᚢᚱᚦᚱ: ᚱᛅᛁᛋᛏᛁ: ᛦᛅᚱᚠ: ᚦᛁᛋᛁ: ᚢᚠᛏᛁᚱ ᛦᚢᚿᚢᚿᚵ ᚼᛅᚱᛘ.

Kunungs vin Holi Thudr reiſti Kerf diſi uftir Kunung Gorm.

REGIS AMICUS HOLI THORO SIGNUM HOC EREXIT IN MEMORIAM REGIS GORMONIS.

Minus accuratè excepta videtur inſcriptio, quocirca reſtituendam eo pacto quo hic fecimus arbitramur, ſenſus ut ſibi conſtet.

Notabis hic cervi figuram paulò politiùs expreſsiſſe ſculptorem, qvam in ipſo extet monumento.

Ferunt accolæ cruces iſtas Cœnobii Dalbyenſis inſignia olim fuiſſe, ac pagum vicinum ejusdem Cœnobii jurisdictioni tributum. Quocirca in ea opinione ſunt quidam, cruces quod dictum eſt denotare, ſed cervi figuram, venationes ad regem ſpectare. Forſan lapis hic longè ante cœnobii iſtius fundationem literis iſtis inſignitus fuit, eodem quoq; in loco locatus, non ut limes eſſet ſed ut monumentum. Succeſſu verò temporis, qvia in loco limiti opportuno extare videbatur, Crucis & cervi ſimulachra addita eo fine qvo ſupra dictum.

ᚹᚢᚿᚢᚹ. ᛦᚢᚿᚢᚹ legendum cenſeo, nec enim mihi ipſi datum monumentum hoc inſpicere, ut Regem notet, ſenſu perſpicuo. Nam ᚹᚢᚿᚢᚹ vox eſt nobis plane ignota, nec qvid ſignificare debeat conjectura ulla aſſeqvi licet.

ᚢᛁ:ᚾ. ᚢᛁᚾᚴ *vien* vel *veu* amicum nobis notat, ita ſenſus ſibi conſtat.

ᛡᛆᛚ aut proprium eſt nomen, aut ſi appellative ſumendum, ſanctum notabit. Qvod nos jam 𝔥𝔢𝔩𝔩𝔦𝔤/ Angli & forſan etiam majores noſtri *holy* olim dixerunt, ſic *holydai* feſtum vocant diem.

ᚦᚢᚱᚦᚱ *Thurder* Thoronem indicare puto, ᚦ enim punctatum valorem obtinet Th. ſed quis hic ſit Thoro aut cujas nos latet.

ᚱᚢᚾᛏᛁ pro ᚱᛆᛁᚾᛏᛁ.

ᚴᛆᚱᚠ inciſuras ſeu ſigna etiamnum nobis notat; hinc 𝔎𝔢𝔯𝔣𝔣𝔰𝔱𝔬𝔠𝔨 lignum inciſuris ornatum.

ᛡᛆᚱᚦ In hac voce duo occurrunt peculiaria quæ in hactenus prolatis non obſervata; primū eſt ᛡ quod G refert, fortè majuſculum. Quamvis enim uſitatius ᚠ ſic ſcribatur, vel in vetuſtioribus ſine puncto; attamen & hanc notam ejusdem eſſe valoris in literatura noſtra monſtravimus. Alterum eſt combinatio duarum literarum ᛆ & R quæ etiam obſervatu digna.

Si quis hic eſſet conjecturæ locus, per ᚦᚢᚱᚦᚢᚱ illum intelligerem quem Saxo noſter Torchillum vocat, per Gormonem Regem ejus nominis primum, naturæ ſcrutatorem indefeſſum, qui Idolorum ſuorum per Torchillum percepta fœditate, mœrore obiit, ac regnum Gotrico reliquit. Cujus res geſtas fusè perſequitur Saxo hiſtoriæ lib. 8. Inter reliqua obitus ejus cauſam ſic enarrat: *Exprobratam Vgarthiloci fœditatem exaudire non ſuſtinens, adeò indignitatis ejus vicem doluit, ut impatientem dictorum ſpiritum inter ipſa recitamenta deponeret.* Quod ſi hic intelligendus Gormo, probabile eſt Torchillum Chriſtianis dictum, Ethnicis verò Thoronem indigetatū, regi ſuo pro quo tot acerba paſſus erat, hoc ſtruxiſſe monumentum, idq; circa annum Chriſti DCCXLVII juxta ſupputationem annaliū noſtrorū; licet ipſum *pro quo caput tot ærumnis devovit, tot periculis contudit,*

quem-

quemq; operum ſuorum gratiſſimum penſatorem ſperavit, acerrimum virtutis punitorem invenerit, ut loquitur Saxo noſter.

DECIMUM NONUM
HIERUPENSE.

HOc Monumentum etiam Opagrienſe diximus, eo quod in parochia Opagrienſi ejusdem præfecturæ reperiatur. Sed quia in monumenti Stroenſis explicatione ea quæ huc faciunt à nobis dicta ſunt; plura in hunc ſenſum hic non repetimus, nec aut iconem, aut alia quæ ad ejus ſpectant interpretationem jam adferimus; ſed eò candidum remittimus lectorem: ad Hallandica properè itionem parantes.

HALLANDICA.

QVia *Hallandia ac Blekingia* (ut verbis Saxonis noſtri utar) *ab integritate Scaniæ, ceu rami duplices ex unius arboris ſtipite promeantes, Gothiæ, Norvagiæq; longæ declinationis ſpatiis, diverſisq; receſſuum interſtitiis adnectuntur*: de Monumentis quæ ibidem extare accepimus porro diſpiciendum.

Sed Lyſcandri noſtri primò luſtremus Hallandiam,
„ his depictam coloribꝰ: Hallandia ſecunda Scandiæ mino-
„ ris regio eſt: Et ea porro duplex. Alia n: auſtralis dicitur ſu-
„ pra ſaltum magnum Hallandorum, proxima limitibꝰ Ber-
„ genſium; alia Borealis Norvegiam attingens. Sed tota terra
„ octo ampliſsimos complectitur principatus à mari Balthi-
„ co &c. ad levam ad Smalandos pertingentes. Illa enimverò
„ terra longitudine Scandiæ par eſt, ſed latitudine multo
„ minor, nam à Scandis Bergenſibus ubi continenti adſti-
„ pulatur, ad petroſa usq; Norvegiæ excurrit. Civitates quæ
„ ſunt clariſsimæ & aliis nullatenus inferiores hic ſolum re-
„ cenſebimus. Ex Vareburgo dominabantur Comites Feu-
„ darii Danorum & nepotes Valdemari ſecundi Regis ma-

gni. Nicolaus ſiquidem hoc parente editus primus Hallandiæ comes, & poſt eum Nicolaus ſecundus, tertius qvoqve Jacobus, qui fraudis & conſpirationis in regem convictus, principatu excidit. Fuit hæc celebratiſsima ſemper & potens civitas, & præſtantiſsima, ut fama eſt, Danorum munitio, proximis annis contra Suecorum irruptiones; de quibus duodecies clariſsimè triumphavit. Sed poſtea proditionem molientibus quibusdam conductivis ex Scotia militibus, maximam cladem accepit.

Inferioris Hallandiæ, ubi ſedem habuerunt Duces, caput eſt Halmſtadium, laudatiſsima Colonia, & adeò præſtans, ut totius regni Suetici vim & robur, quando eam ex vicinia ſæpiſsimè omnibus copiis adorirentur hoſtes, ſola ſuſtinuerit, & victricem palmam obtinuiſſe contigerit. Sunt deinde aliæ, Falchoburgum, Laholmia, omnes maritimæ, & in ripis fluminum, quæ ex mediterraneis Sueonum altiſsimis influunt, opportunè exſtructæ, & ad exercendum Oceanum aptiſsimæ. Sed in contiguis Hallandiæ, Sueoniæ, & regni Norici finibus Inſula mediocris eſt, parvam Daniam dixere, propriè tamen Hiſsingia appellatur, in ea terminantur limites Regnorum Borealium moderni, & ibi quieviſſe tres Reges & convivatos eſſe tempore decreti Suenothoniani, ſuper ingenti ſaxo, quolibet tamen in ſuo regno exiſtente, fama atq; libelli decretorii narratione notum eſt.

VIGESIMUM
HOLMENSE.

EX hac terra non niſi unicum ad nos delatum eſt Monumentum, quod in lapide extat, qui reperitur in domo ruſtici cujusdam in pago Holm, Halmſtadio haud procul diſtante. Rude ſaxum eſt, longitudine ulnæ Sælandicæ, latitudine duarum quartarum cum ſemiſſe, craſsitie unius quartæ. In laterum ampliorum altero lilii occurrit

pictura; in altero duplicata crucis figura. Sed inſcriptio limbum lapidis ambit hac ſerie:



ᚼᛁᛁᚱ ᛚᛁᚵᛂᚱ ᛂᚿᚿᛆᚱ ᛆᚱᚿᛒᛁᛆᚱᚿᛆᚱ ᛋᚢᚿ ᚵᚢᚦᛂᚿ.

Her liger Ennar Arnbiornar ſun guden.

HIC JACET ENNARUS ARNBIORNI FILIUS BONUS.


Inſcriptio antiquitatem nullam ſapit, ex cœmeterio aut templo quodam tranſlatum hoc eſſe ſaxum, multa docent. Planum enim eſt & latum, qualia eſſe ſolent quibus Chriſtianorum in cœmeteriis tegunt ſepulcra, inſcriptio clara & ad ſæculum noſtrum accommodata; ad hæc duplicata crux, obverſum exornans latus, Chriſtianorum nota. Accepi demum, in Holmenſi territorio ſacellum fuiſſe Divo Nicolao ſacrum, cui fons præcipua religione cultus vicinus erat, eidem Divo dicatus. Hic loci paſtor ſaxum

ſaxum hoc invenit, quod domum tranſtulit, ac uſibus domeſticis adaptavit.

BLEKINGICA.

REſtat jam Blekingia alterum Scaniæ brachium perluſtrandum, hanc nobis hiſce delineatam reliquit noſter Lyſcander: Ab Orientali Scandiæ regione duæ exeunt terræ ſecus Oceanum, ad formam porrecti in longum brachii. Liſtria à ſola gente una exculta eſt, caput habens Eleholmiam. Sed Blekingia longiſsimo tractu, inter Smalandos & mare orientale dilabitur, mediocri latitudine. Trium enim ea provinciarum eſt: nam Oeſtream, Veſtriam & Mediam, totidemqve præcipuas maritimasq; urbes concludit, Sylleſburgum, Lychiam & Rhotoniam. Commodiſsimis ea felix eſt & oportuna portubus, & habitaſſe ibi olim multos Cimmeriorum Gothorumq; Reges, hiſtoriæ & monumenta antiqua teſtantur. Rupes ibi literata regis Hylletandi conſpicitur, & civitas Syllesburgenſis olim clariſsima fuit, ad quam Longobardicæ gentes ex Arctois confluentes regionibus tranſitum & migrationem exornantes, prima celebraverunt ſtativa.

VIGESIMUM PRIMUM
LŌSONENSE I.



IN hac freqventiores aliqvanto qvam in Hallandia occurrunt Inſcriptiones noſtro inſtituto inſervientes. Extat in provincia orientaliore Oeſtria, Løſen pagus, in cujus cœmeterio conſpicitur ſaxum qvadratum oblongius, aliqvantulum in acutum deſinens, longitudine duarum ulnarum, latitudine unius; characteres caput ejus ſtringentes, in hunc modum ſe habent.


ᚭᛏᛘᛆᚱ ᛁᛘᚱᛁᚿᛘᚢᛏ:

Otmar Imreinmot.

OTMARUS IMREINMOT.

Quid ſibi velint Otmari adjecta nomini non capio, ab aliis edoceri paratus.

VIGESIMUM SECUNDUM *LØSONENSE II.*



IN templo ejusdem pagi altari adjacet ſaxum politius ad cæruleum vergens colorem, ulnarum duarum longitudine, unius latitudine, cujus ambitum plexus cingit extremitati-

bus

bus ſuis implicatus; & literarum qvarundam ductibus exornatus, ſumma verò ſui parte mutilatus, unde inſcriptionem reliquit imperfectam.

ᛏᚢᚴᛅ ᛚᛁᛏ ᚱᛁᛋᛅ ᛋᛏᛅᛁᚾ ᚦ - - - ᚴᚢᚾᛅ ᚦᛅᚾ ᚴᚢᚦᛅ ᚴᚢᚱᚦᛅᚱ ᛅᚱᚠ.

Tuka lit riſa ſtein d - - - Kunu den gode Gurder arf.


TVCHO LAPIDEM PONI CURAVIT - - - UXORI OPTIMÆ GURDERI HÆREDI.

ᚱᛁᛋᛅ Hinc collige lapidem hunc alibi erecta forma ſitum fuiſſe, cum jam pavimēto inſtratus in alienos translat⁹ ſit uſus.

ᚦ Lacuna hac ex parte ita ſuppleri poſſe ex aliis probabiliter colligitur ᚦᛅᛋᛁ ᛅᚠ ᛏᛁᛅ hic nomen uxoris periit.

ᚴᚢᚱᚦᛅᛅ Nomen proprium ejus qui hæredem reliquit bonorum ſuorum, uxorem Tychonis hujus. Ex vetuſtioribus haud eſſe, punctatæ arguunt literæ in ᚴᚢᚦᛅ & ᚴᚢᚱᚦᛅᛅ.

VIGESIMUM TERTIUM
STORKIANUM.



ſu

IN eadem provincia inſula extat Storckøc dicta, forſan à Ciconiis quæ noſtratibus Storcke vocantur, & ibidem frequenter convenire ac nidulari ſolent: hic etiam cippus erectus cernitur, literarum quarundam ductibus à meridionali ejus latere in ſeptentrionalem excurrentibus exornatus, longitudine ulnarum duarum cum ſemiſſe, latitudine ſex qvadrantum. Figura ſupra propoſita.

ᛋᚴᛁᛒᛅᚱᛦ ᚴᚢᚦᛁᛋ ᚱᛅᛋᚦ ᛋᛏᛁᚴ.

Skiperer gudis reſd ſtin.

NAUTÆ BONI LAPIDEM POSUERUNT.

ᛋᚴᛁᛒᛅᚱᛦ per nautas expono, plurali numero, Skiper enim nauta, niſi quis proprium viri eſſe arbitretur, quod probabilius, uſitatum enim priſcis fuit nomen SKIBIURN vel SKIBERN, ut pag. 196 demonſtravimus. Notanda hic duarum literarum ᛅ & ᛦ in unum coalitio.

ᚴᚢᚦᛁᛋ haud certus ſum an per hanc vocem proprium cujusdam quem nos forſan jam vocaremus Gundeum vel Guidonem vulgo Gunde; an verò bonum intelligere debeamus. Cætera clara ſatis, niſi quod ultima vox literis inverſis ſit exarata ſculptoris procul dubio incuria, qui ad priora non attendens, erecto jam ſaxo notas impreſsit.

VIGESIMUM QVARTUM
LERAGRIENSE.

HEm quàm pulcrum, quam rarum, quàm præſtans nobis exhibet hujus tractus provincia, quæ à meditullio nomen traxit, & Media ſeu Meddelſiedherrit vulgò vocitatur! Silvula hic extat betulina, amœna & jucunda, quæ Leragriam, Birketorpium & Liſterbyam finibus ſuis ferè attingit: hæc ſinu ſuo fovet monumentum ex tribus conſpicuæ altitudinis ſaxis, in triangularem figuram congeſtis, conflatum, quorum duo characteribus planè deſtituuntur, tertium Litetatura priſca eaq; rara anteriore & poſteriore ſui parte nitet. Hujus altitudo ulnas attingit ſeptem cum dimidia, latitudo, quà

quà latior, duas tantum. Eoum ejus latus multis iisq; crebris characterum ductibus inſigne cernitur, occiduum paucioribus. Lapidis ſecundi altitudo æſtimatur ulnis ſex, latitudo tribus qvartis. Tertii par eſt altitudo, ſed latitudo duplo major. De hoc quæ referam pauca habeo, figuram ſaltem contemplare:



Diu multumq; in eo enucleando deſudavi, operam præſtan-

ſtantiſsimorum in hac Literatura imploravi, ſed fruſtra fermè fui, cernis enim hic Runicos, Latinos, Græcos & peregrinos elementorum ductus, ita invicem congeſtos & confuſos, ut citius ex Labyrintho Dedaleo, qvam hinc te ex tanta extricaveris perplexitate. Non eſt quod quisquam haud probè delineatum aut deſcriptum hoc ſuſpicetur monumentum; cum plures in hac literatura verſati, operam ſuam in eo delineando impenderint, omnesq; fateantur tàm clarè tamq; manifeſtè ſingulos apparere apices, ut vix ex reliquis quæ exhibemus ei par ſit ullum, omnesq; planè in ductibus conſentiant. Interim ut videas me nihil non tentaſſe, ſubjungam quæ mihi ſuppeditarunt rogati Islandiæ in hoc ſtudio myſtæ, interprete viro celeberrimo, Dno. Arngrimo Jona, amico meo multis nominibus honorando; ut vel hoc pacto ſtimulum aliis addam, curas & cogitationes ſuas in his etiam exercendi.

„ Sic a. inter alia vir ille clariſsimus: In ſecundo latere monumenti Leragrienſis ᚢᚦᚼᚱ vocalis quidem ᚢ exprimitur qvę facit ſyllabam cum ſeqventi conſonante, (quæ in tota Literatura ſingularis eſt: qvam nec mutam nec ſemivocalem dixeris) integram verò dictionem *Vdbar* legendum putant, eo qvod poteſtas literæ ᚼ (non verò nomen *hagal*) vocalem a (ut *ha*) ſuppeditet. Ita & ſeqvens dictio ibidem ᚼᛒᚼᛋᛒᚼ fuerit *habebasbha*. Niſi enim ita ſit, vocem vel ſyllabam nullam illius elici poſſe. Illic ut vocalem a, ita B vocalem e includit; ratione, ut dictum, poteſtatis non appellationis (*Biarkan* & *Hagal*) & ita ex his reliqvum iſtius dictionis patet, interim voces iſtæ nobis penitus ignotæ ſunt.

„ Hic porro ſcribendi modus, dum vulgatis Runis ſive Runicis literis conſtat, minus negotii fecerit, vocalium illam ecclipſin (ſic enim occultationem vel interclusionem illam vocalium vocitare liceat) obſervantibus. Ut verò peregrinas Runas accerſit & Runarum varietate ludit, pleriſq; hodie inextricabilis evadet. Præſertim ſi quid lingvâ etiam peregrinâ (Hebræa, Græca, Latina, Gallica) admixtum exaretur, id quod occultationum & involutionum ſtudioſos affectaſſe & facti-

factitaſſe nullus dubito; & res ipſa fortaſſe loqvetur. Interponere hic conjecturam liceat. Nummos, arma, clenodia, imo auri bonam copiam, conſtat ex variis monumentis, veteres invidiſſe poſteris, etiam cognatis & agnatis, eaq; non ſemper propriis ſepulchris condidiſſe, ſed nunc hic, nunc alibi ſatis profundè defodiſſe, aut puteis altis merſiſſe. Quæram nunc à ſagaci Lectore, & talium rerum æſtimatore, an non poterit circa Literaturam Runicam idem accidiſſe, ut admiratione & impoſsibilitate qvadam legendi, vel exarata aſſeqvendi voluerint ſibi æſtimationem & ſcientiæ opinionem conciliare?

Quod jam de ſecundo hujus monumenti latere dictum eſt, etiam de primo valere volumus, nec aliter indidem ſyllabæ aut dictiones erui poſſunt. Qüod latus in benè prolixa inſcriptione duabus ſaltem vocalibus aliquoties expreſsis conſtat, nempè ᚢ ſepties, & I ſimplici tantum ter, punctato autem ſexies iterato, ſiquidem nudarum conſonantium congeries, muta & alogos exiſtat.

Sed ut prius illud latus præter Dum Runarum naturam, hoc eſt vocalium freqventiorem (& alibi continuatam) illam qvam vocavi ecclipſin, duas inſuper remoras Lectori objicit: Lingvam 1. peregrinam & fortaſsis corruptam (certe quantum ad orthographiam) ac 2 characteres benè multos vulgo ignotiſsimos. Addo tertium, ſc. omnibus Runis familiarem, intricationis interim & obſcuritatis matrem, ideoq; Lectori ſummè exoſam. Hæc eſt diſtinctionum & ſubdiſtinctionum &c. per commata, cola, periodos, negligentia, aut inſcitia: tum majuſcularum & minuſcularum nulla obſervatio nulla in laude ponenda, & neſcio cujus Literaturæ exemplo excuſanda.

Primum itaq; latus ſic legimus: RHAMDHAT, BEHARUT, MUTI, HAMPLET, HEHADEM (putant valere eadem) MIHAM (putant valere meam) voculam ſeqvẽtem intactam relinqvere cogimur. HALHAM MIHA RUX


„HAM: HARDHAD MU FELDHAKAM MEHA ID-
„BERG MEHA TE DUMRUPER ÆTERN.
„ Eſt autem Idberg *Idbiorg* Islandis nomen fœminæ, cu-
„jus monumentum eſſe putatur.

Hæc omnia ex lingvis peregrinis petita, & literis pro lubitu excogitatis obſcurata eſſe, firmiſsimè ſtatuimus.

Vides, Lector candide, mera ænigmata, meras tricas, ex qvibus ne Oedipus quidem ſe extricaverit. Excuſatum igitur me hic habebis, tuamq; poſt alios hic imploro opem; ſi quid erueris notis congruum haud gravatim communica, ab ingeniis curioſis quin gratiam reportaturus ſis magnam nullus dubito.

VIGESIMUM QVINTUM
LISTERBYENSE.

IN altero pagorum, qvorum ſupra mentionem fecimus, Liſterby nempè templum eſt, in quo tabulatum cancellato opere affabre elaboratum cernitur. Autor operis, literis priſcis nomen ſuum ei inſeruit, ut inclareſceret, proculdubio, ac ſui monumentum hic relinqueret: juvabimus igitur operis Iconem hic inſerendo, licet ſuperiora pleraq; non tam lignea qvàm lapidea exiſtant.



ᛏᚬᚢᛅ. ᚴᛁᚬᚱᚦᛅ. ᛘᛁᚴ. ᚬᚴ. ᚾᛁᚴᛚᛁᚠ. ᛘᛁᚴ.

Tove giorde mig oc niklif mig.

Tuo

TUO ME FECIT, ME QVOQVE ADAPTAVIT.

In alio cancellorum ductu:

ᛏᛆᚢᛂ. ᚵᛆᚱᚦᛂ. ᛘᛁᚵ. & in alio ᛘᛆᚱᚢᚦ.

Tove gorde mig. *Morud.*

TUO ME FECIT MORUD.


ᛏᛆᚢᛂ *Tove* nomen apud nos etiamnum haud infreqvens pro quo **Tue** pronunciare ſolemus. Quis verò aut cujas hic, accolarum nullus aſſerere valet.

ᚿᛁᚴᛚᛁᚠ *Niklif* legendum cenſeo ᚿᛁᚴᛚᛁᛏ *niklit*, jam **naffſlit**/ à verbo **jeg nafſler**/ id eſt clavis affigo: minores namq; clavos etiamnum **Niglſer** vocare ſolent, hinc **nigle** pro **nagle**.

ᛘᛆᚱᚢᚦ. Quid hoc ſibi velit non aſſeqvor.

VIGESIMUM SEXTUM
SILVISBURGENSE.

Liſtriam jam luſtremus quæ & rarum & obſcurum & ſpectatu dignum exhibet Monumentum, cui dum integrũ fuit, vix par reperire datum. Extat verò prope Silvisburgum arcem regiam in prato cui nomen **Gommor Eng**/ neſcio an à Gomero qvodam, qvem hic imperium obtinuiſſe ferunt. Lapis fuit oblongus & qvadratus, qvavis ſui parte literis & characteribus inſignitus, cujus fragmentum ſaltim jam videtur, qvod longum ulnâ æſtimatur unicâ, & quodvis latus latum qvadrante ulnæ. Iconem hic vide.



Monumentum hoc ejusdem cenſus eſt cum Leragrienſi,

ſimilibus enim fermè notatum characteribus qui variorum præ ſe ferunt miſturam; De eo itaq; aliorum malo audire ſententiam, quam meam prodere inſcitiam.

Non poſſum autem ad majorem illuſtrationem, quin addam, me reperiſſe in priſcis cantilenis à Vellejo editis, qvædam quæ huc facere videantur. Refert namq; idem A. Vellejus in notis ad quintam; Vidricum Willandſøn/ athletam fortiſsimum, cujus res geſtas eadem decantat cantilena, in hoc tractu tumulatum, ejusq; monumentum ſaxis ingentibus propè Sylvisburgum & molendinum Siſebeck adhuc conſpicuum. Unde locum hunc multorum magnatum non ſolum ſepulchris, ſed & rebus geſtis, olim valde nobilitatum fuiſſe colligere licet. An verò hoc, dicto Villantſonio, an alteri cuidam adſcribendum ſit non liqvet. Certum eſt hunc tractum multis variisq; celebratum & gentium noſtrarum facinoribus, & magnatum habitationibus. Refert enim inter reliquos Johan. Lyſcander Antiqvitatum Serm. III. *civitatem Syllesburgenſem olim fuiſse clariſsimam, ad quam Longobardiæ gentes ex Arctois confluentes regionibus, tranſitum & migrationem adornantes prima celebrarunt ſtativa.* Veriſimile igitur eſt, multa eos hic reliquiſſe ſui monumenta, ex quibus forſan & hoc unum fuit.

VIGESIMUM SEPTIMUM.
RUPES HARALDIANA.

AGmen omnium quæ ex Scania & Blekingia ad nos devenerunt, claudat præclarum illud quod à Saxone noſtro in præfatione operis ſui tantoperè commendatur his verbis: *Apud Blekingiam apta meantibus rupes mirandis literarum notis interſtincta conſpicitur. Siquidem à meridiano mari in deſerta Verundiæ petroſa porrigitur ſemita, quam binæ lineæ exiguo diſcretæ ſpacio, protractis in longum ductibus amplectuntur. Inter quas medium loco planum factis ad legendum figuris undiq; ſecus exaratum oſtenditur. Quod licet adeò ſitu inæquale exiſtat, ut modò montium alta*

pro-

proſcindat, modò vallium ima prætereat, eodem tamen tenore literarum veſtigia ſervare dinoſcitur: quarum ſignificationem Rex Valdemarus ſacri Canuti fauſta proles admirationis cauſa cognoſcere cupiens, miſit qui rupem permeantes patentium illic characterum ſeriem, curioſiori indagatione colligerent, ac poſtmodum virgulis quibusdam ſub iisdem formarum apicibus adnotarent. Qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipſa cælaturæ concavitas, partim cœno interlita, partim commeantium adeſa veſtigiis figuratæ protractionis ſpeciem obtrito calle confuderat. Unde conſpicuum eſt, etiam petrinæ ſoliditatis rimas diutius madore complutas aut ſordium colluvione, aut irrigua nimborum inſtillatione concreſcere.

Hæc Saxo, cujus ævo cum tantum detrimenti paſſum ſit tam præclarum monumentorum decus, quid nobis ſperandum, facile liquet. Interim ne intentatum hic quippiam relinqueremus, ad locum eum reverendum & doctiſsimum virum Dominum Jonam Skonvigium, in hiſce verſatiſsimum, cujus etiam in plurimis uſi ſumus operâ feliciſsimâ, ante annos paucos ablegavimus, cuncta diligentius ut perluſtraret, reliquias characterum notaret, totiusq; monumenti conditiones modernas accuratius perſcrutatas ad nos deferret. Qvi rediens retulit in provincia Bregnehcrrit inter Ronnebyam & Hobyam rudera extare, monumenti à Saxone nobis exhibiti, quæ ejus deſcriptioni adhuc exactè quadrent. Arcta enim ſemita equis & peditibus; nequaquam verò curribus pervia, duriſsimam transcurrit cautem, accolis *Runemo* dictam, ac in ipſo transcurſu literarum Runicarum hinc inde oſtentat fragmenta, nullo ingenio colligenda, niſi unico in loco ubi integra hæc apparent ᛚᚢᚴᚦ. Tractus verò qui transverſim ſemitam ſecat & literarum veſtigia adhuc oſtentat, unicus eſt, inæqualiter cautem perreptans, modo alta proſcindens, modo ima ſequens: longitudine triginta quatuor ulnas excedens, latitudine pollicum ſeptem, quam etiam longitudinem literæ obtinebant. Ejus

delineationem, qvam opera Charſtani Laurentii, diſcipuli mei modeſtiſsimi obtinui, heic adjunctam cernis.



Haraldo Regi, cognomine Hyldetand, opus hoc aſcribit ipſe Saxo noſter lib. VII. his verbis: *Idem in monumentum patris, ejus res geſtas apud Blekingiam rupi, cujus memini* [in præfatione ſcilicet] *per artifices mandare curæ habuit.* Lyſcandro noſtro Rupes literata Regis Hylletandi nuncupatur. Antiquitatis magnam habere prærogativam, vel ex eo colligere licet, quod tempore Voldemari ſecundi, referente Saxone, certi quid ex eo colligere interpretes nequiverint. Obiit autem Valdemarus II anno MCCXLII, ex quo tot annorum ad nos decurſu, quantum adhuc paſſum ſit detrimenti quis non videt?

Heu

Heu quid tempus edax, quid non longiſſima ſecli
Abſumit caries?

Nos igitur de hac tabula manum removere inviti cogimur, ad aliarum provinciarum eam convertentes oblectamenta.

BORINGHOLMICA.

BOringholmus inſula eſt propior littoribus Scandiæ " Eiſtadium Veminiorum ad rectam lineam occiden- " tis ſpectans. Hæc quatuor continet provincias, agnovitq; regnum Gothicum omni ætate, atq; ex Dania certos " habuit principes, donec poſtremo tranſivit in poteſtatem " Archiepiſcopi Scandiæ ex Lunda: unde plurimæ exortæ " ſunt contentiones. Exhibet opportunos portus claſsi Ammiraldicæ Danorum, ad conſervandum imperium orien- " talis pelagi utiliſsimos. *Boringia* Saxoni; *Holmia* Adamo " Bremenſi: *Scoringa* Paulo Warnefrido. Hanc enim re- " gionem eſſe arbitror de qua lib. 1 de geſtis Longobardorum cap. 7 loquitur, *in qua Winili Scandinavia egreſſi per annos aliquot conſederunt.* Inſulam namq; *non nimiæ amplitudinis*, paulo poſt circa finem capitis eam vocat.

I. AAKIRKEBYENSE.


IN inſulæ meditullio fermè pagus eſt Aakirckeby dictus, ad oppidi mediocris accedens magnitudinem, privilegiis quoque eximiis dotatus. Hic atrium incolæ cujusdam, lapidis exornat fragmentum, ad ulnas duas longitudine accedens, latitudinem unius obtinens, craſsitiem quartæ, colore puniceo: literarum veſtigia quædam exhibens, interrupta tamen, ut ex iis certi quid colligere vix jam detur. Ejus ideam, ea qua accepi lineatura hic habes.

Lite-



Literarum quas fragmentum exhibet, etſi valorem exhibere cuivis ſit facillimum, attamen cum earum ſenſū aſſequi nobis haud datum, taciti eas præterimus.

II. AAKIERENSE I.



Saxum

Saxum quod in parochia **Aakier** pontis vices ſubit amnem tranſeuntibus, juxta curiam **Møllegarden** dictã, rude quidem eſt, ſed planum, ut non tam cippi figuram, quam tumbæ cujusdam operculum repræſentare videatur atq; aliunde in hos uſus translatum. Longitudine fermè ad ulnas quinq; accedit, latitudine duas ſuperat; craſſities vix quartam æquat, colore eſt griſeo obſoleto, ut ſolent ejus generis rudiores eſſe, figurâ ſupra propoſitâ ad me delatum.

ᚭᚴᛘᚢᚿᛏ. ᛆᚢᚴ. ᚠᚱᚢᛒᚢᚱᚿᚱ. ᛋᛆᛏᚢ. ᛋᛏᚽᛁᚿ. ᚽᚠᛏᛦ. ᛁᛋᚱᚴᚭᚱᛁ. ᚠᛆᚦᚢᚱ. ᛋᛁᚿ. ᚴᚢᚦ. ᚼᛁᛆᛚᛒᛁ. ᛋᛁᚭᛚᚢ. ᚼᛆᚿᛋ.

Ogmunt aug Fruburnr ſatu ſtein eftir Iſrgori fadur ſin, Gud bialpi ſiolu hans.

OGMUNDUS ET FRUBURNUS LAPIDEM POSUERUNT ISRGORIO PATRI SUO, DEUS ANIMAM IPSIUS JUVET.


ᚠᚱᚢᛒᚢᚱᚿᚱ & conjunctim & diviſim legi poteſt: Diviſim ᚠᚱᚢ ᛒᚢᚱᚿᚱ *Fru Burner* Domina Burnera. Sed eo ævo vix crediderim majores, honoratiores aut nobiliores matronas Dominæ titulo ſalutaſſe, vel in publicis monumentis decoraſſe. A Freja Noronis filia ortam hanc vocem refert hiſtoria Norvagica. Hæc enim formæ venuſtate omnibusq; huic ſexui competentibus dotibus illuſtris cum eſſet, ſui nominis titulum in alias virtute aut generis ſplendore coruſcas matronas derivatũ voluit. Qvod etiamnum apud nos obtinet. Sed in vetuſtioribus monumentis nondum exaratum vidi, malo igitur conjunctim legatur ut virum exprimat. In ultima hujus vocis ſyllaba eliſio eſt vocalis E, quam litera R includit, more veteribus recepto.

ᚴᚢᚦ Chriſtianum eſſe votum hoc arguit, inter vetuſtiora vix locum habebit.

III. AAKIERENSE II.

MAgis ad cippi figuram accedit alterum ejusdem parochiæ

rochiæ fragmentum, in uſum pontis pariter tranſlatum, accolis Rimebro dictum. Apice mulctatum quamvis jam ſit, nihilominus id quod reſtat, longitudinem habet ulnarum quinq; cum dimidia, latitudinem unius cum una quarta, craſsitiem duarum fermè quartarum. Figurâ oblongâ eſt, olim acutâ, obeliſcum fermè repræſentante.



Inſcriptionis reliquiæ, ut ad nos delatæ ſunt, ſic ſe habent:

ᚦᚢᚱᚠᛆᚿᛏᚱ. ᚠᚢᚦ. ᚦᚢᚱᚢᚿ. ᛆᚢᚠ. ᛒᚢᚠᛁ. ᚦᛁᛆ. ᚿᛆᛏᚢ.
ᚴᚢᛘᛚ. ᚦᚢᚿᛁ. ᛁᚠᛁᛏᛁᛆ —— ᚠᛆᚿ. ᛒᚢᚱᚢᚦᛆ. ᚠᚢᚦ. ᛡᛁᛆᛚᛒᛁ.
ᛆᛆᚴ. ᚦᛁᚿᛆ. ᛆᚢᚠ ᚠᚢᚦ. ᛘᚢᛁᛒᚿᛆᚱᛏᛚ. ᚠᛆᚿᛏᚱ.

Thur-

Thurfaſtr gud Thuru ſ aug Buſi, dir ſatu kuml duſi iſtir — *fas burudr. Gud hialpi ætn diſa aug Gud Muibſartl faſtr.*

THURFASTERUS BONUS THORI ET BUFI TUMULUM HUNC FECERUNT IN MEMORIAM — FASTI FRATRIS; DEUS FAMILIAM HANC JUVET ET MISEREATUR FASTERI.

ᚦᚢᚱᚠᛆᛋᛏᚱ legendum *Thurfaſter* aut *Durfaſter*, quaſi Thoroni Deo fidelis, appellatio paganiſmum redolens. In ultima ſyllaba E ab R abſorbetur.

ᚦᚢᚱᚢᛋ. Ultima litera ᛋ, integram vocem ᛋᚢᚾ notare videtur: legendum itaq; Thuru ſun. Thuru verò illa eſt, quam vel Thoram vel Thyram vocare ſolemus, quo nomine gaudebat præclariſsima Danorum Regina Gormonis cōjunx, de qua conſule monumentum Jellingenſe.

ᚴᚢᛘᛚ Cumulum aut tumulum denotare arbitror. In Jellingenſi eſt ᚴᚢᛒᛚ eodem ſignificatu. Quod ſi hic legendum ᚴᚢᛘᛚ, quam proximè ad latinum cumulum accedit. Huic autem ſaxo vicini ſunt monticuli ac cumuli quidam, quales ſepulturis olim deſtinarunt, quos vox hæc innuit. Ibidem primitus ſitum fuiſſe hoc monumentum, non ſine ratione arbitrantur quidam.

ᚠᛆᛋ. Abrupto ſaxi apice, periit una nomen ejus qui hoc monumentum promeruit, ex qvo hæ tres literæ tantum ſuperſunt.

ᚠᚢᚦ. Chriſtiano dignum votum.


ᛆᛏᚾ. Familiam, ſtirpem, cognationem & progeniem deſignat. Prima hujus vocis litera, valore hoc in loco reſpondere videtur Diphthongo Æ. Alioqvin hæc formula interceſsionis & voti in antiquitatibus noſtris haud infrequens eſt.

ᛘᚢᛁᛒ. &c. Hic hæreo & diligentiam ejus qui hæc delineavit deſidero. Formula quam ſubſtitui, ſenſui non repugnat, & aliis ejus generis eſt conſona. Tranſeat, donec reperiatur qui hæc & alia nobis reſtituat.

IV.

NICOLAITANUM I.

PUrpureum marmor Oelandicum, repræſentat ſaxum quod in atrio templi D. Nicolao dicati conſpicitur; cujus anguli abrupti inæqvalem nobis relinqvunt figuram; quæ quà longius ſe extendit, qvatuor ſuperat ulnas, quà latius unam cum dimidia, quà craſsius, quartam unam. Diu gleba terrena obrutum & inglorium jacuit; ſed poſt atrii reparationem, eo quo jam conſpicitur, dotatum eſt loco, illuſtriori nempè & legentium oculis obvio. Sculptura elegans ſatis ad ejus ſeculi morem, ſed inſcriptionis tenorem non facile quis aſſequetur, ex iis quæ ad nos delata ſunt. Ut accepimus, ita hiſce, paucis immutatis, reddimus.



Priora quoquo modo reſtituta, ſic non incommodè legi poſſe videntur:

ᛅᛋᚢᚱ ᛚᛁᛏ ᚱᛆᛋᛅ ᛋᛏᛆᛁᚾ ᛁᚠᛏᛁᛦ ᛅᛚᚢᛅᚱᚦ ᛁᛅᚦᛁᛚᚢ ᛋᚢᚾᛅᚱ
ᚢᚴ ᛆᚠᛏᚱ ᚼᛅᚢᛏᛁ ᛘᛆᚦᚢᚱ ᛅᛚᛅᛋᛦ. (*lask.*

Aſur lit reſa ſtein eftir Alvard jadilu ſunar ug eftir Hauti modur A-

ASUR LAPIDEM ERIGI CURAVIT ILVARDO JADILU FILIO ET HAVTÆ MATRI ASLACI.

NICO-

V.
NICOLAITANUM II.

EOdem in loco, extra tamen atrii fores, aliud ejusdem generis, coloris & mineræ conſpicitur, inſcriptione exornatum, quod pari modo è terra erutum, ingreſſuris templum conſpiciendum ſe præbet. Figura eſt acuminatâ, hinc inde abruptâ; literæ ternis circumductibus continuatis includuntur. Longitudinem penè æqvat latitudo. Illa enim ulnarum eſt duarum ſemis, hæc duarū cum quarta. Abrupta dextri lateris particula, qvam minus exactè expreſsit ſculptor, vetat quo minus inſcriptio integra exhibeatur. Sic autem habet.



ᛉᚼᛒᚢ ᛋᚢᚼᛁᚴ ᚱᚼᛁᛋᛏᛁ ᛋᛏᚼᛁᚴ ᚦᛁᛘᚼ ᚼᚠᛏᛁᚱ ᛒᛆᚢᛋᛆ ᛋᚢᚴ ᛋᛁᚴ. His interjecta ſunt mendoſa quædam ᚠᚢᚦ ᛏᚱᚢᛏᛁᚴ ᛡᛁᛆᛚᛒᛁ ᛡᛆᚴᛋ ᚼᛘᛆ ᛆᚢᚠ ᛋᛁᛚᛆ ᛘᛁᛘ.

Kobu ſuein reiſti ſtein dine ëftir Bauſa ſun ſin, — Gud Trutin hialpi hans ant aug ſila mina.

KOBU SVENO LAPIDEM HUNC POSUIT BAVSO FILIO SUO — BONE DEUS JUVA EJUS SPIRITUM ET ANIMAM MEAM.

Chriſtianum eſſe Monumentum & ſtylus, & appicta crux abundè arguunt, qvin nec ſaxi repugnat figura ſepulcralibus vulgaribus haud diſsimilis. Sed ſingulos literarum apices non aſſecutus eſt is qui primus delineavit, qvocirca quædam intacta relinqvere cogimur.


ᛉᚼᛒᚿ. Si mendum in hac voce nullum, cognomen Svenonis erit, in qvo litera ᚼ aut duplicis A, aut O valorem obtinebit.

ᛏᚱᚢᛏᛁᚴ. Dominum aut Deum notat, vox olim apud nos freqvens, ſed ejus loco jam Germanico Herre utimur. Iſlandi, priſcâ noſtrâ adhuc gaudentes lingvâ eam non reſpuunt, ſed Drotten ſcribunt: nobis adhuc familiare eſt compoſitum Jorddrot/ terræ Dominus. Vide Monumentum XIV hujus libri pag. 199.

VI.

CLEMENTINUM I.

Majorem præ ſe fert antiqvitatem cippus ille, qvi in parochia Clementina, ſecus viam regiam Aquilonem verſus conſpicitur. Saxum enim rude eſt, acuminatum, coloris griſei. Altitudine dum integrum erat, ulnas ſuperabat tres, craſsitie ulnam fermè, ejusdem quoq; latitudinis. Ferunt olim alium occupaſſe locum, ſed qvalem non conſtat. Hoc in ore omnium eſt, Villicum qui in uſus ſuos cippum hunc transferre conatus eſt, ejus mole adeò obrutum, ut rupta traha, eqvisq; laſsitudine confectis, in medio itinere ipſum relinqvere coactus fuerit. Unde etiamnum circa baſin ejus pars amputata inſcriptionis haud paucos abſtulit characteres, qui tamen collatis antecedentibus & ſeqventibus nullo negotio reſtituuntur.



BRᚢᚴ ᛅᚢᚠ ᚦᚭᛁᛦ ᚦᛅᛁRᚢ ᛚᛁᛏᚢ Rᛅᛁᛋᚢ ᛋᛏᚭᛁᚴ ᛁᚠᚢR ᚦᚢRᛚᛅᚴ ᚠᛅᚦᚢR ᛋᛁᚴ ᛅᚢᚠ ᚭᚠᛏᛁᛦ BRᚢᚦᚢR ᛋᛁᚴ.

Brun aug Thoir dairu litu raiſu ſtain iſur Thurlak fadur ſin aug eſtir Brudur ſin.

BRUNO ET THORUS LAPIDEM PONI CURARUNT THURLACHO PATRI ET FRATRI SUO.

BRᚢᚴ. Bruno, nomen non usq; adeo inſolens.

ᚦᚭᛁᛦ, Thorus verto, ᚦ n. Th valet etiam non punctatum in vetuſtioribus. Brunonis nomine inſignis erat Regis Haraldi Hylletandi Conſiliarius & ad Ringonem legatus, cujus habitum & lineamenta induiſſe ferunt Othinum, ut inter duos hoſce Reges ſemina bellorum commodius ſpargeret, Haraldo funeſta. De quo ita Saxo noſter ad finem libri ſeptimi: *Eodem tempore Bruno quidam omnium Haraldi conſiliorum unicè particeps ac conſcius habebatur. Huic ipſe & Ringo, quoties ſecretiore nuncio opus habebant, mandata credere conſueverant. Quem famili-*


miliaritatis gradum educationis & crepundiorum conſortione adeptus fuerat. Qvo fluminis cujusdam aquis, inter aſsiduos profectionum labores abſumpto, Othinus ejus nomine & habitu ſubornatus inſidioſæ legationis cura arctiſsimam reguni concordiam labefactavit. &c. Alterius qvoq; ejusdem nominis meminit lib. 14.

RᚭIᛋ⅄, Hæc ſupplenda eſſe contextus docet.

ᚠ⅄ᚦᚢR. Monumentum hoc à duobus poſitum Brunone ſcilicet & Thoro, qvorum prior Thurlaci filius, poſterior frater fuiſſe videtur. Hinc inſcriptionis hæc formula, patri & fratri poſitum pronunciat, cum tamen unicus ſaltim nominetur, cujus memoriæ ſacratum ſit.

VII.

CLEMENTINUM II.



ALterum qvod hic tractus fovet pyramidali figura, à vicino colle Lundhøy dicto translatum volunt, ad eum

qvem

quem jam occupat locum, ut per torrentem pedeſtri itinere venientibus tranſitum præbeat commodiorem. Olim dum ſuo in vigore ſtetit, monumentum ſpectabile. Dotatur enim undiq; inſcriptione, nec ullum eſt latus, quod non literis qvibusdam inſigniatur. Excurrit ſupra altitudinem ulnarum ſex, ſed latiſsima ſui parte ulnam unicam vix ſuperat, nec craſſitie plus qvam dimidiam attingit. Duabus figuris delineandum venit, qvo inſcriptionis ſeries melius pateat; geminam enim exhibet hoc tenore legendam.

ᛋᛁᛚᚠᚢᚱ : ᛚᛏ : ᚱᛆᛁᛋᛆ : ᛋᛏᚢᚾ : ᚦᛆᚾᛆ : ᛆᚠᛏᛁᚱ : ᚴᚢᚦ-
ᛒᛁᛆᚱᚾ : ᛒᛆᚾᛏᛆ : ᛋᛁᚾ : ᚴᚱᛁᛋᛏᚱ : ᚼᛁᛆᛚᛒᛁ : ᛋᛁᛆᛚᚢ : ᚴᚢᚦ-
ᛒᛁᛆᚱᚾᚢᚱ : ᛁᛚᚢᛋᚢᚾ.

ᚴᚱᛁᛋᛏᚱ. ᚼᛁᛆᛚᛒᛁ. ᛋᛁᛆᛚᚢ. ᚦᚢᚱ. ᛋᛁᛆᛚᚠᚢᚱ. ᚠᚢᚱᛋᛏ
ᚱᛆᛁᛋᛏᚱ. ᛘᛁᚴ. ᛋᛆᚼᛏᛆᛘ. ᛁᚴᛆᚦ. ᛁᚦᛁᚢᛋ. ᛆᚢᚴ. ᛒᛆᚱᛆᛏᛁᛋ.

Silſur lit reiſa ſtun dena eſtir Gudbiorn bonta ſin. Kriſtr hialpi ſiolu Gudbiornar Iluſun.

Kriſtr hialpi ſialu dur Sialſur furſt reiſtr mig ſabtam iked idius aug Beretis.

SILFUR LAPIDEM HUNC ERIGI CURAVIT IN MEMORIAM MARITI SUI GUDBIORNI. CHRISTE JUVA ANIMAM GUDBIORNI ILVI FILII.

CHRISTE ANIMAM JUVA PIÆ SIALVÆ QVÆ PRIMUM ME POSUIT — — ET BIRGITTÆ.

Quantum ex inſcriptionis ſerie colligere licet; Sialva fœmina Chriſtiana, marito ſuo Gudbiorno ethnico ex voto hoc monumentum primo poſuit, cujus animæ benè cupiens conjunx, preces, qvas vides addidit. Poſt obitum verò Sialvæ, filia aut amica Birgitta ſupremam voluntatem teſtatricis exſecutura, eam apud maritum tumulari fecit, altera inſcriptione in eodem ſaxo, hoc atteſtante. Contextus clarus, niſi in paucis ultimæ inſcriptionis, quæ noſtrum fugiunt captum aut ob literarum depravationem, aut idiomatis antiquitatem.

ᛒᛆᚾᛏᛆ. Olim dominum aut maritum denotabat, nunc


ejus compoſitum **Hußbonde** in freqventiori eſt uſu, ſenſu plane eodem, de qvo alibi dictum.

ᚦᚢᚱ. *Dyr*, nunc **dyre** pretioſus, præſtans, præclarus. Epitheton eſt Sialvæ, qvo indicatur, fœminam eam fuiſſe præſtantem, magnorum meritorum, qvæ hoc elogio digniſſima ab omnibus habita eſt.

VIII.

ROENSE.

EXſtat fragmentum purpurei cujusdam lapidis, in atrio templi Roenſis, qvod dum integrum fuit tumbam exornaſſe videtur. In eo, quia duarum ulnarum longitudinem non attingit, latitudinem vix unius, pauca reſtant elementorum lineamenta, ut dignum haud videatur, qvod locum inter reliqua obtineat. Addam tamen iisdem quibus accepi apicibus.



ᛋᛁᚾ ᚢᚴ ᛘᚢᚦ ᛋᛁᚾᛅ.

Sin ug Mud sina.

SUO ET MATRI SUÆ.


A filiis

A filiis parentibus conſecratum fuiſſe hoc monumentum, reliqviæ teſtantur. Pronomen ᛋIᚾ Maſculinum patri reſpondere videtur: ᛘᚢᚦ verò pro ᛘᚢᚦᚢR poſitum, ablata brevitatis ergo ſyllaba finali, reſpondente pronomine fœminino. Qvæ deſiderantur vix qvisquam reſtituet.

IX.

LAURENTIANUM.

ÆVi recentioris monumentum apparet, qvod muro atrii orientalioris templi D. Laurentio dicati adaptarunt. Crucem enim ejus meditullium exornantem, ambit inſcriptionis limbus à baſi in apicem & inde continuo ductu, in eandem excurrens. Duas ulnas cum dimidia longum eſt monumentum, unam latum. Depravatum valde ad nos devenit: ita vero reſtitutum lege.




ᚢᚦᚴᛂᛚ: RIT: ᛋᛏIᚾ: ᛂᚠᛏI: BRᚢᚦᚢR: ᛆᚢᚴ: ᛋᚢᚾ: ᚴᚢᚾᚢ: ᛋIᚾ.

Vdkel rit ſtin efti Brudur ang ſun kunu ſin.

VDCHILIANUS LAPIDEM SCULPSIT IN MEMORIAM FRATRIS ET NURUS SUÆ.

RIT. At Rite ſculpere & pingere notat. Vdchilianus igitur hic aut ipſe ſculpſit, (qvod verba indicare videntur) aut ſculpi curavit ſaxum hoc.

X. GYLDENSGARDENSE.



IN parochia Marckerſogn/ amnis quidam alluit curiam dictam Gyldenßgard; hic vadum tranſeuntibus, pontis vices ſubit ſaxum oblongum, anguſtum, acuminatum, rude, inſcriptione literatà exornatum; quod olim inde haud procul, ubi lapidum acervi conſpiciuntur, ſitum fuiſſe arbitrantur accolarum plæriq;. Ulnas ſex longitudine ſuperat, latitudine

dine & craſsitie unam. Cippi aut columnæ quadrangularis, apice dotatæ acuto, plane exhibet ideam. Inſcriptionis (qvantum quidem aſſeqvi licuit) hic videtur fuiſſe tenor; lapidis figura ſupra propoſita.

ᛒᚢᛋᛆ. ᛚᛁᛏ. ᚱᛁᛋᛆ. ᛋᛏᛁᚿ. ᛂᚠᛏᛁᚱ. ᛂᚢᚴᛁᛚ: ᚠᛆᚦᚢᚱ, ᛋᛁᚿ. ᚴᚢᚦᛁᛆᛏᚱ. ᚴᚱᛁᛋᛏᚱ. ᚼᛁᛆᛚᛒᛁ. ᛋᛁᛆᛚᚢ. ᚼᛆᚿᛋ.

Buſa lit riſa ſtin eftir Evkil fadur ſin, gudiatir Kriſter bialpi ſialu bans.

BUFA LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM EVCHILLI PATRIS SUI. OPTIME CHRISTE ANIMAM EJUS JUVA.

ᛒᚢᛋᛆ, nomenclatio nobis valde inſolens, qvæ mihi ſuſpicionem haud levem mendi ingerit, qvorum haud rara in hiſce Boringholmicis irrepſerunt, qvod mihi ipſi inſulam luſtrare hactenus conceſſum non ſit.

ᛂᚢᚴᛁᛚ non adeò infreqvens hæc vox, compoſita, ut videtur, ab ᚴᛁᛚ qvod appellativè fontem nobis deſignat, & ᛂᚢ ſeu ᛂᚢ qvod inſulam notat, qvaſi in inſula ſcaturientem diceres fontem. At ᚴᛁᛚ ſeu ᚴᛁᛁᛚ ut jam pronunciamus Chilianum latinè reddere ſolemus, cui particula præfigitur, qvæ forſan eum in inſula habitaſſe deſignabit.

ᚴᚢᚦᛁᛆᛏᛆ ſuperlativum procul dubio à ᚴᚢᚦᛂ.

ᚴᚱᛁᛋᛏᚱ Chriſtianam ſapit religionem. Ex eo itaq; de ætate monumenti conjecturam facere quivis poteſt; ex vetuſtioribus nempe haud eſſe, ſed inter medii ævi numerandum. Reliqua clara ſatis & perſpicua.

Plura adhuc in eadem Inſula extare novi inſcriptionum rudera, quæ aliis eruenda relinqvo, cum hæc haud ſatis accuratè deſcripta acceperim, ut debitam iis impendere operam haud licuerit.

MONUMENTORUM DANICORUM

LIBER QVARTUS

FIONICA CONTINENS.


AD ſe nos jam revocat Inſularum amœniſsima Fionia, quæ cum ſinu ſuo Eccleſiaſtico foveat inſulas duas præcipuas, Falſtriam & Lalandiam, non ſecus ac Scania Hallandiam & Blekingiam, qvæ ibidem reperiuntur noſtro inſtituto commoda, neqvaqvam ſicco pede præteribimus.

Fionia autem noſtra, Saxone atteſtante, *ſicut ab occaſu Iutiam, ita ab ortu Selandiam proſpectat, conſpicua rerum neceſſariarum ubertate laudanda, amœnitate cunctas noſtræ regionis provincias antecedens, medium Daniæ locum obtinere putatur, ab extimæ remotionis limite pari ſpatiorum intercapedine diſparata.* In ejus laudes hæc habet Lyſcander: Fionia eſt abundans opibus, frugibus, melle, & rebus neceſſariis omnibus, fortes generans & eximios bellatores, quæ ab amœnitate locorum id nominis ſortita eſt. Ejus ſunt principatus & provinciæ tredecim, quas recenſere immenſi eſſet voluminis; ſed ſolas urbes videbimus. Caput terræ Othonia eſt magna & Epiſcopalis ſedes, hanc ad ortum reſpicit Neoburgum magni nominis propter Parlamenti Danici decus & reverentiam. Superius Giretminda, & magis ad occaſum Bothonia, proximumq; huic Melfartum, ad occaſum verò & auſtrum Aſniſum, mox Foburgum, ſed ſub Brumali ortu Suineburgum. Has omnes Fioniæ civitates maritimas, Othonia qvaſi mater & Regina ab oris mediterraneis intuetur &c.

PRIMUM.

RONNINGENSE.

IN ejus provincia **Aaſumherrit** dicta, pagus extat, **Ronninge** jam vocatus, quem tranſit via lapidibus variis ſtrata, inter eos & cippum qvendam elegantem locarunt, monumento præclaro inſignitum, cujus longitudo duarum ulnarum cum dimidia, latitudo unius, inferiori ſua parte: In hunc fermè modum eum delinearunt.



ᛋᚢᛏᛁ. ᛋᛆᛏᛁ. ᛋᛏᛆᛁᚿ. ᚦᛆᚿᛁ. ᛆᚠᛏ. ᚱᛅᚿᚠᛆᛁᚠ. ᛒᚱᚢ-
ᚦᚢᚱ. ᛋᛁᚿ. ᛋᚢᚿᚠ. ᛋᛉᛅᚢᛋ. ᚱᛅᚢᚦᚢᛘ. ᛋᛉᛁᛅᚠᛏᛅ.

Suti

Suti ſati ſtain denſi eft Ranleif brúdur ſin, Sunor Skaus raudum Skialta.

SUTO LAPIDEM HUNC POSUIT FRATRI SUO RANLEIFO, FILIO SKAVONIS RUBICUNDI SCALDRI.

Monumentum hoc quod attinet, certum eſt eo in loco ubi jam reperitur neqvaqvam à poſſeſsoribus locatum. Ejus etiam documentum evidens ab accolis haurire licet, qui uno ore teſtantur è colle vicino lapidibus grandioribus cincto translatum fuiſſe, ubi erectum ſtetit, cum jam disjectum jaceat ut prætereuntibus tranſitum præbeat meliorem. Addunt verò accolæ, eo in colle tumulatum gigantem qvendam Ronne à quo pagus nomen traxit; ſed inſcriptio habet Ranleif, qvod non multum abludit, & absq; dubio tot jam ſeculorum decurſu corruptum, in Ronne degeneravit. Hic verò Ranleif Dominus fuit arcis & propugnaculi vicini Skawsbo dicti, qvod jam dirutis mœnibus nobilium qvorundam ceſsit habitationi. Narratio ab inſcriptione non prorſus aliena, cum & nomen Scávonis hic occurrat; à qvo forſan ædificata arx illa; nam Skawsbo vernaculè habitationem notat Scavonis.

ᛋᚢᛏᛁ Nomen proprium ejus qui monumentum poſuit; filius autem Scavonis & frater Ranleifi, ut abundè docet inſcriptio.

ᚱᛅᚾᛚᛅᛁᚠ Ranleifus cui tumulus & ſaxum dedicatum; quod nomen poſtea incerta narratione in Rónne degeneravit.

ᛋᚢᚾ: ᚼ: Mendum hic arbitror, & legendum ᛋᚢᚾᛅᚱ *Sunor*, id eſt filii numero multitudinis, ut ambos includat & indicet Scavonem patrem fuiſſe tam Ranleifi quam Sutonis.

ᚱᛅᚢᚦᚢᛘ ᛋᚴᛅᛚᛏᛅ. Duplici modo exponi hæc verba poſſunt. Vel ut referantur ad Scavonem, ut ſenſus ſit: Scavonem hunc cognomento dictum Raudum ſev rubicundum, & unà Poëtam ſev Scaldrum fuiſſe: vel ut ſeparatim capiantur, quia ſeparata ſunt expreſſa linea & ductu. Quod ſcilicet hu-

hujus inſcriptionis autor fuerit qvidam dictus Raudur Scald. *Raudur* idem notat qvod rubicundus Rød. Quo cognomine plures inſigniti fuêre tam apud nos qvam alios. Ita Erick *Raudur* dictus primus Grónlandiæ inveſtigator. Ubi notandum priſcos *Au* loco Diphthongi nobis familiaris Ø poſuiſſe & Iſlandos pronunciando ut Ø exprimere etiamnum. *Raudur* enim Rødur efferunt. A capillis & barba rubicundis ſic dictus, ut Ænobarbus, Barbaroſſa, &c. Qvales verò fuerint Scaldri & qvod eorum officium, fuſius in noſtra Literatura Runica & Faſtis Danicis oſtendimus.

Si conjectura noſtra poſterior locum habet; artificium in hujus lapidis ſculptura obſervatum neqvaqvam diſsimulandum eſt, qvo inſcriptionis ſeriem defunctos & hæredes concernentem, ductu in ſe recurrente expreſſerunt: Poëtæ verò nomen ſeorſim minori ſpacio, de novo qvaſi lineam inchoante. Politum hercle & meliori dignum loco monumentum, quodq; Scavboenſi prædio majeſtatem haud parvam conciliare poſſet.


SECUNDUM.
ALLERUPENSE.

IN eodem territorio & pago Allerup unico ſaltim ab Othonia diſtante milliari, occidentale templi latus occupat lapis albicans & rudis duplici inſcriptionis limbo exornatus, longitudine unius ulnæ cum ſemiſſe fermè, latitudine dimidiæ, craſsitie digitorum quinq;. Inſcriptionis hic eſt tenor.

ᛋᚢᚾ ᚦᚮᛚᚠᛋ ᚼᛆᚾ ᚼᛁᚾᛏᛁ ᛋᛏᛁᚾ ᚦᛁᚾᛋᛁ ᛆ ᛋᛆᛏᛁ ᛁᚠᛏ ᚠᛆᚦᚢᚱ ᛆ ᛘᚮᚦᚢᚱ ᛏᚢᚮᛘ.

Sun Dolffs han henti ſtin denſi a ſati eft fadur a modor tuona.

DOLFI FILIUS LAPIDEM HUNC ASPORTAVIT ET POSUIT PATRI AC MATRI SUÆ CONJUNCTIM.



A condito templo ſitum hunc qvem jam habet obtinuiſſe referunt accolæ; ſed expiſcari non licuit, cujus conditionis aut ſtatus hic Dolfus fuerit, aut an aliunde huc translatum ſaxum.

ᚦᚭᛚᚠᛋ qvidam legunt Rᚭᛚᚠᛋ, ut nomen ſit Rudolphi, qvamvis in Avensloenſi legatur pro Rudulfo Rᚢᚢᛚᚠ.


ᚼᛆᚿᛏ *henti*, aſportavit; forſan ære ſuo comparavit, ac huc deferri curavit.

ᛆ Bis in hoc Saxo litera hæc ſola poſita reperitur, adeò ut brevitatis & ſpacii lucrandi cauſa pro integra & ſatis ex ſenſu nota copulativa ᛆᚢᚠ poſitam exiſtimem. Nam & eadem de cauſa ᛆᚠᛏ pro ᛆᚠᛏᛁᛦ hic invenies.

ᛏᚢᚭᚿᛆ *tuona*. Primo hic notabis duarum notarum, in unam compoſitam coalitionem; prima enim hujus vocis nota ex ᛏ & ᚢ conſtat: deinde vocis ipſius ſignificationem ἐμφατικοτέραν, hodie tuenne / duos ſignificat, hic absq; dubio

bio ambos parentes notat. Indicare vult ſe una eademq; opera, & uno eodemq; monumento conjunctim patri & matri juſta ſolviſſe.

TERTIUM.
JULESCOENSE.



QVamvis ad hanc claſſem vix pertinere videatur illud qvod jam hiſce inſerere decrevimus, cum & lapide con-

ſtet à reliqvis diverſæ naturæ, & formâ magis artificioſâ ſit elaboratum, & literis non Runicis, ſed vetuſtioribus medii ævi inſignitum; attamen ob elegantiam, & decorem à nobis ſicco pede præteriri non debuit.

Exſtat verò hoc, in nobili qvodam prædio Julſkow dicto, provinciæ Vindingenſis, parochiæ Kullerup. Ex ſaxo molliori, qvale Gothlandicum eſſe ſolet, fabricata eſt crux, qvinq; circiter ulnarum altitudine, duas lata, qvam ambit circulus inſcriptionis continens partem, cum reliqvum teneat crucis transverſale, circulo incluſum, brachium. Perpendiculare diverſis aliis inſignitum eſt notis. Extremitates, qvatuor Evangeliſtarum obtinent nomina; ita ut ſub Luca, qui baſi aſsignatus, labyrinthi perplexi etiam conſpiciatur icon in modum ſupra propoſitum.

Inſcriptionis hic fermè tenor eſt. In circulo.

Effter Guds Byrd cIɔ c Iɔ LV ta lat Gangulff

In transverſali:

Judgrawa wigatarona oc hans Son Oluff.

A NATO CHRISTO MCDLV HAS LITERAS ET CHARACTERES SCULPI CURAVIT VULFGANGUS ET FILIUS EJUS OLAUS.

Forſan legendum *eſt;* ut hic ſit ſenſus: Vulfgangus in memoriam filii ſui Olai has Runas ſaxo incidi curavit, anno MCD LV.

Qvidam accolarum è cœmeterio huc transportatum aſſerunt, quidam è Gothlandia delatum arbitrantur; certi qvid vix habere licet. Vetuſtatem non usq; adeò magnam ſapit: nam anno MCDLV poſitum & ſculptum, inſcriptio clarè ſatis docet; anno ſcilicet octavo CHRISTIANI I. Daniæ regis, quo Elsburgum expugnavit & Suecis eripuit; Imperii Romani gubernacula tenente Friderico tertio. Unde mirari ſatis neqveo ævo tantillo, tam pulcri monumenti obliteratam memoriam.

QUAR-

QVARTUM *AVINSLOENSE.*

IN eadem Vindingenſi provincia pagus exſtat Awinßloff/ hic murus qvi cœmeterium cingit parte ſuâ Aqvilonari, qvà viam ſpectat regiam, ſaxi rudioris tenet fragmentum ulnæ unius cum dimidia longitudine, ambitu verò ſuo duas cum dimidia habens, in quo hæc exſtant.



Ab una parte ᚱᚢᚢᛚᚠ ᚼᛅᚱᚦᛁ ᚼᚢᚴ ab altera ᛋᛅᛋᛁ ᛋᛅ-ᛏᛁ ᚱᚢᚾᛅᛦ ᛋᛏᛁᚾ.

Ruulff hardi hug · *Saſi ſati Runir ſtein.*

Ex quibus hæc eruere licet: RUDOLFUS TUMULUM FECIT. SASI RUNICUM LAPIDEM POSUIT.

Quia fragmentum eſſe videtur, cui multa deſunt, non mirum ſenſum diſtortum & minus integrum eſſe. Niſi fortè ſcribentis artificium hic latitare quis putet. Vox enim ᛋᛏᛁᚾ quæ intermedia eſt, & utrinq; tres continet voces, bis videtur repetenda hoc pacto: *Rulfr hardi hug ſtein: Saſi ſati Runir ſtein.* Quod & probare videtur inſcriptio duplex oppoſitè exarata & in mediam hanc vocem terminata. Vel ita exponi poſſe videtur: *Ruulf gerdi hug: Saſi ſati Runer ſteen.* ᚼ enim in ᚼᛅᚱᚦᛁ quandoq; pro G ſumitur, præſertim ubi lineæ perpendiculari ſupernè apex acutus additur. Ab auſtraliori templi tractu collis conſpicitur, ex quo translatum hoc ſaxum. Fama eſt ibidem ſepultum gigantem qvendam

roboris ſtupendi adeò ut à nemine ſui ævi duello ſuperari potuerit: ab æmulis veneno ſublatus, hic loci tumulum & monumentum ſibi elegit.

ᚱᚢᚢᛚᚠ ᚼᛅᚱᚦᛁ, Quod ſi hæc probatur lectio, cum accolarum convenit narratione, ut Rudolfus hic cognomen ᚼᛅᚱᚦᛁ ſeu Duri, ob inſigne robur promeruerit. Erit igitur ᚱᚢᛚᚠ ᚼᛅᚱᚦᛁ ſepulti nomen proprium. Sic ᚼᚢᚠ referendum ad alia qvæ deſunt, ut ſenſus ſit: Rudolfus Durus proſtravit N: Alioqvin & hæc lectio non usqve adeo abſona: ᚱᚢᛚᚠ ᚠᛅᚱᚦᛁ ᚼᚢᚠ Rudolfus tumulum fecit: ut non ſepulti, ſed ejus qui Monumentum fieri fecit, ſit nomen, ut ſupra notatum. In R notetur ejus coalitio cum ᛅ.

Mendoſe hic qvædam deſcripſit Anagnoſta: qvocirca in ᛋᚼᛏᛁᚱ pro ᚼ lego ᛅ. Facilis namq; unius tractus fuit adjectio ut ſupra, & infra in ᛋᛏᚼᛁᚾ ubi legendum ᛋᛏᛆᛁᚾ.

QUINTUM
FLEMLOSENSE.

TRactus Dominii Baagherrit inter reliqvos pagum tenet Flemloſz nomine; in hujus cœmeterio ſaxum reperitur rude, tres ulnas longum, duas cum dimidiâ latum, inſcriptione quaterna conſtante ſerie dotatum, in modum infra propoſitum.


ᛆᚠᛏ ᚱᚢᛚᚠᛋ ᛏᚬᛏᛦ ᛋᛏᛆᛁᚾ ᛋᛅᛅᛁ ᛁᛋᚢᛅᛋᚾᚢᛦ ᛅᚠᚢ·ᚦᛁ ᛋᛅᛏᚢ ᚱᚢᚾᛁᛦ ᛆᚠᛏᛁᛦ ᚠᚢᚼᛦ ᚠᛅᛅᚦᛁᛦ.

Ita lego: *Eſt Rulfs Doter ſtein ſati Iſvasnur ug Guthi ſatu Runir eftir Fuhir Fadir.*

IN MEMORIAM FILIÆ RUDOLFI LAPIDEM HUNC POSUIT ISVASNUR ET GUHTI RUNAS POSUIT FUHIRO PATRI.

Translatum hoc ſaxum eſt à vicino colle magno & amplo, referentibus accolis; vetuſtate adeo eſt exeſum, ut ductus multos, imbres tempeſtatumq; corruperint violentiæ, qvocirca quædam in hunc modum reſtituenda.

ᛆᚠᛏ



ᚼᚹᛏ, legendum ᚽᚹᛏ pro *eſtir*.

ᛋᚼᛋI lego ᛋᛅᛅI *ſati*, hoc enim ſenſus comprobat, facilis fuit lapſus cum ex ᛅ factum ᚼ unica addita linea, rudioris ſaxi exeſa hinc inde ſuperficie.

Iᛋᚢᚼ neſcio an per Iſach interpretari liceat: vocales confudiſſe veteres, præſertim cognationem aliqvam habentes, certiſsimum eſt; ſed conjungendum cum ᛋᚾᚢᛅ *Snuro*, non refert quod ultima litera in lineæ ſeqventis ſit transpoſita initium, cum Orthographiæ rationem adeo accuratam non habuerint majores.

ᛅ Hanc literam pro voce ᛅᚢᚠ poſitam reor, exempla enim ejus rei, ſuperius propoſitum Allerupenſe exhibet monumentum.

ᛋᚢᚾᛅ lego RᚢᚾᛅR literas & inſcriptionem; ſenſu non repugnante.

SEX-

SEXTUM
ALBECCENSE.

LUndenſis provincia, parochia **Otterup** amnem habet, pagos **Fremmerſløff** & **Niſløff** interlabentem, ab angvillarum copia **Aalebeck** dictum. Ut hic tranſitus eſſet commodior, ex variis congeſtis ſaxis pontem fabricarunt, atq; inter ea unum exſtat rudi & incondita figura, punicei coloris, pari fermè longitudine, latitudine & craſsitie; ad ulnæ enim undiq; accedit menſuram, niſi quòd ſesquiulna ſit oblongior. In hoc hæc exſtant in latere planiori, ductu obliqvo transcurrentia, prioribus duabus literis minoribus aliquanto.



ᛒᚢᚱᚢ ᛆᚠᛏᛁᛦ ᛆᚢᚱᚴᛆ.

Buru eſtir Eurka.

PONS IN HONOREM EVRKA.

Clariſsimus Stephanius exiſtimat illud ᛆᚢᚱᚴᛆ non nomen proprium Viri eſſe ſed amnis ut ſenſus ſit: PONS STRATVS SVPER AMNEM EVRKAA.

Seniores accolæ ferunt hunc lapidem in amnis ripâ ſeptentrionali figurâ erectâ ſtetiſſe, ita ut literæ occidentem ſpectaverint; jam verò ſitu disjectus cubat. Narratio probabilis, cum inſcriptio loco reſpondeat, & non infreqvens majo-

ribus noſtris fuiſſe in memoriam amicorum etiam pontes erigere & fabricare, alibi demonſtravimus. Veriſimile itaq; alveum hujus amnis ampliorem fuiſſe qvàm jam appareat, ac hujus Raurkæ poſteros, fundi forſan dominos, publicæ utilitati ſtudentes, pontem hic viſendæ operis in ejus memoriam ſtruxiſſe.

BNRN jam Broe pontem notat. Quod ſi in tumulo aut colle ſitus eſſet hic lapis, per pontem, ſepimentum ſev *κρηπῖδας* intelligerem, ut ſupra in Stróenſi.

Plura mihi Fionia non ſuppeditavit, hinc igitur digreſſionem in Lalandiam facere cogor.

LALANDICA.

LAlandia Ducatus eſt (inquit Lyſcander) à quadruplici " inhabitata gente, totidem civitatibus inſignis: Nahe- " ſco, Saxopinga, Mariæonia, & Neoſtadio.

In ejus laudes fusè ut nos diffundamus, minus neceſſari- " um arbitramur, cùm ubertate frugum, & glebæ fertilitate ubiq; locorum ſit commendatiſsima. Nec inſtituti noſtri id poſtulat ratio, ſiquidem ea ſaltim quæramus, quæ ad priſcam noſtram Literaturam illuſtrandam, qvomodocunq; facere poſſunt.

PRIMUM
TILESENSE.

AVſtraliorem hujus Inſulæ tractum, ut primo luſtremus, in eo exſtat inter reliquos, pagus Tiletſe dictus, monumento decoro & memorando inſignitus, de quo ampliſsimo & nobiliſsimo Norvegiæ proregi Dno. CHRISTOPHORO URNE Domino de Aaſmarck / Regni Daniæ Senatori prudentiſsimo, olim meam aperui mentem. Quæ igitur tum conſignavi, totidem hic referam verbis, ut res ſit illuſtrior.

Ampliſſimo & Nobiliſſimo

Norvegiæ Proregi,

DOMINO CHRISTOPHORO URNE

de Aaßmarck/ Regni Daniæ Senatori prudentiſſimo, Agershuſii præſidi Regio,

Fautori meo magno

S.

MOnumenta patriæ noſtræ antiquiora ſollicitius inqvirenti & examinanti, inter alia egregium & ſpectatu digniſſimum in Lalandia occurrebat, qvod cum antiquiſſimæ & nobiliſſimæ tuæ familiæ, Prorex inclute, inſignia præ ſe ferre mihi videbatur, non potui non accuratiori ſtudio ſingulos ejus apices & tractus luſtrando conſiderare, ac quid nobis inſcriptio promitteret, diligentius inveſtigare. Tùm ut Te, Vir maxime, Urneorum decus eminentiſſimũ (qvem ut omnis melioris literaturæ ſtudio, ita venerandæ antiquitatis ardore indefeſſo, ſemper flagraſſe ſcio) de eo certiorem redderem: tùm ut inter alia ejus cenſus locum non poſtremum, in noſtro antiqvorum Daniæ Monumentorum commentario eò obtineret commodius, meæq; in te obſervantiæ & hic exſtaret *τεκμήριον*. Iniqvum ratus ſum tantum tamq; ſplendidum antiqvitatis familiæ veſtræ documentum tam diu cum tenebris luctari, tyrannidiq; cæmentariorum, aliorumq; hiſce *μνημείοις* inſidiantium, adhuc objectum eſſe. Si igitur mea qualicunq; opella lucis aliqvid ei accedere poſſet, eam eò lubentius accommodare me debuiſſe profiteor, quo majora Urnorum in me ſemper extitere merita. Te verò hic arbitrum, Te curarum cenſorem imploro, nec dubito qvin veniam dabis ſi (inſigni tua tot annorum in me humanitate & benevolentiâ confiſus) à gravioribus regnorum curis, ad hæcce oblectamenta, avorumq; tuorum, magnaanimi virtute promerita trophæa, pauliſper luſtranda ſevocavero. Animus certè meus ad invidiam usq; tot tuis univerſæ-


verſæq; familiæ veſtræ obrutus beneficiis, non poteſt non in eorum recordatione ſubinde efferri, & gratitudinis aliquam, leviorem licet, poſt ſe relinquere notam. Quam & hic proditam, & olim uberiori documento propalandam G. T. in meliorem partem interpretaturum planiſsimè confido.

Eſt in auſtrali Lalandiæ territorio pagus quem vulgo Tiletſe vocant accolæ, templo & cœmeterio ſpatioſo exornatus in hujus muro meridiem ſpectante adaptatum reperitur ſaxum faſtigiatum, rudiuſculum, colore ad puniceum accedens, & quatuor quaſi lateribus præditum, qvorum quodq; ſuis notis & characteribus exornatur. Altitudine duas ſuperat ulnas Selandicas, latitudine unam cum dimidiâ, craſsities tanta, ut duos characterum ordines commodè capere poſsit, quartarum nempè duarum circiter. Quà ortum, occaſum & auſtrum ſpectat, priſcorum noſtrorum dotatur elementorum ductibus & planius eſt; quà boream rudius, inciſis lineamentis Aquilini pedis oſtentans effigiem. Ab imo ad ſummum excurrunt literaturæ ſulci, ſed occaſum ſpectantes altius aliqvantò reliquis à baſi ſunt elevati. Magnitudo literarum eximia, conſpicua, ſaxo reſpondens, & ſæculi iſtius robur repræſentans. In ortiva tamen & occidua plaga minores videntur aliqvantò, quam in auſtrali, eò qvod hæ anguſtiores multò reliquis, majoribus capiendis non videbantur ſufficere. Sed ipſius monumenti ante oculos poſita idea rem planiùs & plenius repræſentabit.

Primum & auguſtius latus auſtrum ſpectans, quatuor characterum majorum ordinibus dotatum, inæquali ſerie hæc exhibet.

ᛂᛋᚴᛁᛚ : ᛋᚢᛚᚠᛅ : ᛋᚢᚿ : ᛚᛏ : ᚱᛂᛋᛁ : ᛋᛏᛁᚿ : ᚦᛁᛋᛅ : ᛂᚠᛏ
ᛋᛁᛅᛚᚠᛅᚿ : ᛋᛁᚴ : ᛂᛘᚢᚿ : ᛋᛏᛅᚿᛏᛅ : ᛘᛂᚦ : ᛋᛏᛂᛁᚿ : ᛚᛁᚠᛁᛦ :
ᚢᛁᛏᚱᛁᛁᛏ : ᛋᚢᚿᛂᛦ : ᚢᛅᚿ ᛂᛋᚴᛁᛚ.

Eskil ſulſa ſun lit reſi ſtin diſa eſt ſialſan ſig, Emun Stanta med Stein Lifir Vitriit ſuner van Eskil.



ESKILLUS SULFÆ FILIUS SIBI IPSI HUNC LAPIDEM POSUIT. EMUNDUM, STENTONEM CUM STENLIFERO VITRITI FILIOS VICIT ESKILLUS.

Huic reſpondens alterum ad occaſum vergens latus anguſtius multò hoc, & duobus ſaltim literarum ordinibus conſpicuum, hoc addit votum:

ᚴRIᛏR. ᚼIᛅᛚBI. ᛋIᛅᛚ. ᚼᛅᚾᛋ. ᛅᚢᚴ. ᛋᛅᚾᛏᛁ. ᛘIᚴᛅᛁᛚ.

Kriſtr hialpi ſiol hans aog ſante Mikael.


CHRISTE JUVA ANIMAM EJUS ET SANCTE MICHAEL.

Orientale eſt tertium, itidem duos obtinens ordines: ſed novâ & ad hanc non pertinēte inſcriptione his notis conſtāte:

ᛏᚢᚴI. RIᛋᛏI. RᚢᚾᛁR. ᛅᚠᛏIᛦ. ᚦᛁᚾ. ᚴᚢᚦᛅ. ᛋᛏIᚢB ᛘᚢᚦᚢR. ᛋIᚾᛅ.

Toki riſti Runer eaftir denu gode Stiub Modur ſina.

TOKO



TOKO RUNAS INCIDIT IN MEMORIAM BONÆ STIUBÆ MATRIS SUÆ.

Ultimum latus qvod Aquilonem ſpectat & reliquis rudius eſt, nil niſi pedis aquilini oſtentat lineamenta, familiæ hic ſepultæ, procul dubio, inſignia avita.

Preſsius jam ſingula luſtremus, ut quid rei ſubſit felicius eruamus.

ᚼᛋᚴᛁᛚ. ᛋᚢᛚᚠᛆ. ᛋᚢᚿ. Eſchilli nomen ut noſtratibus familiare, etiam hiſce temporibus; ita Sulfæ exoletum. Clarè ſatis patris & filii hic expreſsæ appellationes, ut ſeries familiæ pateret, & noſter hic ab aliis *ὁμονύμοις*, qui tum vixerunt, diſtingveretur accuratius.

ᛚᛆ. ᚱᚽᛋᛁ. Poni, aut erigi curavit. Non enim ipſe ar-

chitectus fuit hujus monumenti; ſed ut heros inclutus, opulentus & dives, ſuis ſumptibus conquiſitam molem loco aptari, ſculpi & erigi curavit. Notandi hic veniunt loquendi modi, crebro in his occurrentes, verbis quidem affines, ſed ſenſus diverſiſsimi: RᚼIᛋᚦI poſuit, de fabricatore dicitur: ᛚᛅ RᛅᛋI de Domino ſumptus faciente & ad fabricam conferente; RIᛋᚦI de ſculptore.

ᛅᚠᛏ. ᛋIᛅᛚᚠᛅᚴ. ᛋIᚠ. In ſui ipſius memoriam. Et hoc peculiare. Defunctis hæredes monumenta ſtruere ſolent & poſteri: nobis verò ipſis non niſi prægnantibus de cauſis hoc officii præſtare ſolemus. Sed hic obtinet illud Plinii lib. 6. Epiſt. 10: *Tam rara in amicitia fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipſi nobis debeamus etiam conditoria exſtruere, omnia hæredum officia præſumere.* Quod vel maximos imperatores impuliſſe videmus, ut monumentis ſtupendis & in hunc usq; diem exſtantibus cippis meritorum ſuorum memoriam ad poſteros vivi transferre maluerint, quam nepotum lubricæ id committere fidei. Hinc Auguſtus Cæſar, teſte Suetonio, vivus ſibi Mauſolæum condidit, & Hadrianus Romæ juxta Tiberim ſibi monumentum fieri curavit, qvod *Moles Hadriani* vulgo dictum, hodie *Caſtellum S. Angeli.* Nec imperatores modo, ſed etiam patritios & cives hoc factitaſſe teſtantur nobis relictæ inſcriptionum formulæ. Elegans illa eſt quæ extat in Epigram. antiq. urbis olim in regione Arenulæ; at jam Patavii apud S. Bartholomeum in ædibus Torquati Bembi ut vult Schraderus.

L. VALERIUS ZABDÆ MERCATORI VENALITIARIO.
SEV. STUPOR. HUIC. STUDIO. SEV. EST. INSANIA. NOMEN
OMNIS. AB. HAC. CURA. CURA. LEVATA. MEA. EST,
MONUMENTUM. ABSOLVI. HOC. IMPENSA. MEA.
AMICA. TELLUS. UT. DET. HOSPITIUM. OSSIBUS.
QVOD. OMNES. ROGANT. SED. FELICES. IMPETRANT.
NAM. QVID. EGREGIUM. QVIDVE. CUPIENDUM. EST. MAGIS.
QVAM UBI. LUCEM. LIBERTATIS. ACCEPERIS.
LAPSUM. SENECTÆ. SPIRITUM. IBI. DEPONERE?
QVOD. INNOCENTIÆ. SIGNUM. EST. MAXIMUM.

Nu-

Nuceriæ quæ viſitur à fœmina ſibi & marito dicata, ſpe-ctatu qvoq; haud indigna.

ALLIA. QVIETA
VIVA. FEC. SIBI. ET
L. AVRELIO. FORTUNATO
CONJUGI.

Caſtellana urbs in Provincia Galliæ & hoc obtinet, breve qvidem; ſed præclarum.

JULIA. FUSCI
NIA. OSSUA
RIUM. VIVA.
SIBI. FECIT.

Adeò verùm illud quod de Teſt. Anim. cap. 4. habet Tertullianus. *Quis non hodie memoriæ poſt mortem frequentandæ ita ſtudet, ut vel literaturæ operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulchrorum ambitione nomen ſuum ſervet?* Eſchillum igitur noſtrum, ſibi ipſi monumentum fabricare curaſſe, non eſt qvod miremur, præſertim ſi momenta diligentius ponderaverimus, qvibus impulſus opus hoc ſit aggreſſus, quæq; in ſequentibus exhibet inſcriptio.

ᚼᛘᚢᚴ &c. ᚢᛅᚴ ᚼᚺᛉᛁᚠ. Longum hic vides catalogum hoſtium ab Eſchillo ſuperatorum; magnoq; animi robore protritorum. De qvibus (ne invidiæ rubigine tam ſplendidum facinus obduceretur) non immeritò hiſce triumphat noſter. Duplici qvocirca munere defungi hoc ſaxum arbitror. Et trophæum reportatæ de hoſtibus victoriæ exhibet, & monumentum familiæ conditorio appoſitum, præbet. Quod qvia hac formula à poſteris ſibi poni poſſe diffidebat, ita conceptum ipſe ſuperſtes adhuc publicari maluit.

ᚢᛅᚴ à verbo Jeg vinder/ ſupero, vinco. Quidam Ven legunt, ſenſu planè contrario, qvaſi enumerati amici fuiſſent Eſchilli, non verò devicti hoſtes. Sed repugnat tum Orthographia, tum aliorum ejus generis conſenſus. Nuſpiam præterea in toto hoc monumento E literam per I tranſverſa ornatum,

tum, notatum invenies, ſed per punctatum. Vide ſis ᚼᛁᚽᛘᚠᛅᚴ, ᛁᛅᚠᛏᛁR. &c. Et quid attinet in monumentis, amicorum longum enumerare catalogum, cum hoc peculiare non ſit, aut memoria dignum; ſed omnibus omnino & tenuioris & lautioris ſortis hominibus commune, amicos habere & inimicos?

ᚴRIᚿᛏR &c. Chriſtianum arguere videtur hæc clauſula, ſi ipſius Eſchilli juſſu addita. Sed ſuſpicor à Tokone paternæ ſalutis ſtudioſo filio (qui & matri ſeqventia dedicavit) hoc, pio Zelo, expreſſum fuiſſe votum.

ᛏᚮᚴI. Nova hic ſeqvitur inſcriptio, ætate priorem, ut videtur, non attingens. Non enim usq; adeò infreqvens, in eodem ſaxo diverſis (ſed ejusdem familiæ aut cognationis) hominibus, titulos ponere memoriales. Ne longius vagemur, exemplum tibi præbebit Tyrſtedenſe ejusdem Lalandiæ. Hic verò Toki ad modernam vocis inflexionem Tycho aut Tucho dicendus, filius Eſchilli ex Stiuba matre. Tokonis nomine à Saxone plures celebrantur, ſed an huc ſpectent valde dubito. Libro VII Tokonis cujusdam pyratæ meminit, ingenii vegetis. Libro eodem circa finem, ſervum ejusdem nominis ab Olone artuatim confractum memorat. Sed libro X mira de Tokone ſagittandi arte peritiſsimo refert, quæ haud indigna ſunt curioſis auribus. Lib. XVI Toko qvidam *matre Sygne ortus* producitur, *Vir natu & facundia juxta nobilis, primaque Regis amicitiâ præditus*: qui an huc trahendus non liqvet. Eodem libro mentio fit Tokonis Epiſcopi Burglanenſis, qvem etiam poſt Vendilenſium vocat Pontificem.

RIᚿᛏI diverſum à RIIᚿᚦI. Hoc enim erigere, illud ſculpere & incidere notat; quod rectiſsimè de Runis ſeu literis ſaxo inſculptis dicitur. Forſan Toko hic ſculpendi arte eo ævo excelluit. Quia de hac voce plura ſupra notavimus: hæc hic ſuffecerint.

RᚢᚾᛅR, *Runar*. Sic olim vocatas literas genti Dani-

cæ

tæ & toti ſeptentrioni peculiares, nemo in patria eſt qui ignorat. Sed quia ex profeſſo de hujus vocis notatione in Literatura noſtra Danica egimus, hic nihil addam, niſi ut moneam, peculiariter hoc in loco per Runas intelligi inſcriptionem literis Runicis, ſeu priſcis Danicis huic ſaxo inſculptam.

ᛋᛏᛁᚢᛒ. Stiuba nomen eſt matris Tokonis; conjugis (ut arbitror) Eſchilli, cui hæc pietatis ergò, à filio poſita.

De pede aqvilino rudiori minerva (ejus ſæculi artifices arguente) ultimo inſculpto lateri, dum diſpicio, non poſſum qvin exiſtimem inſignia repræſentare, tam Eſchilli hic ſepulti, quam totius familiæ. Nam & in aliis hoc obſervare datum. Quocirca præcipua & antiqviora nobilitatis Danicæ excutienti Symbola, nullum occurrit, cui magis quadret, quam iſti, quod præclariſsimæ Urneorum genti in clypeis adhuc familiare, & longa avorum memoria ad poſteros propagatum; ut non dubitem aſſerere Eſchillum hunc, filiumq; Tockonem ſive Tychonem præcipua ejus ſeculi Urneorum fuiſſe lumina, eoq; nomine hoc ſaxum eidem familiæ jure meritoq; vindicandum.

Nec eſt qvod quis ſuſpicetur recentius Urneorum eſſe nomen, quam ut hoc ſibi aſſerere valeat elogium. Conſtanti enim omnium ſermone inter antiquiſsimas recenſetur Danorum familias; & Aimoinus autor vetuſtus lib. 4. cap. 97 teſtis eſt locuples, tempore Caroli Magni circa annum Chriſti DCCCX extitiſſe ejus nominis & ſtirpis in Dania complures, prudentia, fortitudine, rebus domi foriſq; præclarè geſtis conſpicuos. Ex quibus à Rege Hemmingo ad Imperatorem qvidam ablegatus eſt, ut fœdus & amicitiam utrinq; ſanciret conſtantem; qui & re ex animi ſententia confecta, ſalvus domum rediit. Quod & in Atlante ſuo, de Dania agens, rectè annotavit Gerardus Mercator Geographus præſtantiſsimus & magni nominis. Et ex hiſce demum Johannes Adolphus Cypręus Annalium Epiſcoporum Sleſvicenſium libro 1: *Cum autem*, inquit, *Carolus Magnus Roma reverſus ut Saxones & Friſios liberaret, in ipſum arma decreviſſet, res per utriusq; Conſilia-*

 rios

rios, inter quos fuiſse fertur quidam ex nobili familia Danica UHRN *(quæ etiamnum floret) transacta eſt, ita ut in poſterum fines Daniæ & Saxoniæ Eidora terminarentur.*

Matthiæ Vrne meminit Catalogus Epiſcoporum Sleſvicenſium. Is enim ad annum MCCXXXVIII, cum aliis interfuit tranſactioni, factæ ab Epiſcopo Tychone inter fratres Cœnobii Holmenſis & virum celebrem eo ſæculo Ubbi nomine. De quo conſule Huitfeldium noſtrum.

Magiſter *Iohannes Vrne* Præpoſitus Otthonienſis in cauſis decidendis vicibus Epiſcopi Caroli Rónnov circa annum Chriſti MCCCCLXXIX magna cum laude defunctus eſt.

Si igitur ex allatis circumſtantiis quidpiam de ætate hujus monumenti colligere datur, mox poſt idololatriæ in his oris abrogationem, & cultus divini inſtaurationem poſitum, arbitrari licet, rerum in Dania gubernacula tenente Svenóttone Rege, circa annum à nato Servatore milleſimum. Quam quidem conjecturam ratam haberem, niſi me retraherent literarum punctatarum freqventior in eo occurſus, qui (ſi vulgatæ & inveteratæ ſtandum opinioni, qva Woldemaro Daniæ Regi victorioſo earum adſcribitur inventio) ultra annum Milleſimum ducenteſimum à nato Chriſto illud extendere non permittet.

Accolarum jam nullus eſt qui genuinum ſaxi ſitum ac locum deſignare novit. Ego quidem in ipſo cœmeterio à primâ fabricâ locatum crediderim, ſed muro nequaquam adaptatum. Quod cum factum inſcriptionis magna pars occultata, & ad uſus plane alienos translatum eſt monumentum. Verbo dicam quid ſentiam. Fundum in quo templum & cœmeterium jam viſitur, Urnorum olim fuiſſe, eoq; in loco, utpote in propria poſſeſsione tumulatum fuiſſe Eſchillum ejusq; majores, arbitror. Atq; hinc nepotes Chriſtianis ſacris addictos, tractum hunc divinioribus cultibus dicaſſe: utq: donationis monumentum aliquod extaret perennius, ſaxum hoc loco non moviſſe. Longo demum temporis tractu, obliteratâ dominii memoriâ & re templi anguſtâ id po-

ſtu-

ſtulante, muri partem conſtituere eſt coactum à cæmentariis, aliisq; nullum venerandæ antiquitatis reſpectum habentibus. Hunc ei niſi ſors æquior indulſiſſet locum, forſan jam penitus confractum, obliteratum, aut devaſtatum fuiſſet, noſtraque planè, ut alia multa, exemptum curâ.

Hoc verò ut ſtatuam, vel illud movet, qvod ex ſepulchris templa initium ſumſiſſe arbitrati ſunt viri præſtantiſſimi, inter quos Euſebius & Lactantius. Quâ de re Clemens Alexandrinus in Protreptico hæc refert: *Superſtitio templa condere perſuaſit, quæ enim prius hominum ſepulchra fuerunt, magnificentius condita, templorum appellatione vocata ſunt. Nam apud Lariſſeam civitatem, in arce, in templo Palladis Acriſii ſepulchrum fuit, quod nunc ſacrarii loco celebratur. In arce quoq; Athenienſi, ut eſt ab Anthioco in nono hiſtoriarum ſcriptum, Cecropis ſepulchrum fuit. In templo verò Palladis, quod Poliadæ Græci appellant, jacet Erichtonius. Iſmarus autem Eumolphi atq; Diairæ filius in Eleuſina una cum Celei natabus, ſepultus.* Sic paſsim apud nos in oppidis & pagis ſepulchrorum colles, aut templis vicini, aut ſub ipſis. Inſerta quin etiam muris priſca Literatura noſtra decora Epitaphia, idem teſtatum reddunt.

Quod ſi nobiliſsimi Viri & de Academia Hafnienſi optimè meriti Domini *Lagonis Urne* olim Epiſcopi Roſchildenſis Reverendiſsimi, adhuc in familiâ veſtrâ extarent commentationes, non dubito quin hiſce aliisq; multis lucem eſſent allatura ſplendidiſsimam. De eo enim, utpote literatiſſimo, literarumq; fautore ſummo, hæc in veteri exſtant Academiæ Matricula ad annum MDVII: *Feria quinta proxima* (poſt XXV Maji) *diſputavit nobilis* LAGO URNE *artium & decretorum Doctor, Roſchildenſis Cantor, Lundenſis & Arhuſienſis Canonicus, de immunitate Eccleſiarum in majori domo conſulatus Hafnienſis in præſentia Legatorum Regis Scotiæ & aliorum, ſumma cum laude.*

Domus hæc major Conſulatus, illa eſt in qua jam habitat Epiſcopus, olim à Rege Univerſitati donata, ut Auditorium eſſet publicum, in qvo lectiones & exercitia in juventutis

commodum haberentur jugiter. Verum ab oppidanis, non ita in partes literatorum, more ſuo, inclinantibus, de eadem hac domo variæ motæ ſunt lites & contentiones, adeò ut etiam vi & armata manu eam Academiæ ſubtrahere non ſint veriti, abſente Rege Johanne, quidlibet pro ſuo arbitrio perpetrantes. Cauſâ tamen cognitâ, mox anno ſeqventi, graviter mulctati, eam Academiæ reſtituere ſunt coacti, Quâ de re ita Matricula noſtra ad annum MCCCCLXXXI: *Circa feſtum Botulphi propoſuit Conſulatus Hafnienſis recipere antiquam domum conſulatus, à Rege Chriſtierno pro uſu Univerſitatis conceſſam, manu violenta, quod per Reginam Chriſtinam compoſitum, & negotium ſuſpenſum usq; ad reditum Regis, ſed Rege & Regina non præſentibus inſtitutum compleverunt, & circa feſtum Dionyſii Rege abſente Esbernus* Skaffuc *Proconſul Hafnienſis eripuit Univerſitati domum conſulatus.* Et mox ad annum ſequentem MCCCCLXXXII Rectore Erico Nicolai Artium & Decretorum Doctore hæc adduntur: *Feria ſecunda ante converſionem Pauli Esbernus* Skaffuc *Proconſul Hafnienſis in placito publico coactus fuit literis Regiis, reſtituere Univerſitati antiquam domum conſulatus.* Huic domui conſulari demum pars altera addita, quæ in Matricula nova dicitur Univerſitatis domus, illaq; eſt quæ adhuc inſcriptione exornata cernitur, rudi licet ejusq; ſæculi ſtylum redolente, noſtri tamen ævi merita haud diſsimulante. Sic enim habet.

Anno milleno quingenteno & duodeno
Conditur hæc ædes, doctis aptiſſima ſedes,
Antiſtes moritur Roſchildenſis, ſepelitur
Illic, morte comes Jacobo cum fratre Johannes.
Eligitur Lago præſul, pietatis imago.
Huic, cum ſuccedit devotus Clerus obedit,
Sclavi cum Danis componunt fœdera pacis

Dacia

Dacia lætatur, pax quia tuta datur.
Hiſce plura lege ſub Principe facta Johanne
Quid referam pluris Princeps eſt - - -
Spes eſt ille patris, eſt dominusq́; maris.


Nec hunc ſolum *Lagonem Vrne* Academiæ ex veſtra familia peculiariter patronum datum invenio, ſed & *Nicolaum Vrne* equitem Danum & Præpoſitum Lundenſem ſceptra Academiæ tenuiſſe & Rectoris magnifici officium ſuſtinuiſſe magnâ cum laude comperio. Quem Gysbertus Longolius *Virum perfectiſſimum, moribus compoſitiſſimum inſigni eruditione ornatiſſimum, generis conditione domi non ſolum nobiliſſimum, verum & conſpicuo dignitatis gradu ampliſſimum*, in præfatione Notarum ſuarum in Ovidii Metamorphoſin vocat; *tantæ eruditionis & humanitatis fuit, ut cum literatiſſimis ſui ævi, de variis rebus per literas conferre non ſit dedignatus*, aſſerente eodem autore cum quo familiariter vixit, ut ex dedicatione Coloniæ Agrippinæ dicti operis liquet. Sub eo qvoq́;, anno MDXXIX civitate Academica donatus *Abſolon Vrne*.

Quamvis hæc remotiora aliqvantum à noſtro monumento cuipiam videbuntur, talia tamen ſunt, quæ in laudem familiæ veſtræ vergant, quæq́; cum ubivis obvia non ſint, non potui non hiſce ſubjicere, ei qui gentis noſtræ hiſtoriam meditatur particulariorem, forſan olim profutura. Vale familiæ decus, & Wormii tui conatibus porro favere perge. Haffniæ V Calend. Sextil. Anni MDCXXX.

SECUNDUM
BRIGNINGENSE.

Elegans & hoc eſt quod Borealior muri pars, quæ cæmeterium cingit Brigningenſe, oſtentat. Pagus autem hic eſt provinciæ Mußherrit dictæ Lalandiæ. Saxum

ipſum rude quidem, ſed planum juxta baſin, latitudine duarum ulnarum, & totidem altum, deſinit verò in conum anguſtiorem. Facies literata ſic ſe habet.



ᛋᚢᚿᛆᛦ. ᛏᚢᚴᛆ. ᚼᛆᚴᛚᛁᚴᛋ. ᛋᚢᚿ. ᛋᛁᚿ. ᛆᚢᚴ. ᛆᛋᛆ. ᚴᛁᚱ-ᚦᛁ. ᚴᚢᛒᛚ. ᚦᚢᛋᛁ. ᛁᚠᛏ. ᛏᚢᚴᛆ.

Suner Tuka Hakleks ſun ſin auk Aſa gerdi Kubl duſi eft Tuka.

SUNAR TUCONIS HAKLEGI FILIUS ET ASA TUMULUM HUNC IN HONOREM TUCONIS FABRICARUNT.

Aſſerunt accolæ plæriq; lapidem hunc è vicino colle translatum ad cœmeterii ſtructuram patrum memoriâ. Quod & inſcriptioni conſonum: expreſsè enim in tumulo quodam fuiſſe arguunt literæ. Addunt, ibidem ſub eo, in colle, ubi primitus ſitus erat, repertam forpicem ex ferro fabricatam, quæ ſine dubio cum aliis κειμηλίοις illata

ab

ab hæredibus fuit. Quem inferendi ritum aliàs pluribus expoſuimus.

ᚼᛅᚴᛁ ᛅᚢᚴ ᚼᚢᚾᛅ. Hic & patris & tumulati expreſſum habemus nomen, licet vetuſtatem majorem & gentiliſſimum ſapiat monumentum.

ᚼᛁᚿ ᛅᚠᛦ ᛅᚼᛅ Emphaticè admodum conjunctim à filio & conjuge defuncti monumentum hoc poſitum teſtatur. Superius ſibi ipſi vivus; hic filius & uxor defuncto juſta ſolvunt.

ᚴᚢᛒᛚ cumulum notat ſeu collem, quem ſupra defunctorum, præſertim magnatum cadavera, vario ritu extruere ſolebant. Eandem vocem in Haraldino monumento invenies, inter Cimbrica: quandoq; ᚴᚢᛘᛚ vocant.

TERTIUM
SCOLENGENSE.

PRovincia Fuelſcherrit dicta, haud contemnendum nobis exhibet, in via quæ lapidibus ſtrata cernitur inter pagos Skolenge & Gurbij. Saxum enim inter reliqua ibidem viſitur rude, quà ſe longius extendit ad menſuram duarum ulnarum cum dimidia excurrens, quà verò latius, ad ulnam cum dimidia. Inſcriptionis tenorem hunc præ ſe fert.



ᚼᚢᛏᛁᚱ-

ᚭᛋᛏᛂᚱᚦᛁ ᚱᛁᛋᚦᛁ ᛋᛏᛁᚾ ᚦᛂᚾᛋᛁ ᚭᚠᛏᛁᛦ ᚠᚢᛏᛆ ᚠᛆᚦᚢᚱ ᛋᛁᚾ ᚼᛂᚱᚦᛂᚾ ᚠᚢᚦᛂᚾ ᚦᛁᛆᚠᚾ.

Oſterdi risdi ſt:n denſi oftir Guta fadur ſin herden guden Diagn.

OSTERDI LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM GUTÆ PATRIS SUI, EXERCITUS BONI DUCTORIS.

Saxum hoc ex vicino tumulo ad locum ubi jam conſpicitur transportatum eſſe, fama refert. Propè enim collis adjacet grandior in montis aſſurgens altitudinem, qui ſpectris infeſtus adeò fertur, ut vix cuiquam nocturno tempore tutò eum tranſire liceat.

ᚠᚢᛏᛆ Gūta nomen antiqvum in familia Gothica celebratum, in antiqvitatibus noſtris hoc nomine qvidam ſalutatur, qui inter Judices Gothlandiæ numero erat ſeptimus, quiq́; colonias in Scaniam & Gothiam Scanicam primum traduxiſſe fertur. Sed hunc alium fuiſſe certum eſt..

ᚼᛂᚱᚦᛂᚾ ᚠᚢᚦᛂᚾ ᚦᛁᛆᚠᚾ. Quamvis alibi aliam hujus formulæ adduxerimus interpretationem, hic tamen hæc occurrebat, non omninò (ut mihi videtur) abſona. Exercitum etiamnum **en Heer** dicimus, & addita poſtpoſitiva demonſtrationem includente **Heeren** pro quo ſaxum hoc **Herden**. Eſt igitur **Herden guden** boni exercitus ᚦᛁᛆᚠᚾ deductū à priſca voce **Diar** quæ Dominum, Ductorem vel Principem notat. Narrat namq́; hiſtoria Norvagica, Othinum cum primum in haſce perveniſſet oras, duodecim conſtituiſſe præſides aut principes, quorum munus erat, populo jus dicere, & ſacrificiorum curam gerere, quos **Diar** ſeu **Drotnar** vocarunt, quibus populus reliqvus ſervire tenebatur. Ab hoc **Diar** qvidni **Diagn** tractum dicemus, ad exprimendum eum qui imperium in alios obtinet? Alioquin in Epicedio Regneri Lodbrog, hanc vocem pro viro forti & milite ſtrenuo poſitam invenio, ſic enim inter reliqua habet verſus 23. ᚼᚱᛂᚠᚢᛂ ᛂᛁ ᚦᛂᚠᚾ ᚠᚢᚱᛂᛆ ᚦᛂᚠᚾᛂ. *Hrókkve ei*

degn

degn ſrir degne. Id eſt: Non recedat Vir à Viro. In Legibus Canuti Regis Angliæ Saxonico idiomate cõſcriptis extare vocem *Degen* mihi autor eſt Henricus Spelman, & vulgo per virum reddi, à quibusdam Baronem. Colligere hinc licet, viru hac voce notari, ſed talem qui præſtans robore & virtute, vel in gradu aliquo dignitatis conſtitutus. An pari cenſu cum eo habendus qui à Vegetio lib 2. cap. 13 Decanus dicitur? *Rurſus*, verba ſunt Vegetii, *ipſæ Centuriæ in contubernia diviſæ ſunt, ut decem militibus ſub una papilione degentibus, unus quaſi præeſſet Decanus, qui caput contubernii nominatur.* Certè nec vox ipſa abludit, nec ſententia reclamat. Origo vocis hæc eſſe videtur; olim ſi quis honeſtis ac licitis mediis tantum acquiſivit, ut piis uſibus quidpiam legare, aut Regiis ſervitiis vacare cum laude poſſet, is pro *Degn* Anglis *Thein* habebatur. Eſt autem *Degn* qvod jam *Tagn* dicitur, à verbo Jeg tager/ quia à Regibus ac Principibus tales acceptabantur & privilegiis dotabantur, quibus exempti eſſent ab omnibus ſervilibus negotiis, & gradatim ad altiores dignitates virtute aſcendere poterant. Sic liberalibus artib⁹ addictus, ubi eousq; perveniſſet, ut artium humaniorum curſu abſoluto, altiori eruditione & virtute dignus ſit habitus, titulo Degn inſigniebatur. Mercator qvin etiam qui ſuis ſumptibus benè inſtructa nave ter ad exteros navigaſſet, reverſus hoc titulo dignus eſt habitus. Primus igitur dignitatis gradus in qvovis ſtatu ſic dictus. Hic Degn miles veteranus & honore dignus ſic dictus videtur. Unde tractum ad gladium deſignandum, quem verè Danica voce Degen appellamus, quod ejus miniſterio in defenſione utamur. Richardus Verſtegaen in explicationibus vocum antiquarum capite 7. antiquit. ſub litera T, *Thegn* ſev *Theyn*, primarium ac liberum vocat ſervum, unde deducit Thiene quod ſervire etiamnum Danis denotat.

Addere lubet, quæ ad hunc locum transmiſit Vir clariſſimus Dn⁹. M. Stephanus Stephanius, Hiſtoriographus Regius & Academiæ Soranæ Profeſſor publicus. ᛡᛆᚱᚦᛁᛅ ᚠᚢᚦᛁᛅ ᚦᛁᛅᚠᛅ. Hoc eſt *miniſter Deorum bellicorum, ſeu qui bellis præfuerunt,*

runt. Qui Danis antiquitus Diagn/ Germanis fuit Thegan & Degin. Melchior Goldaſtus in Animadverſ. ad Parœneſes Tyrolis Scotorum Regis pag. 364 *Riſtos*, (nobis Riſer/ Kemper/ ut Langbeen Riſe/Bermer Riſe/&c.) *vocabant homines proceros ac robuſtos, qui vi viribusq́ confiſi ſilvas ac montes incolerent gratia latrocinandi, contra quos invocati Rekii venerunt, auxilio afflictis fuere.* Inde quod vocantibus inſervirent Degen/ dicti hoc eſt ſervi. Nam id propriè *Thegan.* Otfridus Wiſſenburgenſis Præfat. ad Hludovicum Regem:

Thegan ſin in waru
In maniger zalu
Managleid er tulta
Um thas do Got gihanta
Vberuwant er ſid zarfram
So Gotes Thegane *gizam*
Eigun wir thia gvati
Gilicha Thegan *riti.*

Et lib. 1. cap. III. Evangeliorum:

Thiu thritta zvatha thanana
Thaz warun edil Thegana.

Vetus ille Paraphraſtes Teſtamenti Veteris:

Enoch der Gotis Degin was.


Idem de Pharaone & Jacobo Patriarcha:

Gap do der Kunic ſinen ſegen
Er lie den edilen Gotis degin.

Cæterum *Edil thegana* ſeu *Degin* inter humanos propriè homo nobilis, fortitudine ac virtute præſtans, humani generis officio belli domiq; paratus. Avorum memoria Edel-Knecht; ſed diſpari, ne dicam, degeneri appellatione. Nam illi nullo in diſcrimine ponebant pauperes atq; divites, omnibus adæqve præſto eſſe parati. Hi verò dicti Principum, Epiſco-

piſcoporum, Abbatum, Comitum miniſteriales, qui ſi beneficia (utor illorum verbis) accepiſſent, mutabant nomen in Dienſtmann. Quemadmodum *Degin* de homine bellicoſo & Heroico uſurpari cœpit: ita *Wigant* de ſervo induſtrioſo. *Gotis Wigant* in citata multotiens Paraphraſi.

QVARTUM
TIRSTEDENSE.



PRæclarum certè & elegans eſt illud, quod fovet idem Tractus in pago Tirſted. Cœmeterii enim latus meridionale exornat cippus è lapide duriori quatuor ulnarum altitu-

 dine,

dine, ſeptem in circumferentia. Hic præter literas variarum rerum exhibet figuras, haud fruſtra huic duritiei mandatas; Cujus exactam ſuisq; circumſtantiis munitam, ſi quis nobis exhiberet enucleationem, quin de rebus præclaris nos admonerent non dubitarem. Ex paucis iſtis quæ nobis hinc colligere datum, conjecturam de reliquis faciat quivis antiquitatum noſtrarum indagator curioſior.

Primum ejus quaſi latus hæc exhibet:

ᚠᚱᛁᚴᛁ ᛋᛁᚬᚦᛁ ᚦᚬᛅᛚᛁᛦ ᚢᛁᚴᛁᚾᚴᛅᛦ ᚦᛁᛅᚢᚦᚢ ᛆᚢᚴ ᚢᛅᛋᚠᚢᚱ ᛋᛁᚾᛁᛅᚾ ᚼᛆᚾ ᚢᛆᚱᚦ ᛏᛆᚢᚦᚢᚾ ᛋᚢᚾ.

Friki ſiodi Doalir Vikingar diaudu aug Vasfur, Senian han vard Taudun ſun.

FRIKI PIRATAM DOALIR OCCIDIT ET VASFUR SINIAN ERAT OCCISI FILIUS.

Interſtitio interjecto hæc ſeqvuntur:

ᛋᛁᚾᛁᛆᚾ ᚼᛆᚾ ᚢᛆᚱ ᚦᚬᚠᚬᛁᚾᚴ. ᛅᚠᛏ ᚠᚱᚬᚦᛆ ᚠᚱᛅᚾᛏᛁ ᛋᛁᚾ ᚱᛅᛁᛋᚦᚢ ᛋᛏᛅᛁᚾ ᚦᛅᚾᛋᛁ ᛆᛋᚱᛅᚦᚱ ᛅᚢᚴ ᚼᛁᛚᛏᚢᚢᚱ.

Sinian han var Dofoing. Eft Froda fronti ſin raiſdu ſtain denſi Oſradr aug Hiltuur,

SINIAN ERAT DOFOIN. FROTHONI COGNATO SUO LAPIDEM HUNC POSUERUNT OSRADUS ET HILTUUR.

De hoc monumento nil referunt accolę, niſi quod è colle vicino, qui ab eo nomen accepit & Runeſteenshøy vocatur, ſit translatum. Nec mirum, cum antiquitatem præ ſe ferat inſignem.

ᚠᚱᛁᚴᛁ quis fuerit non dixero, inſignem robore ac fortitudine fuiſſe docet inſcriptio, de Frocone quodam qui ad filiam Regis Norvagiæ Amundi, ablegatus erat nomine Fridlevi Regis Daniæ mira narrat Saxo lib. 6. quæ an huc referri debeant vide, certè eodem in libro & Frothonis & Vicari & aliorum fit mentio, de quibus noſtrum hoc monumentum.

ᛋᛁᛅᚦᛁ lego ᛋᛚᛅᚦᛁ percuſsit, occidit.

ᚢᛁᚴᛁᚾᚴᛅᛦ Pyratam priſcâ voce notat. Antiquitus enim

nim Piratica honeſta ac licita erat, atq́; in ea ſe crebrò Reges ipſi, aut eorum liberi exercebant, aſcitis famoſioribus & fortiſſimis Athletis. unde Crantzius lib. 1. Vand. cap. 7: *Pyratica in honore fuit non minus quam olim apud Lacedemones furtum: arbitrantibus in paganismo Barbaris, quibus nullæ leges proditæ, nulla justitiæ comperta monita, juſtè poßideri quicquid vi & armis quæreretur. Quam ſententiam inter Chriſtianos necdum multi antiquavere, armatam præſertim militiam ſequentes, quorum ea ratio eſt, ut inter belluas in agris & ſaltibus, in aquis inter piſces, & in æthere inter volatilia; imbecilliora quæq; præda ſunt ferocioribus. Ita ducendum inter homines.*

Huic ſtudio ſe etiam mancipaſſe S. Olaum adhuc duodecennem narrat Hiſtoria Norvagica, atq́; hoc nomine Regio titulo inſignitum fuiſſe, etiamſi Regnum tum haberet nullum cui imperaret. Moris enim olim fuiſſe refert, Regiis filiis Regium tribuere titulum ut primum Pyraticam exercere ceperunt..

Sed hæc pyraticæ ſpecies certis conſtabat legibus. Non enim qvosvis imbelles aut navigatione victum quærentes obruebant, ii qui Vikingorum titulo ſuperbiebant, ſed hoſtes ſaltim, aut eos qvos ſciebant hac arte celebres ac præſtantes; quiq́; opum ingentem vim bello maritimo conquiſiverant. Dictos ſic volunt à Vijg / quod Danis ſinum maris notat; in iis enim deliteſcebant à tempeſtatum injuriis tuti, vel hoſtibus inſidias ſtructuri. Eadem hac voce homicidia & cædes olim notarunt, quo ſenſu & hinc etiam vox hæc tracta, ut quidam arbitrantur. Quos enim devicerunt mox vita mulctabant. Quid ſi à Vikaro Norvagiæ Rege inſigni etiam pyrata; quem Starchaterus miro ingenio ſtrangulavit & neci tradidit? de quo etiam Saxo noſter eodem libro ſexto in hunc modum: *Tunc Starchaterus facto ex viminibus laqueo regem Vicarum implicuit, pœnæ ſpeciem duntaxat exiguo temporis momento daturum. Sed nodi rigor ſuum jus exequens, ſupremum pendentis halitum rapuit. Cui Starchaterus adhuc palpitanti ferro ſpiritus reliquias evulſit. Cum remedium afferre deberet, perfidiam detexit.* Inter omnes

verò Vikingos quos hiſtoriæ noſtræ celebrant, famoſiſsimi erant **Jomswikinger** dicti, qui Julini olim **Jomsborg**/ ſedem fixam & Rempublicam, certis ac firmis legibus conſtitutam habebant. Hi enim ex Regia Danorum orti familia omnibus ſemper erant formidabiles, & præclaro ſemper animi & corporis enitebant robore, ut fusè variis in locis docet Hiſtoria Norvagica.

Cambdenus refert, rerum Anglicarum Latinis Scriptoribus Danos dictos fuiſſe *Viccingos*, quod Piraticam exercuerint: *Viccinga* enim Saxonica lingva, teſte Alfrido, piratam denotat. Viccingos vocat quos nos **Vikinger**. Hinc in Rythmo de S. Annone Colonienſi Archiepiſcopo:

Ninus hiz der eriſti manni
De dir ie volc Wigis bigan.
Ninus primus erat qui prælia incepit.

Et Otfrid. lib. II Evangeliorum:

Thie in herzen ni eigen nih einaz wig.
Qui animo nullum bellum moliuntur.

Inde apud Willeramum *Wighuis* caſtrum ſeu caſtellum. *Wigſimme* ars gladiatoria. Gloſſarium meum M. S. *Viig* homicidium à verbo **eg viig**/ interficio, occido: inde dicitur *Viige* N. G. tutum refugium, ſeu portus ubi non niſi ex uno latere patet aditus. *Viigur* adjectivum, præſtans, fortis. In Niali Hiſtoria ᚠᚢᚴᚴᛆᛦ ᚢᛆᚱ ᛆᛚᚱᛆ ᛘᛆᚴᛖ ᛒᚬᛋᛏ ᚢᛁᛁ-ᚠᚢᛦ ᚦᚼᚱᚱᛆ ᛋᚬᛘ ᚦᚬ ᚢᚬᚱᚢ ᛆ ᛁᛋᛚᛆᚴᚦᚬ. Gunnarus præſtantiſsimus erat athleta omnium coætaneorum in Islādia.

ᚢᛆᛋᚠᚢᚱ, Nomen piratæ & comitis Doliveri eſſe arbitror. id enim mox indicare ſequentia videntur. Ductus unus in monumento ſuperſtes literam deſiderari indicat, quam ex ſeqventibus, ubi idem repetitum occurrit nomen, reſtituimus.

ᛏᛆᚢᚦᚢᚴ ᛋᚢᚴ. Innuere videtur Sinianum filium fuiſſe

iſſe, Doaliri à Friccone occiſi. De hoc Siniano quædam addit inſequens inſcriptio quæ noſtrum ſuperant captum. Quid enim ſibi velit vox ᚦᚼᚠᚼ ᚴ una cum ignariſsimis ignoro.

ᚼᚠᛏ Nova hic incipit inſcriptio Frothoni dicata, quæ tamen eodem tempore poſita videtur, ut Doalirium hunc cognatione qvadam Frothonem reſpexiſſe ſuſpicari liceat.

ᚠᚱᛆᚦᛁ Quis hic Frotho exſtiterit certo affirmare non valeo. Sex namq; hujus nominis Reges imperium apud Danos obtinuiſſe evincunt Hiſtoriæ noſtræ. Saxo lib. 6 ſuperius citato, ubi & Vicari & Frocconis mentionem facit, de interitu & Epitaphio Frothonis Magni & Tertii, qui tempore naſcentis Chriſti habenas imperii moderabatur, etiam loquitur, adeò ut hi eodem fermè tempore vixiſſe videantur. Sed hunc eſſe illum de quo monumentum noſtrum agit, adſtruere non audeo, cum diſertis aſſerat idem autor, *Secus Weram Selandiæ pontem regio funere tumulatum corpus* (addita cauſa) *affirmantes Frotonem eo loci mortis ac buſti copiam exoptaſſe, ubi regni ejus præſtantiſſima haberetur provincia:* Noſq; de ejus monumento plura ſupra diximus. Niſi quis aſſerere audeat ob Regnum tantâ dexteritate adminiſtratum pluribus in locis ei poſita eſſe ab amicis elogia, inter quæ & hoc in Lalandia.

ᚠᚱᚼᚴᛏᛁ jam Frende conſangvineum indicat, vel cognomento ſic dictus, forſan Fracke/ ut ſit ille qui decem Norvagiæ Proceres interemit, vulgò Frothe hin fracke: cujus etiam meminit Hiſtoria Norvagica mox in principio. Catalogus noſter Regum Daniæ, vocat ᚠᚱᛆᚦᛆ: ᚴᚢᚴᚢᚴᚠ: ᚼᛁᚴ: ᚠᚱᚼᚴᛘ.

ᚼᚺᚱᛆᚦᚱ Nomina eorum qui monumentum hoc tam ſtrenuis & præclaris poſuerunt athletis.

Supereſt jam ut aliquid de appoſitis dicamus hieroglyphicis. Naviculæ idea ut & ſagittæ icon, qvod de Vikingis diximꝰ confirmat, Fricconem ſc: bello maritimo præſtantem tot debellaſſe Vikingos. Nec aliud humani capitis addita delineatio indicare videtur, qvam capitali ſupplicio affectos eſſe devictos. Reliqva ornamẽta cum rudioribꝰ conſtent lineamentis haud probè dignoſcuntur, nec explicationem admittunt facilem.

MO-

MONUMENTORUM DANICORUM LIBER QVINTUS.

CIMBRICA CONTINENS.

CImbria nos vocat patria dulciſsima, Hiſtoricorum & Geographorum ſcriptis plurimum nobilitata, utpote quæ olim fortiſsimos illos protulit Cimbros toti Romano imperio formidabiles, ac tot præclaris victoriis ubiq; claros. Hanc ita
" nobis depinxit Lyſcander noſter: Ciſmarinam Dani-
" am veteres dixere Cimbricam Cherſoneſum, propter
,, Regnum Cimmeriorum aut Cimbrorum, quod hæc ſua
,, diſtingvit amplitudine. Nos vel Cimbriam vel Guttiam
" Jutthiamve appellamus. Ea duplex eſt, Auſtralis & Bore-
" lis. Prior à Saxonibus ad urbes Ripenſem Coldingenſem-
" que extenſa, ſuperius terminatur ingenti flumine, à quo
,, Duces Juthorum Syndriaenſes vocantur. Hæc hodie
nobiles forteſq; populos complectitur & egregia oppida
" Jutorum. Prior eſt Ducatus ex Sleſvico adminiſtratus ad
" mare Godanicum. Secundus Holſatorum, cum quibus
" minores Friſii habitant, inde quatuor Marſorum genera
,, ſe exſerunt, Teutomarſi, Storemarſi, Villemarſi, Crempe-
" marſi, ibi enim limites Cimbriæ finiunt ad Auſtrum. Al-
" tera Borealior, ea amplior eſt, & in plures diſtincta regio-
" nes, populos maximos & fortes educat. Quindecim ibi
,, numerantur Cimbrorum Aquilonarium clariſsimæ To-
,, parchiæ, quarum novem ſunt cæteris nobiliores, totidem
præ-

præclaros conſtituentes Cimbrorum Ducatus. Quos interfluente ſuperius ſinu Limmerico, oſtendere cœruleum Leonem cum novem cordibus in inſignibus Regum Cimbrorum gentilitiis didicimus. Horum cum ſint nomina antiquiſsima & appellationes vetuſtæ adhuc hæreant, maximarum rerum, multarumq; gentium nos admonent, in iis igitur paulò latius divagemur.

Extrema omnium Cimbriæ Aqvilonaris regio eſt Wenſyſſel quam aliqui Vinniliam, aliqui Venuliam dixerunt. Sed uſus introduxit ut latina mollitie Vandalia appellaretur. Hæc octo includit pulcherrimas provincias, quas Dani Principatus aut Comitatus vocant; parem faciunt ſuæ Selandiæ magnitudine, eſtq; populoſiſsima & fortiſsimis armata viris. Educi ex pagis ejus Villicis facilè viginti millia expeditorum bellatorum à viro Vandalo noſtra ætate edocti ſumus, qvorum tanta ex antiqvo & virtus fuit & autoritas, ut ii in Cimbria ſoli ex omnibus populis Danorum, Gothis in Scandiâ animo & ſcientia rei militaris conferri aptè poſſe dicantur. Habent hi & ſuas civitates, ſed quæ non ſunt adeò nominatæ. Schavenia autem propter magnam mercatorum copiam, qvæ ex utroq; in utrumq; oceanum hac tranſeunt, multo facta eſt notior. Hinc annumerantur Tythonicæ Toparchiæ, principatus primum quinqve; deinde Morſingorum duo in interiori reflexu ſinus Limerici, ſub Epiſcopatu olim Burglanenſi nunc Aalburgenſi. Ex hac terra educuntur à multis Vandali quos autores teſtantur olim ex Scandicis inſulis in Germanicum littus ob inundationem Oceani tranſiiſſe. Sed alia aliorum opinio eſt, qui remotiorem recenſent originem. Nihil autem nos hoc loco, quod peregrinum videatur, hac de re agamus, cum illud amplius in ſuo deinceps capite explicandum ſit. Unius tamen Procopii graviſsimi Romanorum Hiſtorici autoritatem aſcribemus, qui Gothicis Vandalicisq; temporibus vixit, utriusq; etiam gentis originem & mores apprimè callebat, cum Princeps in exercitu Belliſarii eſſet contra utrosq;. *Vandali* (is inqvit) *populus Gothicus ſunt.* Id verò per-

perſpicuum eſt. Neq; enim tum aut inter Henetos aut Teutonas dici poſſunt: ſed Gothis annumerantur. Gothi autem ſunt Cimmerii & Getæ eodem autore. Igitur unde Cimmerii egreſsi ſunt, inde prodierunt Gothi, Vandali. Atqui ex Cimbricis, terris infuſi, arctoisq; inſulis propagati ſunt. Ergo ex Scandicis ipſi regionibus aptiſsimè educuntur Vandali in Germanicum littus. Idem quoq; lingvæ gentium & vocabula confirmant, quæ omnino Gothica ſunt, ut declarabitur. An verò ex hac una Cimbrorum provincia, copioſiſsimum hoc agmen ſit, dubitari certè poteſt. Sunt enim inter Vandalicas gentes, Guttones, Heruli, qui aliunde venerunt, igitur magis credendum eſt collectitiam fuiſſe manum ex omni Aquilone, & nomen Vandalicum à tota cohorte aſſumptum, quod exponitur **Vandere Skaren** ſive migrantium turba, obq; id appellatio iſta non rectè huic provinciæ alligatur quæ commodius priſcis Vinnilia dici conſuevit, & attuliſſe eam exercitui Vandalico Vinnilios ſeu Vinulos populum magnũ & fortem exiſtimare licet. Neq; fortaſſe longius petitum eſt, ſi inde Vindelicos prodiiſſe quivis dicat, quos ajunt autores ex Cimbris & eorum uxoribus natos & fundatos eſſe; quos Amazones dixit antiquitas.

Secunda Regio **Himmerſyſſel** eſt: Latinè quidem traducto barbaricè ſono Himmeria eſt. Sed ad veterem elegantiam Cimmeria appellata. Gens hanc inhabitat ampla & celeberrima etiam hodierna die. Habet à Septentrione pelagum Limmericum ad orientem Balthicum; ad occaſum terminatur ſinu Saliorum, qui ex Cimmerico ad auſtrum influit. Retinere hanc Diœceſin celebratiſsimi regni Cimmerici veſtigia, memoriamq; conſervare ex ipſo nomine quod Cimbricum eſt, conſtat. Cimmerica enim vox antiquiſsima eſt, ut apud Cimbricas gentes, ſic olim apud Græcos uſitatiſsima: ſed Cimbrica Romanis notior ex hac quaſi contracta, novitatem qvandam ſapere videtur, qua jam non utuntur incolæ Germanica aut vernacula Dialecto. Habet hæc Toparchia provincias octo, civitatesq; pulchras & populoſas, præcipuas

vere

vero Wiburgum Aalburgumq; utramq; antiquam Coloniam, utramq; Epiſcopalem ſedem. Sed Wiburgum clarius eſt, omniumq; Cimmeriorum Cimbrorumve caput celebratiſſimum atq; unica Metropolis, quo his etiam ætatibus ex omnibus regionibus & terris Cimbricis immenſa confluunt multitudine homines ad perlamentum Cimmericum & audienda jura in nobiliſsimo iſto ac generali Cimmeriæ foro. Hæc urbs quaſi parens Cimbriæ eſt, & fama ad nos pervenit ante tempora Danica, & deinde per annos plus minus ſexcentos Cimmersbergam dictam eſſe, donec Heros Vigletius Cimmeriorum, Getarum, Dacorumq; monarcha, poſt inteſtinas Regum Cimmeriorum diſcordias, inverſam oppreſſamq; reſtituit, ditavit, & ex ſe Vibergam appellavit, cujus procul dubio meminit Tacitus. Ex hac urbe latiſsime imperatum eſt à Cimbris, quorum quanta fuerit virtus antiquis mundi ſeculis, ex rebus Cimmericis conſtat, quæ in toto orbe, omnium gentium monumentis celebrantur.

Proxima huic eſt Obeſyſſel/ hanc volunt latinè eſſe Obetriam, quam immenſam tredecim provinciarum aut principatuum ad ſinum Balthicum, regionem definiunt, ditiſsimamq; omnis generis mercibus, propter maris quod ad orientem influit oportunitatem. Urbs in hac, in confinio Ningonum & Haſlonum ampliſsima eſt Arhuſia Epiſcopalis ſedes, qvam fluvius ingens dictas provincias dirimens etiam in duo ſecat. Hic primum Froto VI. Danorum, Anglorum, Normannorum, Vandalorum Rex potentiſsimus templum egregium S. Trinitati exſtruxit. Sunt & aliæ non ignobiles, Horſenia, Randruſia, Mariagria, Hobroja, omnes pariter maritimæ.

Quarta Herſiſſel/ Cimbri Haerſyſſel ſua Dialecto dicunt, & convenit appellatio ad Herliam quæ eſt Herulia. Octo hujus ſunt auguſti principatus, & conferri vel Cimmeria vel Vinilia jure poteſt. Nam cum expreſsè nominentur in migrationibus Gothicis Heruli & Obetritæ, hinc qvoq; Um-

„ bricii & Sallingii, invenimus omnium horum in Cimbria
„ relicta eſſe veſtigia, de quibus alii quidem uberius judicent. „
„ Umbrorum dehinc vel Umbriciorum ſe extendit
„ planities, quatuor diſtinctis provinciis. Moxq; Salingo-
„ rum terra trans fretum Salium in quinque partita claſſes.
„ Varinorum inde tria ſeqvuntur genera, & urbs Varinia. „
„ Mox Vilinorum tellus in duos ordinata principatus. E ve-
„ ſtigio Lororum latiſsima regio novem diſtincta præfectu-
„ ris. Cui æqualis Iſtelia & urbibus & populis creditur.
„ Mox Elmeoniæ egregia gens, prioribus tribus provinciis
„ minor. Has excipiunt abundantiſsimo tractu Guttones
„ Cimbrici verſus Auſtrum. Hæ igitur Cimbrorum Topar-
„ chiæ & terræ ſunt numero quindecim, quibus includun-
„ tur aliæ minores exactè centum. Manifeſtum autem in
„ ſermonibus expeditionum fiet, omnes aquilonares gentes
„ & præcipuè eas quæ Cherſoneſum inhabitant, ad quas i-
„ ter terreſtre patet, incitatas & anguſtiis locorum & Teuto-
„ num fortuna, bello occupaſſe vicina maritima ab Albi ad
„ Viſtulam; ubi & verſus ulteriora Tuiſconitarum ferè o-
„ mnes gentes invenimus quas jam in Cimbria recenſuimus.

Ejus Tractus Septentrionalior in quatuor, ut dictum, dividitur Epiſcopatus, Arhuſienſem, Viburgenſem, Vandalicum olim Burglanenſem & Ripenſem. Horum habita ratione, monumenta literis noſtris antiquis inſignita, quæ hinc accepimus in totidem claſſes dividemus, primas Arhuſienſibus tribuendo. Non eo ſolum nomine quod è Selandia Arhuſiam trajectus in hanc Cherſoneſum ſit ordinarius & brevis, ſed etiam quia in hujus metropoli Arhuſio, memorabili anno MDLXXXVIII vitalem primè hauſimus auram, hæcq; ipſa nobis tot eruditione præſtantes protulit viros, Academiæ etiam hujus Regiæ Profeſſores, quot vix ulla alia totius Cimbriæ.

AR

ARHUSIENSIA.

ARhuſium civitas maritima eſt celebris, & nitida, in qua ob loci commoditatem, agri fertilitatem, ſylvarum copiam, portusq; oportunitatem, circa annum Chriſti MXIV primum conſtituta eſt ſedes Epiſcopalis quæ provincias ſeu Nomarchias triginta unam ſub ſe continet, civitates ſeptem, Parœcias rurales CCCIV, arces quinque. In ipſa urbe quamvis complura ſint viſu digna, Epiſcoporum, Prælatorum, Nobiliumq; Cœnotaphia, templum quoq; magnificum Divo Clementi ſacrū, curiæ etiam Epiſcopalis rudera: attamen quia literis priſcis inſignitum nullum ibi inveni monumentum, ne extra oleas vagari videar, multa commendatione digna, hic tacitus præterire cogor, ad vicina me convertens. Si prius monuero me in chartis quibusdam inveniſſe, Arhuſii in cæmeterio templi D. Virgini dicati, ſepulchrale extitiſſe ſaxum, Runicis noſtris exornatum notis, quarum ductus non uno tenore exhibent. Sic enim quidam legunt:

ᚦᚢᚱᛋᛏᛆ. ᛁᛆᚱᛁᛆᛋ. ᚼᛆᚦᛆ. ᛁᛆᚴ.

Durſta Ieries hede jeg.

DURSTANUS ERICI VOCABAR.

ᚦᚢᚱᛋᛏᛆ aut Durſtanum, aut ſi fœmina, Dorotheam notabit.

ᛁᛆᚱᛁᛆᛋ, Erici, ſive filius, ſive uxor; notum enim idiomate Cimbrico, pro Erick dici Jerick.

Alii in eodem lapide hæc ſe legiſſe ferunt:

ᚦᚢᚱ. ᛋᛏᚢ. ᚱᛆᛋ. ᚦᛆᛁ. ᛏᚢᚴ. ᛋᛆᛁᚴᛋ. Forſan hoc modo

ᚦᚢᚱᛋᛏᚢ. ᚱᛆᛁᛋᚦᛁ. ᛋᛏᚢᚴ. ᛋᛆᛁᚴᛋ.

Durſtu reisdi ſtun ſeins.


DURSTANUS SCULPSIT LAPIDEM SUIS DICATUM.

Quamvis ea in urbe, in qua hæc extare ferunt, & natus & educatus ſim, magnamq; ætatis juvenilis partem

contriverim, nihil tamen de hoc ſaxo, aut audiviſſe me, aut vidiſſe, tunc temporis memini.

PRIMUM
RANDRUSIENSE.

INter Civitates hujus Diœceſis amœniores, etiam Randruſiam numeramus, ſalmonum piſcatura, frugumq; meliorum copia nobilitatam, Saxonis quin etiam noſtri ſcriptis claram. Hic civis cujuſdam ædes exornat ſaxum liminare ex colle vicino procul dubio delatum, quod meliori dignum loco quis non putaret? Quamvis rude, ad colorem tamen accedit cœleſtinum, duarum ulnarum longitudine, quinq; quartarum latitudine, dum ſitum obtinebat priſcum in conum obtuſiorem deſinebat. Hæc autem jam habet.



ᛅᛋᛒᛁᚢᚱ ᚱᛅᛋᚦ ᛋᛏᛅᛁᚾ ᚦᛅᚾᛋᛁ ᛅᚢᚠᛏᛅᚱ ᛅᛒᛅ ᛋᛁᚴᛅ ᛘᛁᚢᚴ
ᚴᛅᚱᛚᛅᚱᛅ ᛁᚱᛁᚴᛚ.

As-

Asbiur reſdi ſtein doſi eſter Ebe ſina miug karlara Irikal.

ESBERNUS LAPIDEM HUNC POSUIT EBERO SUO MULTUM DILECTO AMICO.

ᚭᚢᚠᛏIR lacuna hic in lapide conſpicitur apice ejus, dum transferebatur fracto & neglectim habito, hoc verò pacto ſupplendam reor.

RᚭᛋᛁI hinc collige ſitum lapidis genuinum qui erectus erat.

ᛆBᛆ. De hac voce in Stróenſi me quædam dixiſſe memini, præfixa aſpiratione & addito R eſt Heber.

ᛦᛆRᛆRᛆ. Jam **ſicrere** dilectum vocamus, quidam addita ſupra R notula legunt ᛦᛆRᚱ quod vel Carolum vel virum fortem ac ſtrenuum notat.

IRIᛦᛆᛚ quid ſit non aſſequor; ſuſpicor mendum ſubeſſe, amicum verti, licet ejus fundamenta non habeam, ſaltim ut lacuna reſarciretur. Hoc enim in loco characterum ductus adeò ſunt confuſi ut vix certi quid colligere detur.

Sunt qui lapidem hunc ab Erico quodam poſitum ferant in honorem cujusdam dicti Snio Migi: ſed inſcriptioni non reſpondet fabula.

SECUNDUM HOBROENSE I.

QVarto à Randruſia lapide, oppidum extat decorum in Nomarchia **Onſelherrit** dicta, exſtructum, quod à Ponte nomen traxit, **Hobroe** vocant, & hic bina conſpiciuntur literatura noſtra conſpicua ſaxa. Alterum quod fores civis cujusdam exórnat, coloris ferme ejusdem eſt cum Randruſienſi, ſed figuræ multum diſcrepantis, accedit enim quodammodo ad quadrangularem, niſi quod angulus ille aliquantum promineat qui foraminibus duobus perforatus eſt. Longitudo ſe ad ulnas duas cum ſemiſſe extendit, latitudo ad unam ſaltim. A baſi interio-

terioris limbi incipit inſcriptio, atq; ad ſummum ubi pervenit, deſcendens in eandem terminatur, ita quidem ut ſupplenda ſit iis quæ exterior ductus exhibet. Figuram ut accepimus, en hic damus.



ᚦᛆᚱᛆᛚᛏᛁᚴ: ᚱᛆᛁᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛆᛁᚾ: ᚦᛆᚾᛋᛁ: ᛆᚠᛏᛁᚱ: ᛆᚢᚴᚢ-ᛏᛆ: ᛆᚴ: ᛁᚾᚴᛆᛚ: ᚠᛆᚦᚢᚱ: ᚢᛆᚱᛏ: ᚴᚢᚦᚢ: ᚢᛁᚾᛆᚱ.

Thoraltin reſdi ſtin denſi eftir Augnta, og Ingal Fadur vart Gudu viner.

THORALDUS LAPIDEM HUNC POSUIT AUGUTO, ET INGALDO PATRIS NOSTRI BONIS AMICIS.

ᚦᛆᚱᛆᛚᛏᛁᚴ legendum cenſeo ᚦᛆᚱᛆᛚᛏᛁᛆ *Thoraldr*, ſic enim pluribus in locis ᚦ punctatum valorem habet Th, & Iſlandis peculiari nomine *Duſs* indigitatur. Pro ᛆ verò finali ſiniſtro ductu minus conſpicuo facilè quis ᚴ legeret; compoſitum verò videtur nomen à ᚦᛆᚱ, quod Thoronem notat & ᛆᛚᛏᛁᛆ, quod ſeniorem; quaſi Thoronem ſeniorem dixe-

dixeris. Vel ut ſupra explicatum Thoralt quaſi totus Deo Thoroni addictus.

ᛏᚢᚠᚢᛏᛏ arbitror nomen eſſe proprium viri vel mulieris, quamvis proximè accedat ad modernum *Augud* quod idolum deſignat, frater forſan fuit Thoraldi.

IᚴᚠᛏᚴIvetus viri eſt nomen, quod etiam haud rarò in monumentis occurrit. Nota hic contractionem duarum literarum ᚴ & ᚠ in unam, in aliis haud infrequentem & in voce ᚢᛏRᛏ hujus inſcriptionis etiam uſurpatã, dum ᚢ & ᚠ in unum coaleſcunt.


ᚢᛏRᛏ Noſtrum denotare arbitror, ut indicet Ingeldum patrem fuiſſe Thoraldi & Auguti, cui demum illa videntur poſita quæ linea exteriori compræhenduntur.

ᚠᚢᚼI bonum arbitror, commendant enim filii parentem à bonitate. Inſcriptionis exterior ſeries, poſt priorem poſita videtur.

Ferunt lapidem hunc ex cœmeterio translatum, an ita ſit, certo non dixero; argumentum fortè præbet alter ibidem adhuc conſpicuus, de quo nobis jam ſermo erit.

TERTIUM
HOBROENSE ALTERUM.

EIusdem oppidi Cœmeterium exornat lapis alter ad cippi accedens figuram baſi latiore, apice paululum acuminato, materia conſtans generoſiore ad marmoris nitorem quoquo modo accedente, colore candido. Supra terram eminet ulnis duabus, latitudinem habens quinq; quartarum, craſsitiem ulnæ unius. Inſcriptio à ſiniſtra baſeos per apicem in dextram transcurrit & juxta initium completur. vide iconem.



ᚦᚢᚱᛁᛦ: ᚱᛁᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛅᚾ: ᚦᛅᛅᛋᛁ: ᛅᚢᚠᛏᛁ: ᚴᛅᚱᛚ: ᚼᛁᚾ:
ᚴᚢᚦᛅᛅ: ᚠᛦᛚᛅᚴᛅ: ᛋᛁᚾ: ᚼᛅᚱᚦᛅ: ᚴᚢᚦᛁᛅᚾ: ᛏᚱᛦᚴ:

Thurir riſdi ſtan doaſi ufti Karl hin,
gudoa fylaka ſin, herde gudian tryg:

THORO LAPIDEM HUNC POSUIT CAROLO BONO COMITI SUO, DIIS BONIS (EXERCITUI) FIDO.

ᚦᚢᚱᛁᛦ Thoronem notat. Nomen noſtratibus olim valdè familiare, eo quod Deorum ſummus hoc ſit ſalutatus. Forſan ille qui ſupra ᚦᛅᚱᛅᛘᛁᛦ dictus.

ᚠᛦᛚᛅ ᚴᛅ comitem expono, at fylge comitari, idem nomen invenies in Siorupenſi quod eſt Scanicorum duodecimum, ſed per I ſimplex ſcribitur, cujus loco hic eſt litera in noſtris

noſtris monumentis ea poteſtate raro obvia, ᛦ ſcilicet. Quæ quidem licet communiter ſit R finale, hic tamen ut & in ᛏᚱᛦᛉ in medio dictionis poſita, non R ſed Y deſignat. Ab Islandis Y R appellatur, ac una ex vetuſtiſsimis eſſe putatur, de quo fuſius in noſtra Literatura Runica cap. XII. diſſeruimus.

Comes is dicitur qui non ſolum lateri alicujus individuus adhæret, & quaſi contubernalis eſt, ſed qui alterum veluti ſuperiorem agnoſcit, cui etiam obſequio obligatus eſt. Sic Saxo noſter in Præfatione Hiſtoriæ ſe Abſolonis Epiſcopi *comitum extremum* vocat, & Lib. 6. Starchaterus ſe Frothonis comitem nominat: *Quando Frothonis comes annotabar.* Hic verò amicum denotare videtur, quo ſenſu comites & Amici Auguſtorum olim quidam apud Romanos dicebantur, nempe qui à conſiliis erant, eosq; in bellicis expeditionibus ſequebantur, de quibus Spartianus in vita Adriani. *Quum Iudicaret in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum, ſed juris conſultos:* Vetus ſaxum Mediolani:

C. SENTIO
SEVERO
QUADRATO
C. V. COS.
AMICO ET
COM. AUG. N.

Vide de hiſce fuſius differentem Stephanium noſtrum in Notis ad Præfationem Saxonis. Aliàs comites dicebantur quotquot è comitatu Principis erant. Comitatus v. aula & familia erat. Ex Cicerone Act. 4. in Verrem colligi poſſe videtur, florente Republica Romana comites dictos fuiſſe qui publici negotii cauſa, Proconſules & Præſides in provincias euntes comitabantur, ut Præfecti, ſcribæ, præcones, Medici &c.


ᚼᚾᚱᛒᚾ &c. Hæc formula in quamplurimis occurrit,

quid vero ea ſignificari exiſtimem, videbis in explicatione monumenti octavi Scanici.

TRAY 𝔗𝔯𝔶𝔤 fidem notat. Ex hac voce, quæ alias per ᚢ ſcribitur punctatum, ſatis liquet poteſtas ᛦ ſi enim per R exprimenda, tres concurrerent conſonãtes ſine vocali, nullusq; ſonus; & eadem figuris ſaltim diverſis, bis repeteretur litera, quod rationi haud conſonum.

QUARTUM
GLENSTRUPENSE.

IN provincia 𝔥𝔞𝔩𝔥𝔢𝔯𝔯𝔦𝔱 dicta, pagus extat 𝔊𝔩𝔢𝔫𝔰𝔱𝔯𝔲𝔭; ab ejus templi plaga auſtraliori ſaxum viſitur rude & impolitum, duarum ulnarum longitudine, latitudine quinq; quartarum, figura quadrata fermè, niſi quod conus ſit obtuſior. Inſcriptio ita habet:



ᚦᚢ-

ᚦᚢᚱᛁᛦ : ᚱᛁᛋᚦᛁ : ᛋᛏᛁᚾ : ᚦᛁᛋᛁ : ᛁᚠᛏᛁᚱ : ᚴᚢᚾᚢᚴᛅᚱ :
ᚠᛅᚦᚢᚱ ᛋᛁᚾᛁ :

Thurir riſdi ſtin eſtir Kunugar fadur ſina.

THORO LAPIDEM HUNC POSUIT KUNUGARO PATRI SUO.

Ab eâdem templi plagâ collis adhuc viſitur, *Kuinar Höj* dictus, unde devolutum hunc lapidem aſſerunt accolæ, propè fontis eſt ſcaturigo, quæ olim fons Thoronis dicta. Ferunt namq; eo in loco Dynaſtam quendam Thoronem nomine, filium ſuum Idolis immolaſſe, ac mox fontem hunc emerſiſſe, qui à Thorone nomen retinuit, usq; dum de vero Deo ſanior eluceſcebat doctrina. Tunc enim ut Idolomaniam hanc penitus abolerent, fontem tribus Mariis, (ut ita dicam) ſacrarunt, ac ad varios morbos profligandos vim acquiſiviſſe creditum eſt; ſuperſtitione iſta adhuc validas radices obtinente. Conſentit itaq; prior relatio cum noſtra inſcriptione, cujus prima vox ᚦᚢᚱᛁᛦ Thoronem hunc nominat. enim punctatè legendum. Sed de eo plura in noſtris non invenio monumentis.

ᚴᚢᚾᚢᚴᛅᚱ Regem appellativè notat; hic proprium eſſe videtur patris Thoronis. Magnam certè affinitatem habet cum voce *Kuinar* ex qua denominationem traxit collis. Occurrit hic duplex literarum combinatio, diligenter annotanda ᚢ enim cum ᚴ conjungitur ut & cum ᛅᚱ non infrequenti ſcribendi more.

QUINTUM
GIESINGHOLMENSE.

IN auſtraliori *Halberrit*, ante fores ſacelli quod in nobili arce Gieſingholmenſi viſitur, tres magnitudine conſpicua, rudiori tamen materia conſtantes extant lapides, figura quadrangula oblonga. Horum unus omni deſtituitur lineatura; alter effigiem Epiſcopi oſtentat, & agni coſſuti crucem geſtantis; tertius (qui nobis præcipuè hic delineandus

præter figuras dictas, literas habet Runicas, undiq; lapidem ambientes, excepto eo quod limbi inferioris pars amputata abſtulit. Longitudine eſt ulnarum trium, latitudine unius, craſſitie unius quartæ. Inſcriptionis quæ reſtat ſeries, unà cùm adjunctis Iconibus ita ſe habet:



ᚱᚢᛒᚦᚢᛆᚦ: ᚴᚮᚦᛁ: ᚼᚮᚢᚠ ᛆᚠᛆ ᚦᛆᚱᛁᛁᛆᛒᛁ ᛋᚢᛘ ᛚᛆᚴ ᚼᛆᚱ ᚢᛁᚿ ᛒᛁᚦᛆᚱ ᛘᛆᚱᛁ ᚿᛆᚦᛁ ᛋᛁᛚ ᚿᛁᚴᚮᛚᛆᚢᛋ ᚴᛆᛋᚢᚿᚮᚱ.

Rusduad gode vauff yſa dyria Ebi ſim laghar vin bedar Mari nadi ſyll Nicolaus Kaeſunor.

RUBTHUADUS BONUS SUPRA TUMULUM YFONIS FILII EBONIS (hic deſunt quædam, absq; dir-

bio: hunc lapidem poſuit) ROGATE MARIAM ANIMÆ EJUS UT MISEREATUR. NICOLAUS KASONIUS.

Referunt accolæ ſaxa hæc translata fuiſſe à Cæmiterio Gieſingholmenſi in hunc locum, quod inſcriptioni neutiquam repugnat. Chriſtiana enim eſt, quæ non ſapit ſtylum eorum quæ in camporum reperiri ſolent clivis & collibus. Nec vetuſtatem usq; adeò magnam præ ſe ferre videtur, cum Epiſcopi repræſentet habitum inſculpta imago, & agnum Dei crucem geſtantem. Imaginem autem iſtam arbitror eſſe D Nicolai; ut alludatur ad nomen adſcriptum. Nec enim ex hiſtoriis noſtris percipere licet, quemquam Epiſcoporum ibidem ſepultum. Confirmat idem miſtura literarum Romanarum cum Runicis, in vocibus RᚢS & ᚺᚢᛐᛐOR.

RᚢS exiſtimo Ruſſum ſeu quempiam ex Ruſsia denotare. Notum enim quanto in pretiò ibidem D. Nicolaus, quem pro ſummo agnoſcunt Patrono, cui etiam divinos ſedulò exhibent honores. Fuit igitur hic Thuadus natione Ruſſus, niſi pro S Latino B legendum.

ᚼᛁᚢᚠ, Quamvis per *efter* explicari poſſe videatur, attamen hoc in loco ſenſui magis congruè, *ſupra*, ut reſpondeat ᛐᛆᚠᚼᛆR leger/ ſeu ſepulturæ, quam etiamnum vocamus Legerſted.

ᛦᚠᛁ, Uffo vel Yffo ᛦ enim hoc in loco eſt Y ut & in voce ſequenti ᚦᛦRIᚼ dyre/ pretioſus, præſtans, præclarus.

ᚢIᛋ abundè arguit aliquid hic deſiderari & totam literarum ſeriem quæ inferiorem lapidis occupavit partem, periiſſe, an ᚦIᛋ dis?

Bᚦᚦᚼᛦ votum hoc ætatem ſaxi ex parte innuit.


ᛉᚼᚼᛋᚢᛐᛆR. An ad Kaaſios noſtros hunc Nicolaum referre liceat, judicent alii. Si quæ in illa familia ſint hujus rei documenta, digna eſſent quæ hic locum invenirent. Nam quæ de Lagone Brock hic tumulato fabulatur quidam,

dam, nihil planè habet inſcriptioni affine. Videtur hic Nicolaus Runas & inſcriptionem lapidi addidiſſe. Mirari verò ſubit, hanc in duabus ſaltim ſyllabis totius monumenti occurrere diverſarum characterum miſturam.

Ferunt ad arcis hujus Gieſingholmenſis ædificationem, complura ſaxa, inſcriptionibus decoris inſignita comportata fuiſſe, eorumq; veſtigia adhuc in ſcalà cochlide, alibiq; extare. Sed quia eorum nondum mihi facta eſt copia, invitus ea præterire cogor.

SEXTUM
ALLINGENSE.

ANte fores templi Allingenſis ejusdem Nomarchiæ fragmentum ſaxi extat, jam figura quadratum, quamvis integer dum eſſet lapis, aliam obtinuerit; longitudine jam viſitur duarum circiter ulnarum, latitudine unius. Aliunde translatum certum eſt, ſed unde & quando, non eſt qui narret. Situm his lineamentis cape:



ᚦᚱ

ᚦᚢᚱᛁᛦ: ᚱᛅᛋᚦᛁᛅ: ᛋᛏᛁᚿ: ᚦᛅᚿᛁ: ᛅᚠ ᚠᛅᛋᛏᚢᛚᚠ: ᛘᛁ

Thurir reſdia ſtin, deni eftir Faſtulf mi


THORO LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM FASTULFI MI.

ᚦᚢᚱᛁᛦ Quia toties in monumentis hujus tractus Thoronis fit mentio, exiſtimo eum præclarum Dynaſtam fuiſſe totius hujus Nomarchiæ ut & adjacentium; quem tamen ſilentio involvunt hiſtoriæ noſtræ.

ᚱᛅᛋᚦᛁ, In hac ut & ſequenti voce combinationum extant exempla. In hac quidem ᛅ & ᛋ, in illa ᛏ & ᛅ.

SEPTIMUM
STENHALTENSE.

ANte annos complures cum nobiliſsimam matronam Annam Krabbe generoſi Domini Jacobi Biornonis relictam, viduam, antiquitatum noſtrarum ſtudioſiſsimam fœminam, valetudinis ergò, in Stenhaltina viſitarem arce, inter reliqua quæ mihi antiquitatum monſtravit κειμήλια, in horti (præclara herbarum, etiam rariorum copia inſtructi) meditullio tumulum monſtravit, collapſum fermè, ſed ſaxis variis undiq; cinctum, inter quæ unum erat reliquis grandius quadrangulare fermè, quod politiori facie has oſtentabat notas.



ᚭᚢᚠᛏ ᛒᚱᚢᚢᚱ ᛋᚢᚴ ᛋᛁᚴ ᚱᛆᛁᛋᚦᛁ ᛋᛏᛁᚴ ᚦᛆᚴᛋᛁ
ᚭᛋᚢᚱ ᛋᛏᚢᚠᛋ ᛋᚢᚴ

Euſt Bruar ſun ſin reiſtdi ſtin denſi Oſer Stuffs ſun

IN MEMORIAM BRODERI FILII SUI LAPIDEM HUNC POSUIT OSUR STUFONIS FILIUS.

Stenhaltum de quo dixi, nitidiſsimum eſt palatium foſsis undiq; cinctum, in Provincia, à ſiliginis ubertate & bonitate **Rouſædherrit** dicta, vix altero lapide Randruſia diſtans. Habet ſibi contiguum monticulum arte, ut apparet, elaboratum, circa quem ſæpiſsimè varia viſa eſſe ſpectra mihi narrarunt. Sepulturæ præcipuæ cujusdam familiæ olim deſtinatum fuiſſe mihi perſuadeo. Lapis autem iſte quem hic delineavimus, eo in loco jam non viſitur ſed ad reparationem quorundam ædificiorum translatum ferunt. Adeò à cementariorum injuriis nihil tutum, qui & hunc & alios multos nobis inviderunt, atq; à Diœceſi Arhuſienſi ut jam pedem dimoveamus cœgerunt.


ALBURGENSIA.

AB ejus tractus civitate primaria & majori, Alburgo nempè (quam ab anguillarum copia ita nuncupatum volunt quidam) Diœceſis tota Alburgenſis jam dicitur: olim, Burglanenſis, alii Burglavienſis, à Burgla jam Venſilia **wendſyſſel**/ quam Vandaliam etiam â ſcriptoribus dictam invenio. Dividitur Diœceſis in Nomarchias tredecim, templis ornatur 180, civitatibus ſex, Nobilium palatiis ſupra centum, quorum ſtructura effecit, ut rariorem jam literatorum monumentorum nobis ſuppeditet copiam. Primò autem luſtrabimus.

PRIMUM
HUNENSE.

NOmarchia **hundbocherrit** à pago **Hune** nomen videtur ſortita, & hic forſan ab Hunnis. Pagus hic templo exornatur pulchro, undiq; cæmeterio cincta, in ejus auſtra-
liori

liori aditu, rude conſpicitur ſaxum, cippi figuram præ ſe fe-
rens, altitudine ulnæ unius cum dimidia, parte ea quâ ſupra terram eminet, latitudine circa baſin, unius ulnæ, craſsitie dimidiæ. Notas quas exhibet hic delineavimus.



ᚼᚢᚠᛁ. ᚦᚢᚱᚴᛁᛚ.ᚦᚢᚱᛒᛁᚢᚱᚾ. ᛋᛅᛏᚢ. ᛋᛏᛅᚾ. ᚱᚢᚾᚢᛚᚠᛋ-
ᚼᛁᚾᛋ. ᚱᛅᚦ. ᛋᛒᛅᚴᛅ. ᚠᛅᚦᚢᚱ. ᛋᛁᚾᛋ

Hufi Thurkil Turbiurn ſatu ſtan Runulfs
hins reth ſpaka fadur ſins.

HUFI, THURCHILLUS, THURBIURNUS, LAPIDEM POSUERUNT RUNVLFI VERE SAPIENTIS PATRIS SUI.

Certum eſt lapidem aliunde huc translatum, inſcriptio enim ethnica eſt, & peculiari concepta ſtylo: ſed nemo adhuc inventus qui certi quid de eo docere valuerit.

ᚼᚢᚠᛁ. Tres videntur fuiſſe unius parentis liberi qui hoc monumentum erexerunt.

 ᚦᚢ-

ᚦᚢᚱᚴᛁᛚ. Nobis adhuc familiare eſt Turchilli nomen compoſitum à ᚦᚢᚱ quem Thoronem dicimus. (ᚦ namq; punctatum valet Th: antiquitus verò nullas puncto figebant, ſed eadem figura diverſis reſpondebat poteſtatibus) & ᚴᛁᛚ Chilianum, ſic & ᚦᚢᚱᛒᛁᚢᚱᚿ Thorbernus, compoſtum à Thorone & Biornone.

ᚱᛆᚦ ᛋᛒᛆᚴᛆ Ret ſpaka/ verè ſapientis, cognomen videtur ob ſapientiæ & prudentiæ laudem acquiſitum. Rarum alioquin eſt reperire in epithaphiis demortuorum, addita cognomina. Hoc autem quia ſingularibus animi dotibus acquiſitum, dignum videbatur quod ad poſteros transmitteretur.

ᛋᛁᚿᛋ Sins plurale à ᛋᛁᚿ & hæc particula arguit plures fratres ſumptus contuliſſe in hoc monumento fabricando.

SECUNDUM
TUORDRUPENSE.


IN eadem provincia pulcherrimum exſtat quodjam in templo viſitur Tuordrupenſi. Mox in ejus veſtibulo occurrit cippus rudior oſtentans in laterum politiori tres characterum ductus, quorum duo à baſis ſiniſtra parte incipientes per apicem lapidis transcurrunt, uſq; dum in dextram terminentur; tertius verò reliquorum medius, apicem non attingit ſaxi. Altitudo eſt duarum ulnarum cum dimidia, latitudo unius.

ᛆᛋᛆ. ᛋᛆᛏᛁ. ᛋᛏᛁᚿ. ᚦᛆᛋᛁ. ᛆᚠᛏᛁᛦ. ᛏᚢᚴᚢ. ᛆᚴᛆᛚᛁᛦ. ᛁᛆᚢᛆᛁᚱ ᛋᚢᚿ ᚴᚢᚦᛆᚿ. ᛁᛋᚢᛆᚱᚦ ᚢᛁᚴᛁᚿᚴ. ᛆᚢᚠᚢ. ᛒᛁᚦᛁ ᚢᚴ ᚢᛆᚱ ᚼᛁᚱ ᚱᛁᚴᛁ ᛋᛆᚴᛆ ᛁᚢᛏᛁᛋ.

Oſa ſeti ſtin doſi eftir Tuku angalir javair ſun guden, Isward wiking aufu bidi ug war hin riki ſaka Iutis.

OSA LAPIDEM HUNC POSUIT TYCHONI ANGLICO FILIO IAUARDI, ISYARDUM PIRATAM OCCIDIT QVI HUC APPULIT OB DIVITIAS CIMBRORUM.

Quid



Quid de hoc monumento per manus quaſi traditum ſit poſteris, quidq; nobis circumſtantiæ locorum præbeant, expendendum, antequam interpretationis noſtræ reddiderimus rationes.

Lapidem hunc translatum referunt à colle quodam, ortum verſus templum ſpectante, quem etiam fluviolus alluit, inſulam quandam ambiens Fersborg dictam, ab arce valida ejusdem nominis, in ea olim ſitâ, cujus adhuc conſpiciuntur rudera & vallorum reliquiæ. Ferunt mare ipſum tam profundo gurgite olim arcem hanc attigiſſe ut onerarias etiam admiſerit naves; quod anchorarum aliorumq; inſtrumentorum nauticorum reliquiæ, quas indies ibidem effodiunt, comprobatum reddunt. In hac arce Regulaum quendam habitaſſe ferunt, qui in colle iſto tumulatus, Epitaphii hujus obtinuit memoriam. Addunt Anglum quendam magni nominis principem ſed piratam rapinis aſſvetum tempeſtate huc delatum, bonis omnibus vitaq; ipſa à territorii

Domino ſpoliatum. Cujus cadaver regio more habitum, huic etiam intulerunt tumulo, ſupperaddita inſcriptione quam lapis oſtentat.

ᚽᛋᛆ ita legendum cenſeo, ac primam quidem literam per duplex A expreſſam alibi invenio Aaſa. Hujus nominis fuit filia Ingvaldi Regis Svecorum, quæ demum nupta Godrado regi Scaniæ, ei vitam ademit, unde dicta Aaſa Ildrada, ut teſtatur hiſtoria Norvagica Snorronis ſturlæ f: forſan & hoc in loco etiam fœminæ nomen eſt, matris Tuchonis.

ᛏᚢᚴᚢ Hunc arbitror Regulum illum eſſe qui Fersgardii Dominus erat & pyratam illum inſignem devicit ut habet narratio.

ᛅᚴᚴᛅᛘᛁᛅ ita legit Jonas Schonvigius; qui hoc monumentum cum aliis quamplurimis accuratè delineavit, mihiq; in multis operam præſtitit gratam Primus namq; vocis character compoſitus eſt ex ᛅ & ᚴ ut in aliis qvoq; vidimus, tertius verò ex ᛅ & ᚴ. Narrationi congruè, arbitror Tuchonem hunc Anglicum nomen obtinuiſſe eo qvod cum pyrata iſto anglico, qui eodem cum ipſo tumulatus eſt colle, pugnaverit, eumq; optimâ ditatum prædâ, devicerit.

ᛋᚢᚴᛅᚢᛅᚱᚦ ita quidem legendum contextus docet, licet literarum ductus in hac voce ſint obſcuriores.

ᛁᛋᚢᛆᚱᚦ Hoc arbitror nomen eſſe principis & piratæ iſtius Anglici, qvi à Tuchone vita & bonis privatus eſt. Magnam cum Edvardi nomenclatione affinitatem obtinet, & forſan in Anglia dictus Edvardus.

ᚢᛁᚴᛁᚴ: Pyratam notat, honeſto olim titulo. Quia verò de hac voce fuſius diſſeruimus in monumento quarto Fionico plura hic non addo.

ᛅᚢᚴᛁ ᚢᛆᛁᚠᛁ ita legendum arbitror pro ✱ ſubſtituendo ᛆ ac ᚢ prioris dictionis ad hanc transferendo; Indicat verò Tuchonem etiam occidiſſe hunc Anglum. At ſweide occidere & hoc ſæculo notat, ſed feris præcipuè accommodari ſolet. En ſweidewunde / vulnus lethale & magnum vocant chirurgi.

ᚼᛁᛉ inverſo ᛉ lege ᚼᛁᛦ vult indicare eum Isvardum huc appuliſſe ob cauſam quam mox aſsignat. ᛦᛁᚴᛁ

ᚱᛁᚴᛁ ᚼᛆᚴᛆ ᛁᚢᛏᛁᚼ ob divitias cimbrorum vel hujus cimbri ſcilicet Tychonis. In more namq; poſitum erat Vikingis pyratis, ut non debiles mercatores aut quosvis obvios ſpoliarent, ſed fortes tantum & eos qui vel ob pyraticam celebres erant, vel ob divitias multis innotuerunt. Sed hoc cum narratione non convenit, quæ caſu aut tempeſtatis injuriis huc eum delatum refert. Tanto temporis tractu in circumſtantiis nonnihil variatū; mirum non eſt.


ᚱᛁᚴᛁ Rige divitem notat.

ᚼᛆᚴᛆ formula loquendi priſca. Norvagis quoq; & hodiè non infrequens

ᛁᚢᛏᛁᚼ & eo ſæculo Iutos dictos fuiſſe cimbricæ cherſoneſi incolas colligere licet, quos Beda Vitas vocat. Quamvis Vilhelmus Lambardus in Archeonomiâ Anglica, apud Bedam non vitas ſed Iutas legendum cenſeat, de quo vide Literaturæ noſtræ Runicæ caput quartum.

TERTIUM *BRYNDERSLEVIANUM.*

IN provincia Ierſleviana, pago **Brynderſløff** templum extat affabrè extructum in cujus muro auſtrali lapis rudis perpendicularis duarum ulnarum cum unà quartà altus, quartâ unâ cum ſemiſſe latus reperitur, characteribus inſignitus grandibus, latitudinem totius ſaxi æquantibus, figura tali.



ᚴᛁᚱᚴᛁᛆ. ᛅᚱ. ᚴᚱᛁᚼᛏᛅ. ᚴᛆᚿᛏ: ᛘᛆᚿᛆᛘ:

Kirkia er Chriſte kant manom.

TEMPLUM CHRISTIANIS EST DEPUTATUM.


Huic ſaxo ſimile fuiſſe adhuc alterum, pariter literis inſignitum referunt, ſed muro noſtra memoria, adaptatum à cementariis ita fuiſſe, ut literata ejus facies reliqua muri

muri parte jàm tegatur. Addunt, olim columnarum duarum inſtar hæc extitiſſe, conſtituentiũ portam per quam in Sacrarium eundum erat.

ᚴRIᛋTᚼ ᛘᛅᛗᛅᛘ, hæ duæ voces conjunctim Chriſtianum notãt, loquendi formula nobis tritiſsimâ, ſic dicim⁹ **en Chriſten Man/et Chriſten Meniſke/** obſervanda in ᛘᛅᛗᛅᛘ duarum literarum ᛅ & ᚽ in unam coalitio, ut à litera ᛅ, R vel y diſtinguatur.

ᚠᚼᛚT deputatum vel adjudicatum, ſic etiamnum **det er mig tilſkent.** Collegerit hic fortè quiſpiam, de templo hoc inter Idololatras & Chriſtianos litem fuiſſe in prima novellæ Eccleſiæ plantatione; ſed cauſâ cognitâ, Chriſtianis adjudicatum. Si alterius columnæ nobis pateret inſcriptio, forſan plura huc ſpectantia in lucem protraherentur.

QUARTUM
VREGERSLÆENSE.



In

IN Nomarchia **Borglumherrit** dicta, pago **Forregersløff**/ templum in ſuo quaſi meditullio columnam habet quadratam fornicem templi ſuſtinentem; hujus baſis ex lapide conſtat grandi & rudiuſculo, qui licet mutilatus ſit, ut operi commodius adaptaretur, nihilominus hoſce literarum ductus incolumes adhuc ſervavit, quanquam detritos plurimum.

ᛏᚭ. ᛋᛏᛆᛁᚾ ᛆᚢᚠᛏᚱ ᚠᛆᚦᚢᚱ ᛋᛁᚾᛁᚱ ᛚᚢᛁᛆ

ta ſtein euftr faudur ſinir Loja

LAPIDEM IN MEMORIAM PATRIS SUI LOJÆ.

In prima templi fundatione aliunde in hos uſus tranſlatum fuiſſe liquidò conſtat, ſed priſcum ejus locum nemo memorare novit. Et principium & finem inſcriptionis deſiderari liquidum eſt. ᛏᚭ reliquiæ videntur à voce ᚱᛆᛁᛋᛏᚭ, erexit vel poſuit.

ᛋᛁᚾᛁᚱ peculiarem habet notam literæ S, quam in Danicis frequentem adeò non repperi ac in Norvagicis. Cum brevis admodum è Vinnilia in Norvagiam ſit trajectus, aut inde tranſportatum hoc ſaxum, aut à Norvego inſcriptionem ipſam concinnatam ſuſpicari licet.

QUINTUM
GELLERSLOENSE.

Gellersløff provinciæ **Thye** pagus eſt; in turri quæ templum ejus exornat, decem circiter ulnas à terra elevatum, ac muro inſitum cernitur ſaxum, coloris griſei, figura quadrata, altitudine trium ulnarum, latitudine totidem quartarum. Hoc præterquam quod politius ſit aliis vulgaribus, cruces, clypeum roſis duabus inſignitum, characteres quoq; obtinet Romanos vetuſtos & in limbo voces duas Runicis noſtris exaratas. Totius molis delineatio talis eſt.



ᛘᚢᛁᚦ ᛘᛆᚱᚢᚦ

Muid Marud

Qvid ſibi velint fateor me aſſequi non poſſe.


Ferunt accolæ, lapidem hunc olim intra templi fores, pavimento fuiſſe inſtratum, ſed ad turris reparationem & ornamentum, eò translatum ubi jam cernitur.


SEXTUM
VIRGULA EROTICA.

MEmini me quondam apud Saxonem legiſſe Majores noſtros, membranæ ac chartæ uſu olim deſtitutos, ejus loco ſibi ligna delegiſſe, quibus patriis characteribus animi ſenſa Laconicè mandabant, ubi ad amicos quid ſcribendum duxiſſent. Locus eſt in libro quarto, ubi literas quas ad regem Brittaniæ Fengonis tulerunt nuncii, in hunc modum delineat. *Proficiſcuntur cum eo bini Fengonis ſatellites, literas ligno inſculptas (nam id celebre quondam genus chartarum erat) ſecum geſtantes, quibus Brittanorum Regi, tranſmiſſi ſibi juvenis occiſio mandabatur.* Huic claſsi an annumerare valeam bacillum, elegantibus inſignitum characteribus Runicis, à Reverendo & clariſsimo viro Dno. M. Chriſtiano Johannis P. M. Epiſcopo olim Alburgenſi meritiſsimo, mihi transmiſſum, haud ſcio. Epigraphen ejus exhibeo, ut de eo ſtatuat quivis, quod rationi videbitur congruum.

Bacillus eſt quadratus trium pollicum longitudine, latitudine tertia parte pollicis, latera quatuor characteribus inſignita habens, ex pruno ſylveſtri, ut videtur, fabrefactus, hac planè & longitudine & figura.

Quam-





Quamvis difficile admodum nobis ſit genuinum ejus ſenſum aſſequi ob characterum quorundam miſturam & idiomatis vetuſtatem, attamen meam de eo proferam ſententiam, meliora docenti cedere paratus. Literas arbitror eſſe amatorias, ita ſcriptas, ut amantium nomina peculiaribus intricata notis, non omnibus ſint obvia. Ita lego.

ᛒᚢᛘᚠᚴ ᚢᛁᛏ ᛉᛁᛁᚱᛁᚺᛏᛆ ᛘᛁᛘᛁ ᛆᚠ ᚦᛁᚴᛉᛁᚺᛏᛆᛚ ᛁᚴᚦᛁ ᛚᛆᚴᚦᚢᛘ

Bynaſſn wet Kiereſta mina aff Thenkeſtol inde Landum.

NOMEN MEUM NOVIT AMICISSIMA MEA, EX AMORIS HAC TESSARA LANDUM.

Character primus Amantis continet nomen, variis notarum ductibus implicatum: has autem mihi videor ex eo elicere notas Bᛆᛚᚦ an Botildæ ſit nomen certò non affirmavero.

ᛉIᛁᚱᛁᚺᛆᛆ hæc per ſe clara ſatis; notandum ſaltim venit peculiarem hic eſſe notam literæ I, quam rarò alibi invenies, hæc nempe :+. E enim hoc pacto pingit +, crucis modo; A modo vulgari ᛆ, oportet igitur crucem obliqua tanrsverſa I denotare.

ᚦᛁᚴᚠᛁᚺᛏᛆ Thenckeſtol Tesſeram aut virgulam denotat memorialem, att tencke / cogitare & memorare, ſtol verò hoc loco, lignum, teſſeram, aut virgulam notat.

IᚴᚦI Jnde / amoris ferventioris vox eſt priſcis, hoc loco epitheton Thenckeſtol; indicans hanc virgulam non eſſe ſolum memoriæ teſſaram, ſed amoris quoq; & benevolentiæ.

Character qui ſequitur, ut & vox ᛚᛆᚴᚦᚢᛘ nomen amaſii ejusq; cognomen forſan indicabit. Sed quid ſibi in tertio latere character quo chymici ſulphur exprimunt & binæ in extremitatibus notæ quarum altera ᛆ videtur referre,

pp 2 altera

altera ᚼ, me latet. Plura igitur hic ſubeſſe myſtica, quam quæ literæ nobis cognitæ indicent, liquido patet. Davus ero non Oedipus.

Cœterum ut nihil celem eorum quæ ad meas per venere manus, hæc ad me Vir clariſsimus M. Chriſtianus Johannis. *Certe ſingulare monumentum hoc mihi olim à generoſo meo præſide Otthone Schelio datum, repertum fuit in agro Viburgenſi ante plures años à ſcholaſtico quodam, ut retulit mihi vir ornatiſsimus M. Vlbadus Lector Viburgenſis, tunc temporis ſcholæ illic Rector* Ad vulgarium Runarum claſſem has vix retulero. Licet quasdam obtineat virgula, lectu & intellectu haud difficiles: ea tamen quæ characteribus occultata latent potiora ſunt, & neſcio annon è Ramrunarum claſſe deprompta.

Non Danos modo, ſed & Romanos aliosq; veteres, lignis animi ſenſa mandaſſe colligi poſſe videtur ex illo Juvenalis.

Varia ſupervacui dicens cheirographa ligni.

Qvo etiam reſpicit Ovidius 2 de Ponto:

Nec mea fallaci convicta eſt gemma ſigillo
Mendaces lignis impoſuiſſe notas.

Quamvis ſint qui de ceratis veterum tabellis hæc explicent, quæ ex lignis cerâ inductis conſtabant, quas ἁπλῶς Lignum & ligna dictas exiſtimant.

An bacillus hic delineatus, ex illorum ſit numero qui vulgo ᚱᚢᛘᛆᚴᚼᚠᛚᚼ vocantur, haud ſcio. Ejusmodi enim bacilli in quibus Runas notarunt ejus artis periti, paucis literis multa compræhenderunt: ſic enim Gretla. ᚠᚱᚼᛆᚢᛅ ᚴᛆᛘ ᛁ ᚴᛁᚱᚴᛁᚢ ᛒᚼᛚᚠ ᚦᚼᚴᚴ ᚺᚼᛘ ᛘᛆᚴᚴᛆ ᛒᚼᛁᚴ ᚢᛆᚱᚢ ᛁ, ᛆᚠ ᚦᛆᚱ ᛘᚼᚦ ᚱᚢᚴᛆᚴᚼᚠᛚᚼ; ᚦᛆᛅ ᚢᛆᚱᚢ ᚢᛁᚺᚢᛅ ᛆ. Gretturius exuvias in quibus oſſa humana continebantur templo intulit, hiſce annexus erat baculus Runicus, cui cantilenæ erant inſcriptæ.

VIBURGENSIA.

SEptentrionalis Cimbriæ medium quaſi occupat Viburgenſis Diœceſis, ab oppido Viberga quam olim Cimbrisbergam dictam volunt, nomen ſortita. Conſtat hæc Nomar-

marchiis ſedecim, Eccleſiis parochialibus ſupra ducentas octodecim, arcibus tribus ac totidem civitatibus, variisq; hinc inde interluitur Oceani fretis, de quibus alii ex profeſſo.

Inter ejus autem provincias nulla eſt plura quæ nobis ſuppeditet majorum monumenta, quam ea quæ vulgo dicitur Mielſomherrit. Septem enim in ea ad minimum extant quæ ad noſtras pervenere manus, quorum delineationem primò aggrediemur.

PRIMUM
LENENSE.



TEmplum quod ad pagum Len ſpectat, in editiori aliquantulum viſitur loco; ab eo ubi deſcenderis, mox in valle tibi occurret ſaxum rude, informe, angulis variis hinc inde protuberantibus, ulnas duas cum dimidia longum, quinq; quartas latum; latere politiori in ſemicirculum quaſi excur-

rit inſcriptio, quam in apice exornat ductus quidam liliū Gallicum referens ac crucem includens hac fermè proportione:


ᛏᚢᚱ ᚱᛆᛌᛑᚢ ᛌᛏᛂᛂᚿ ᛂᚠᛏ ᚦᛆᚠᛏᛂ.

Tur reſdu ſteen eft Dofte.

Sed medium ſaxi quædam adhuc occupant notæ, quæ cum adeò ſint exeſæ & confuſæ, ut inde ſe haud facile quispiam extricaverit, eas taciti præterire cogimur.

SECVNDVM *HIERMINDANUM.*

SEcundum quod in eadem hac Mielſomenſi occurrit Nomarchia, illud eſt, quod jam in fundo ad pagum Hiermind ſpectante, viſitur; ſaxum eſt rude, quatuor ulnis altum, latum una cum ſemiſſe, triangulare fermè, licet inæquale. Laterum majus ductum characteribus inſignitum in ſe quaſi recurrentem habet, cujus ſenſus continuatur in vicino minori, hac, ut vides, ſerie:



ᚦᚢᛚᚠᛦ:ᚱᛁᛌᚦᛁ:ᛌᛏᛁᚿ ᚦᛂᚿᛌᛁ:ᛂᚢᚠᛏᛁᛦ: ᚱᛆᚦᛆ: ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ: ᛌᛁᚿ: ᚼᛂᚱᚦᛂ: ᚴᚢᚦᛂᚿ: ᛏᚱᚢᚴ.

Dulfr riſdi ſtin denſi eunſtir Rada Brudur ſin, herda guden tryg.

DULFER LAPIDEM HUNC POSUIT FRATRI SUO RADANO DIIS FIDO.


Re-

Referunt accolæ ſaxum hoc à vicino colle **Kunchøn** dicto translatum, ad locum eum in quo jam viſitur. Quam relationem confirmat paſtoris loci experimentum. Is enim ante annos aliquot circa tumulum hunc obambulans incidit in hiatum, per quem baculum ſuum dum intromitteret, percepit ſubeſſe ollas quasdam, quas dum eruiſſet, repletas invenit cineribus & oſsium combuſtorum reliquiis. Quod evidenter arguit, Radanonem hunc ea tumulatum fuiſſe ætate, qua cadavera non ſepeliebant ſed cremabant, atq; hoc monumentum inter verè antiqua, vel hoc nomine numerandum eſſe.

Quod contextui addam non habeo; cum ductus literarum clari, verba quoq; perſpicua ſatis, excepta ultima illa formula, in quamplurimis repetita, de qva non eſt quicquam quod addamus iis quæ ſupra diximus. Hoc ſaltim noto, vetuſtatem magnam præ ſe ferre inſcriptiones hac notatæ verborum forma, id quod & cineres urnis incluſi monent.

Tertium
TORUPENSE.

In templi Torupenſis pavimento, aræ vicino, ſaxi oblongi & facie obverſa literati, conſpicitur fragmentum, ulnarum duarum cum dimidia longitudine, trium quartarum latitudine, characteribus grandibus undiq; oppletum, niſi quodam in loco, ubi calcantium pedes hiatum feciſſe videntur, ut tibi ejus hæc oſtendet vera delineatio.



ᚼᛋᚠᚢᛏᚱ: ᚢᛁᚦᚼ: ᚼᚢᚴ: ᚴᛁᛘᚼ: ᛘᛅᛏᚱ: ᛋᚢᚼᛅᚼ: ᚱᛁᚼ-
ᚦ: ᚼᛏᛁᚴ ᚦᛅᛁᚼᛁ: ᛅᚠᛏ ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ.

Osguter vida, ſun Kims, manter Swins, riſdi ſtin doiſi eft brudur.

OSGUTERUS ALBUS CHIMI FILIUS, MILES SVENONIS, LAPIDEM HUNC POSUIT FRATRI.

Aliunde translatum eſſe hoc ſaxum liquidò conſtat; ſed nemo eſt qui primum ejus locum deſignet; amputatas eſſe varias ejus partes ex eo apparet quòd inſcriptio mutila & manca extet; characteres qvoq; extremitates ejus utrinq; attingant.

ᚢᛁᚦᛁ cognomen eſſe Osguderi ſenſus docet, quod vel ab albedine corporis accepit, vel longa ſerie à majoribus traductum retinuit. Hvidorum enim in Dania nobiliſsimam olim fuiſſe familiam docent hiſtoriæ.

ᛘᛁᚾᛏᚱ alias ᛘᛅᚦᚱ, jam **mand**/virum notat, non ſexu ſolum, ſed etiam robore & fortitudine, adeò ut hoc loco, belli ducem aut militem inſignem denotare exiſtimem. Sic hodie dicimus **Kongens troe Mand**/ eum qui à Rege dignus habitus eſt, cui magna & præclara officia commendentur.


ᛋᚢᛁᚾᛋ Svenonis Regis arbitror. Quid ſi **Tuiſkeg** cognominati? Quod ſi ita res habeat, ætas hujus monumenti ſe ultra annum M XIV non multum extendet. Eo enim mortuus fertur Rex hic variis fortunæ caſibus agitatus.

ᚦᛁᛋᛁ, ita ſupplendam eſſe lacunam, & literæ adhuc conſpicui ductus, & ſenſus totus evincunt.

QVARTUM
GRØNDALLENSE.

ACcedimus jam ad monumentum ejusdem provinciæ, quod hodie in campo reperitur Ulſtrupenſi, ſed translatum à valle quadam in ſylva vicina **Grøndal** dicta, de qvo varii ſermones paſsim à vulgo jactitantur. Saxum eſt inæquale ac rude trium ulnarum cum ſemiſſe longitudine, totidem fermè latum, quatuor in eo lineæ characteribus inſignitæ, ſed vetuſtate adeò detritæ ac exeſæ ut certi quid ex reſt-

reſiduis ductibus vix quiſquam ſibi polliceri valeat, literæ ipſæ ab imo ad ſummum & rurſum à ſummo ad imum, hinc rurſus ad ſummum & inde ad imum tranſcurrunt. Figuram cum reſiduis apicibus operâ Reverendi Dn. Jonæ Schonvigii delineatam hanc cape.



ᚼᚢᛉ: ᛏᚢᚠᚼ: ᛋᛉᛁᛒᚼᚱᚼ: ᛋᚼᚦᛅ: ᚦᚢᛘᛁᚠ ᛘᚼ
ᛁᚠᛏ ᚴᛆᛁᚠᚼᚴ ᚼᚠᛁᛒᛁ ᚢᛁᚼ

Eug Tufa Skibara ſeda dumig ma.

EGO TUFA NAUCLERUS POSUI DURMIMO.

Nihil hic addo, niſi quod ex reliquiis abundè conſtet Epitaphium eſſe inter antiquiſsima numerandum, licet exeſos adeo ac detritos oſtendat literarum apices ut ex iis ſenſum certum vix colligere detur.

Jam quid non accolarum vulgus modò, ſed & fama per univerſum Regnum ſparſa, de hoc ferat monumento brevibus referam. Vaticinium exſtare in eo putant, de variis rerum ac ſtatuum in hiſce regionibus mutatione, à Vate quodam inciſum. Quod Ecloga eleganti in Bucolicis ſuis expres-

 ſit

ſit C. Erasmus Michaelius Lætus, Daniæ noſtræ Maro: ex qua, Mirmix dicta quæ huc faciunt deſumenda duxi, cum ex profeſſo hoc tractare videatur, de quo nobis jam ſermo eſt. Sic autem ille:

Eſt locus eximio naturæ clarus honore,
Gramine veſtitum prodens; ubi flexilis alto
Flumine, ſubjectas illabitur æquoris undas
Gudius, & fluctu piſcoſas volvit arenas:
Nobilis, & fundo dives, radiisq; benigni
Solis, & acclivi conſertus tegmina monte:
Qvo nullus cœlo melior, pratisve ſecundis,
Cimbrica quàm latè boream proſpectat & Auſtrum
Cherſoneſus, & heſperia lavat æquora ripa,
Aut premit Eoo ditiſsima littora fluctu:
Vallis amœna, ſuisq; haud indiga rebus: at omnem
Copia dives alit, perpingui uligine campum.
Cui neq; deliciæ Graiis pulcerrima Tempe,
Juncta nec Auſoniis certarint mœnia Bajis,
Hanc ubi confecto diviſa per æquora curſu
Tranſieram: Viridi dictam cognomine vallem
Perdidici, nomenq; vetus, nova fama coronat,
Ingredior, tacitusq; pedem ac veſtigia figo,
Et ſimul. O noſtri ductorq; autorq; laboris
Phœbe pater: celſa qui nos tuearis ab arce
Et gregibus mites præſtas ſitientibus undas:
Hoc mihi perficias votumq; viamq; precanti,
Atq; iter æthereo ſuſceptum numine firmes.
Vix ea finieram: paribus ſe ſuſtulit alis
In ſublime procul volucris: cui garrula lingua
Caudaq; ſubſaliens: ſtrepitus imitantia noſtros
Guttura, & exactum duplicato vellere corpus
Dum tua fumoſis circumvolat atria tectis.
Hic tota pluma candens, niveoq; colore
Conſpicua: excelſum dum ſcandit in aera, rurſus
Præcipiti nidum lapſu petit, idq; rotato

Ter

Ter ſimilis repetit, ſinuatq́, volumina gyro,
Et tandem arborea ſubſidens fronde quievit.
Ut vidi: mentem feriit mihi protinus illa
Dictorum ſenis, ac animum perculſit imago:
Hæc eſt ſacra meis conjuncta laboribus a'es
Et requies curis ſupremaq; ſemita noſtris,
Salve Pica Diis gratiſsima: ſeu tibi cœlum
Scire futura dedit ſeu te cuſtode beatos
Servarunt monitus: ſeu tu mihi pectore firmes
Commonſtresq; viam, curasq́; animumq́; ſerenes:
Labere propitio commiſſa per arva volatu,
Et veteres læto foveas ſub tegmine nidos.
Jamq́; iter expleram, media cum valle ſupinum
Aſpexi ſaxum, vaſto quod pondere latè
Prominet, & viridi deſertum in ceſpite regnat:
Saxum ingens, crudum, nodisq́; immane rigensq́;
Sed latere obverſo terſum: velut æquora ventis
Haud tumidis conſtrata ſilent, dantq́; humida mollem
Planiciem, ac leni compeſcunt murmura ponto:
Inclinata quidem quod ſumma cacumina viſum eſt
Submiſiſſe ſolo, tacitamq; urgere ruinam.
Quantus in Aethneo conſedit culmine Cyclops
Dilaceratq́; genas & cæcos lumina vultus;
Subnixus cubito, aut lentam complexus olivam:
Sic ſeſe in dextrum latus inclinarat, & ipſo
Penè quidem impulſo renteſcit corpore rupes.
Hoc juxta ignotis excrevit fructibus arbos,
Ut ramos orno ſimilis, ſic cortice celſam
Procera tiliam, foliisq́; trementibus æquans:
Qvam variis multi titulis, varioq́; comatam
Nomine multarunt, ineptis vocibus urgent.
Hac equidem volucris fatalis in arbore nidum
Fixerat: & latè circum dominata, repertam
Garrula complevit, ſubjectaq́; paſcua vallem.
Ergò ubi me celeri venientem lumine vidit

Inſtrepitat ramis, & agit clamoribus auras:
Seu fatis plaudat, ſeu tempora ſera peroſa
Præſago referat venturas murmure ſortes,
Intrepidus ſubii, quo me meus ardor agebat,
Tentaviq; locum, ſaxumq; aſpectibus hauſi:
Et primo, vix ulla quidem veſtigia Muſis
Vidimus, ac nullos prodebat linea ductus.
Usq; adeò nebulæ, venti pluviæq; cadentes
Obliterare, etiam tam durò è robore poſſunt,
Omnia muſcus habet latè loca: ſæva vetuſtas
Quid non perdideris, ſilices cum tempora vellant?
Ergò ubi deterſas ſubraſit dextera ſordes;
Et veteres medio patuerunt ordine ſulci:
Tum verò manifeſta fides: quid numina divum
Cœlitibusq; ſacri, junctiſsima pectora Vates
In noſtros cecinere dies, priſcóq; relatu
Evenient ſero non vana pericula mundo.
Gentibus Iſmariis, latioq; ego gratulor orbi,
Gratulor & terræ, ſi quæ longiſsima noſtras
Ignorat clades, miſeriſq; penatibus abſit.
Hinc mihi paſtores, ſecli ſunt multa prioris
Cognita, quæ noſtros latuerunt preſſa parentes,
Et ventura etiam nonunquam fata ſolemus
Sarta Deo, recitare viris, qvos cura futuri
Detinet, & vario contriſtat pectora morſu.
Sic etenim ſecuri, omnem ſuperare ferendo
Fortunam aſveſcent: ſi quæ tolerare neceſſe eſt,
Et prædicta Diis & cœlo condita norint.
Sed mihi nulla quidem tacitam ſententia mentem
Crebrius exſtimulat, nec fortius ulla reſedit
Hiis animis, qvam qvæ agricolis ventura canebat
Omnia dura bonis, explendaq; tempora luctu.
Namq; inter, ſaxo qvæ multa inſcripta futuris
Omnia temporibus, decretaq; fata, notaram:
Hæc etiam conſpecta, oculis qvæ triſtia ſiccis

Nemo

Nemo leget, duro rigeant niſi pectora ſaxo.
Dira ſacerdotes ubi ſors & iniqua beatos,
Fecerit Agricolas: eadem cum rurſus agrorum
Cultores, dominis ſtatuat petulantibus omnem
Contemptus naſiq; levis, riſúsq; petulci
Materiem: viridi quod ſaxum in valle ſecundus
Rumor erat liquido ſacraſſe cacumina cœlo,
Incubuiſſe ſolo terramq; petiſſe videbis,
Hoſtibus everſum diræq; Tyrannidis armis.

Hæc Poëta noſter, more ſuo eleganter vulgo jactatam fabulam ornatu commendans decoro. Sed reliquiæ notarum in ſaxo jam delineato nihil tale nobis ſuggerunt; niſi alium ibidem extitiſſe vaticinio hoc exaratum lapidem quis dixerit. Hoc enim indicare ea videntur quæ in calce cujusdam libri manuſcripti repperi hac verborum formula.

Anno Domini 1503. drog M. Jens Chriſtofferſøn Canich udi Ribe fra Viborg oc til Randers/ Da fant hand udi en Dall/ ſom kaldis Grøndal diſſe efterſkreffne Ord udhuggit i en Steen med kaaber Bogſtaffue.

Kircker ſkulde bliffue til Fangetorn/ oc Skalcke ſkulle triffuis/ oc Eldinge fordriffuis/ oc Danſke Mend ſvgieffue/ oc fange Tydſke Sæder/ oc Hærremend ſkulle bliffue Kiøbmend/ oc Præſter til Bønder oc Bønder til Widunder.

Id eſt (ut totidem reddam) Anno Domini 1503. cum Viburgo Randruſiam iter faceret M. Janus Chriſtophori Canonicus Ripenſis, ſequentia æneis literis Saxo infixa invenit, in valle quadam dicta Grøndal.

Carcer erit Eccleſia,
Magna Nequam gloria,
Prudentum rara copia.
Vileſcet vir Danicus
Ni totus ſit Germanicus.

Mer-

Merces vendet Nobilis:
Clerus arabit flebilis,
Ruris erit cultor vilis.

Si quid veri huic ſubſit narrationi, alium certè ab hoc diverſum ibidem extitiſſe lapidem, cui talia inſculpta fuerint, neceſſum eſt. Noſter enim inſcriptionem præ ſe fert planè ethnicam, alter Chriſtianam; utpote quæ de templorum & paſtorũ fatis vaticinatur. Hic rudi ſculptura literas oſtendit Runicas, ille æneas & quidem prolixiori ſerie quam ut paucis notis capi poſsint.

Sed ferunt in Jemptia Norvagiæ, vallem eſſe ejusdem nominis de qua accolæ eundem prorſus agitant ſermonem. Et quia Joannes Meſſenius *S*vecus in Specula Sveciæ cap 19 diſertis id prodidit, remq; ipſam pluribus confirmat circumſtantiis, lubet ejus hic ſubjicere narrationis ſeriem. *In hac*, inquit, *deniq; provincia* (Jemptia ſcilicet) *ſub alpibus illam à Norvegia diſterminantibus, in valle quadam admodum virenti ſaxum prægrande Gothicis inaratum literis hodie non absq; admiratione conſideratur. Quod ſub regimine Erici Stenchilli Sveco-rum regis glorioſiſſimi à D. Stephano S. Adalvardi ſenioris in mittenda divini verbi per Sveciam & Gothiam ſemente fideliſſimo comite, quando in Iemptia æternæ ſalutis myſteria erudiverat indigenas, fuerat ſuſcitatum, rerum quarundam admirabile continens vaticinium, his verſibus à me donatis latinitate in ipſa comprehenſum & inſculptum ſaxea mole:*


" Cum *S*vecus acceptat peregrinos undiq; mores,
" Templaq; cum clauſtris evertunt ſuperiores,
" Firmus adhuc extat lapis hac in valle virenti.
" Cum perverſorum mundo florentior eſt ſors,
" Sed crux dira probis animis infligitur & mors
" Firmus adhuc extat lapis hac in valle virenti
" Presbiter Agricolæ ſimilis ſed quando vigebit,
" Agriq; cultorem mirari jure licebit.
" Stratus humi pauſat lapis hac in valle virenti.

Cor-

Corruit porro illud ſaxum non multis abhinc annis, ad quod viſendum & deſcribendum mox profectum eſſe M. Laurentium Petri Nericium Upſalenſem Archiepiſcopum perhibent. Quo defuncto cum in illius Bibliotheca apographum hujus, M. Ieſperus Marci paſtor Vaſtenenſis inveniſſet, edita Svetico idiomate cantilena regni hujus indigenas ad vitæ emendationem ſeriò hortatus eſt, quam paſſim Sveci Gothiq; hodiè non absq; ingenti canunt admiratione. Hæc ille.

Ex eo quo hæc legi, nihil intentatum reliqui, quò certi quid expiſcarer. Ad Epiſcopum loci hac de re aliquoties ſcripſi, Magiſtratus quinetiam uſus ſum operâ, ſed nihil fide dignum hactenus aſſequi licuit. Vallem ejus nominis ibidem extare ajunt, ſaxi quoq; rumor eſt; ſed qui ejus monſtret veſtigia nondum repertus quisquam. Si quid adhuc reſcivero, ſuum alibi inveniet locum.

QUINTUM
LONGENSE I.



PRope amnem Gudium cujus ſuprà à Læto facta eſt in Myrmice mentio, pagus eſt Longein cujus campis bina occur-

occurrunt monumentorum fragmenta; Majus alterum & plenius, minus & vix dimidia ſui parte integrum alterum. De hoc primo dicendum, quod duarum ulnarum habet altitudinem, latitudinem unius. Ex tribus characterum ſeriebus conſtitiſſe, quod ſupereſt, docet. Ita autem ſe habet.


ᚦᚢᚱᚦ-ᛁᛋᛏᛁᚱ

Thurd eſtir

Nil niſi duo hæc colligere licet verba: *Turd* & *eſtir*. Exiſtimant quidam abruptum fuiſſe hoc fruſtum ab altero lapide de quo mox agemus. Sed nec ſenſus hoc evincit, nec lapidis iſtius materia ab hujus minera diverſiſsima, id arguit. Non eſt qui certi quid de hoc aſſerere valet.

SEXTUM

LONGENSE II.



Hinc

HInc non procul eſt ſaxum grandius, quadam ſui parte mutilatum, characterum triplici ſerie etiam dotatum, ſed ad grandiorem multò aſſurgens molem. Longitudinem namq; habet ſex ulnarum cum dimidia, latitudinem duarum, figura rudiuſcula. A dextra baſeos parte incipit inſcriptio ad apicem tendens, quò ubi pervenit rurſum deſcendit perpendiculariter, ut ab imo ad ſummum pari tenore decurrat & in apice abſolvatur. Ejus lineamenta ſic delineata accepimus:

ᚼᚢᛆᚴᚱ: ᚱᛆᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛆᚿ: ᚦᛆᛘᛋᛁ: ᛁᚠᛏᛁᚱ: - ᚠᛆᚦᚢᚱ
ᛋᛁᚿᛏ: ᛆᚢᚴ: ᛆᚢᚠᛏ: ᛁᛆᚱᛒᚢᚴᚠ: ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚿᛏ: ᚦᚢᚱᛆ: ᚼ

Hvagr reſdi ſten denſi eſtir - fadur ſind oc euſt Iarbugſ brudur ſint Thura h.

HVAGERUS LAPIDEM HUNC POSUIT PATRI SUO ET JARBUHFO FRATRI SUO, THURA.

ᚼᚢᛆᚴᚱ Nomen hoc ſeculo prorſus obſoletum: uno hoc ſaxo & Parenti & fratri Juſta ſolviſſe apparet, ſed dolendum Parentis nomen planè periiſſe unà cum particula, apici hujus ſaxi, abruptâ.

ᛋᛁᚿᛏ In nullo alio monumento hujus vocis orthographiam inveni talem, & niſi iisdem elementis paulò poſt repeteretur, ᛏ planè redundare aſſeverarem.

ᛁᛆᚱᛒᚢᚴᚠ. Et ᚠ hic ſuper fluum, commodè enim cum reliquis exprimi haud poteſt niſi forſan quis integræ vocis ᚠᛆᚦᚢᚱ notam eſſe arbitretur: ut hic Jerbuck non frater Hvageri, ſed patruus extiterit. Nomen & hoc eſt planè barbarum & inſolens.

SEPTIMUM *GRENSTENENSE.*

ULtimum hoc eſt quod nobis ſuppeditat provincia Melſomherrit/ decorum illud & pulcrum, ſed quod antiquitatem usq; adeò magnam non redolet, cognomina enim & autoris, & defuncti addita invenies, quod rarò alioquin in aliis extare conquerimur. Situm in pago Grenſteen/ ante valvas templi, rude quidem ſed planum ſaxum, longitu-

tudine duarum cum dimidiâ, latitudine duarum ulnarum. Quinq; ordines characterum poſsidet transverſim legendos, eo, quo noſtra ſolemus, more. Figura talis eſt.



ᛏᚢᚴᛁ: ᛋᛘᛁᚦᚱ: ᚱᛁᛋᚦ: ᛋᛏᛁᚾ: ᚦᛁᛋᛁ: ᛂᚠᛏᛁᛦ: ᚱᛁᚠᛘᛂ: ᚼᛂᛦ: ᛂᛋᚴᛁᛋ: ᛒᛁᛂᚾᛂᛦ: ᛋᚢᚾᛦ: ᚴᚢᚦ ᚼᛁᛚᛒ ᚦᛂᛦᛂ ᛋᛂᛚᚢ.

Tuki ſmidr riſd ſtin diſi eftir Riſme her Eskis Bianar ſunir. Gud hialp dere ſelu.

TUCHO FABER LAPIDEM HUNC POSUIT RIFMÆ DOMINI ESCHILLI BIANERI FILIO. DEUS ANIMÆ EORUM MISEREATUR.

ᛋᛘᛁᚦᚱ fabrum quidem notat ferrarium, ſed arbitror Tuchonem noſtrū hanc artem non exercuiſſe ſed virum fuiſſe nobilem, hoc cognomine inſignitum. Niſi olim majori in pretio fuerint artifices quàm jam ſint; forſan Pöeta vel Scialder ſimul fuit, vel Runa.

ᚱᛁᚠᛘᛂ Inſolens hoc nomen hodie. Nequaquam hic prætereundū quod illi qui diligentius in priſcam noſtram inquiſiverunt literaturam, pro rato habeant literam ᛦ quandò poteſtatem obtinet R. voces tantum claudere in eam deſinentes. Sed hic diverſum invenies. Extant namq; in hoc monumento exempla in quibus & vocem inchoet, ut hic; & ejus medium occupet, ut ᚦᛂᛦᛂ & claudat ut ᛂᚠᛏᛁᛦ. ᛒᛁᛂᚾᛂᛦ, ᛋᚢᚾᛦ. ᚼᛂᛦ.

ᚼᛂR

ᚼᛅR Hæc vox mihi ſuſpicionem præbet novitatis. Non enim (exceptis Deo diviniſq; rebus devotis) aliis quam equitibus & Baronibus hic titulus tribui ſolet. Hujus origo non usq; adeo magnam præ ſe fert antiquitatem, ſiquidem ejus loco ᚺIR vel ᚺIᛅR poſitum in antiquioribus invenio. Dominum verò notat.

BIᛅᛘᛅᛦ Ex Bannerorum familia illuſtri & antiqua hunc fuiſſe conſtat. Cujus originem non reticet Saxo noſter, hiſtoriæ ſuæ libro decimo: quem locum hac de cauſa dignum judico, qui hic inſeratur, tum quod ab omnibus haud ritè intelligatur, tum ut aliis de patria bene merendi incitamentum præbeat acrius. Sic à. ille: *Danorum Anglorũq; exercitibus acerrima pugna conſertis, Tymo genere Sialandicus, cum hoſtili impetu ſociæ partis aquilas admodum inclinatas videret, levemq; & quem ſors obtulerat ramulum haſta ſuſtulit, eoq; vexilli loco uſus, atq; in eum vociferatus modum, quo Kanuti milites mutuæ adhortationis gratia acclamare conſueverant, adverſas in fugam turmas felix anteſignanus avertit. Itaq; non tam ſigni, quàm animi virtute ſalutarem ſuis Aquiliferum geſſit, nutantemq; Danorum fortunam ad victoriam usq;, ne laberetur, erexit. Nec ſolum fortitudinem ipſe pleniſſimam præbuit, ſed etiam ex ſociorum animis penè profugam revocavit. Cujus facti decus poſtmodum COGNOMINE uſurpavit, inſuperq; virtutis titulo, honore primipili à Rege donari meruit. Nec puduit Danorum partes ſplendidiſſimo Aquilifero defectas, plebei hominis ductum, ut obſcurum ſpecie, ita præclarum eventu recreatis animis ſalutis premium conſectari.* Cognomen autem illud quod Tymo iſte tam generoſo animo virtute ſua promeruit, Bannerorum fuit quo etiamnum apud nos ejus gaudent poſteri. Contigit verò hoc ſub Rege Canuto Magno circa annum Chriſti 1020. Cum verò Eſchillus hic & Riſma ex poſteris fuerint hujus Tymonis, recentius adhuc hoc ſit monumentum neceſſe eſt.

OCTAVUM
GUDINGENSE.

COemeterium quod cingit templum Gundingenſe, auſtraliori ſua parte ſaxum muro infixum tenet duárum ulnarum longitudine, latitudine unius, quod ductu in ſe convoluto, eo, quem hic vides, modo oſtendit characterum apices.



ᛅᛋᛏᚽᚾ ᛚᛁᛏ ᚱᚽᛋᛅ ᛋᛏᛁᚾ ᚦᛁᚾᛅ ᚠᛆᚱ ᛋᚢᚾᛆᚱ. ᛋᛁᚾᛁ ᚢᚴ ᚢᛅᚴᛁᚾᛋ ᚠᛅ-ᚦᚢᚱ ᛋᛁᚾᛋ

Aſten lit reſa ſtin dena for ſuner ſini ug vagins fadur ſins.

ASTENUS LAPIDEM HUNC POSUIT FILIIS SUIS ET VAGINO PATRI SUO.

Negligentiꝰ aliquanto delineatum hoc mihi videtur monumentum, quibusdam igitur neceſſaria adhibenda erat lima ut ſenſus conſtaret:

ᛋᛁᛆᚱ lego ᛋᚢᚾᛆᚱ *ſøner* filiis


ᛋᛁᛆᛁ lego ᚢᚴ ᛋᛁᚾᛁ *ſine* ſuis. Duæ hæ voces ſine aliqua diſtinctione malè confuſæ proponuntur.

ᚢᚦ lego ᚢᚴ *oc* &. Obſervandum quod ante hanc vocem poſita interpunctio, per crucem quaſi, aut ſtellulam, & claudat prius Epitaphii membrum, & ſecundum inchoari notet.

NONUM
GUNDERUPENSE I.

NOmarchia Fleſkomherrit/quæ à ſoli ubertate, aut paſcuorum ac ſaginæ præſtantia nomen ſortita videtur,

tur, bina poſſidet quæ ad noſtrum faciunt inſtitutum, monumenta, utrumq; in parochia **Grundtrup**. Prius lapide oblongo rudi, trium ulnarum cum dimidia longitudine, latitudine quartarum trium, inſculptum, & horreo ruinoſo, decimis Eccleſiæ capiendis deputato, inſerto, unico ſaltim conſtat characterum ductu perpendiculariter ab imo ad ſummum excurrente, quamvis, ut jam lapidis ſitus, transverſim abeat. Series hæc eſt.



ᛅᚢᛁᛏᛁᚴ ᛁᛅᛏᛁ ᛁᛏᛁᚴ ᚦᛅᚢᛁ ᛅᛒᛏ
ᛅᛁᚢᛚᛒ ᚠᛅᚦᚢᚱ ᛁᛁᚴ

Euſtin ſati ſtin donſi ept Oſulb ſadur ſin


EUSTINUS LAPIDEM HUNC POSUIT OSULBO PATRI SUO.

In hoc ſaxo clara & manifeſta ſunt omnia, nec quicquam occurrit notis noſtris dignum, præterquam quod duæ hic ſint literarum notæ à vulgaribus & paſſim obviis diverſæ. S. enim non more recepto, hac nota ʜ: ſed ita pingit ɪ, quaſi inverſum eſſet I; O, verò in hunc modum K, quod refert ✱ in quo ſiniſtræ ſunt amputatæ ductuum lineæ.

DECIMUM *GUNDERUPENSE ALTERUM.*

VIburgerſia jam claudet, inſigne & præclarum, mole ſua conſpicuum monumentum, quod eadem nobis exhibet provincia, Parochia item eadem, ſed loco à priore aliquantum diſsito. Tumulus extat elatior inter pagum **Hals** & **Fialtro**/ qui utriuſq; territorii limes habetur. In ejus apice, terræ baſi ſuâ firmiter infixum

grande hoc conſpicitur ſaxum. Qua ejus ſuperat ſuperficiem, ulnas excedit quatuor, latitudine conſpicitur ulnæ unius cum dimidia; à quibusdam vocatur **Runeſteen**: ab aliis **Balderſteen**/Balderi ſaxum. In hunc fermè modum tres perpendiculariter excurrentes literarum exhibet ductus, ab imo ad ſummum tendente primo, inde verò recurrente ſecundo, ut tertius qui intervallo majori à reliquis disjungitur, in apice finiatur.



ᛒᛆᛚᚦᚢᚱ: ᚱᛁᛋᚦᛁ:ᛋᛏᛁᚿᛁ: ᚦᛁᛋᛁ ᛅᚢᚠᛏᛁᛏᛅᚱ ᛋᛘᛁᚴᚢᚱ
ᚼᛁᚿ ᚠᚢᚦᛅᚱ ᚠᛆᚦᚢᚱ ᚠᚢᚴᚢᚴᚠ ᛋᛁᚿ ᚦᛅᚠᚴ ᚠᚢᚦᛅᚴ ᛅᚢᚠ
ᛏᚢᚠᚢ ᛘᚢᚦᚢᚱ ᛋᛁᚿᛅ ᚦᛅᛁ ᛚᛁᚠᛅ ᛒᛁᚦᛁ ᚢᚿᛏ ᚦᛁᚿ ᚼᛅᚢᚴᛁ

Baldur riſti ſtini diſi eufeter Snigur hin guder, fadur kunag ſin, diagn guden, aug Tuſu mudur ſino deir liga bedi unt din haugi.

BAL-

BALDERUS LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM BONI REGIS SNIGONIS PATRIS SUI, VIRI OPTIMI, ET TUFÆ MATRIS SUÆ. AMBO SUB HOC TUMULO RECUBANT.

Illuſtre certè epitaphium,cui paria pauca admodum jam reperiuntur, dignitates & officia demortuorum claris adeò exprimentia: vix puto illud cæmentariorum & aliorum violentiam effugere potuiſſe,niſi geminum ſuſtinuiſſet officium, limitis ſcilicet & monumenti. Limiti omninò parcendum erat, ſi monumento violentas inferre manus conati fuiſſent. Quocirca ſitum ſuum, quem à prima obtinuit fundatione, non dubito qvin adhuc obtineat.

ᛒᛅᛚᛐᚢᚱ Unus ſaltim à Saxone noſtro celebratur ejus nominis lib. 3, Et hic quidem ſemiDeus habitus, variaq; præſtigiis ſuis præſtitit. Ab eo pagus in Selandia propè Roſchildiam extans Balderſbreꝛſ dictus, nomen ſuum traxiſſe idem autumat, hac verborum formula: *Victor Balderus, ut afflictum ſiti militem, opportuni liquoris beneficio recrearet, novos humi latices, terram altius rimatus aperuit. Quorum erumpentes ſcatebras ſitibundum agmen biante paſſim ore captavit. Eorundem veſtigia ſempiterno firmata vocabulo, quanquam priſtina admodum ſcaturigo deſierit, nondum prorſus exoleviſſe creduntur.* Pagus adhuc nomen retinet; ſed an fontis ſuperſint veſtigia non dixero. Ab eo & fretum Balderſſundt nomenclationem obtinuit. Sed hunc non eſſe eum qui hoc poſuerit monumentum liquido conſtat; ſiquidem non Snionis, ſed Otthini habetur filius.

Nos alium ejusdem nominis ab exteris celebratum invenimus, cognomento Eddel. Annales Friſici ob probitatem, & ſingularia animi dona Ethelbalderum eum vocant. Hic ad Snionis propius accedit tempora, & certè ſi diligentius res trutinetur (etſi quorundam refragari videatur calculus) eum, fretus hoc monumento, Snionis dixero filium. Præſertim cum Crantzii & aliorum, Saxonem circa hæc tempora, in ſerie Regum enumeranda, oſcitantiæ arguentium,

fru-

fruſtraneum laborem ab eruditiſsimo viro Joan. Iſaacio Pontano hiſtoriographo regio libro 1. Hiſt. Dan. detectum videam. Gaſſarus & alii Snionem imperium inchoaſſe voluntanno Chriſti DLXXVII, ac eum inſecutũ Biornonem DCLIV. Quid ſi Balderus hic Snionis filius intermedius extiterit? præſertim cum Hiſtoriæ noſtræ Biornonem non dicant filium Snionis, noſtra verò inſcriptio Balderi patrem fuiſſe Snionem, matrem verò Tuſam expreſsè aſſerit. Quæ Tuſa an Regis Gothorum extiterit filia noſtrum non exprimit monumentum.

Addam judicium clariſsimi Stephanii noſtri in literis ad me. Hoc equidem Monumentum, Lyſcandri & aliorum confirmaret opinionem, qvi hiatum ſive lacunam illam Hiſtoriæ Danicæ, quæ eſſe putatur Lib. VIII Saxonis, inter Haraldum & Gormonem Reges ſupplere conantes, etiam Balderum quendam recenſent inter Reges quos velut omiſſos à Saxone ſubſtituunt: niſi ſi ipſe Lyſcander, non Snionis Regis, ſed Biornonis filium fuiſſe Balderum Regem diſertis verbis affirmaret Geneal. Danic. pag. 174. Verum quid ego de intercalaribus iſtis & ſuppoſititiis Regibus ſentiam, propediem demonſtrabo in notis meis ad iſtum Saxonis locum ſi vitam & valetudinem propitium mihi numen indulſerit. Nam Reges iſtos bis poſitos ab exteris ſcriptoribus omnino judico, qvos ſeqvutus Lyſcander, & ipſe vehementer fallitur & ſecum alios fallit quomodo iis uſu venire ſolet, qui peregrina domeſticis & verioribus documentis præferunt. Forſan Snio liberos habuit plures, inter quos hic Balderus, qvi ad Regiam haud evectus eſt dignitatem. Quicquid ſit, expreſſe docet monumentum, Balderum Snionis fuiſſe filium.

RIᛋᚦI An ſtudio, an ſculptoris incuria prima hujus litera inverſa ſit, ignoro.

ᛅᚢᚠᛅᛏᛅR contractius multò in aliis exaratur hæc vox ᛅᚠᛏ quibusdam ᛅᚢᛏᛅ.

ᛋᚿIᚠᚢR Alium in hiſtoriis noſtris non invenio regem hujus nominis, quàm Snionem Sivardi filium. Regem cum ex-

expreſsè in ſequentibus vocat inſcriptio. Arbitror igitur eum qui Latinis & nobis jam Snio vocatur, indigenis & veteribus dictum ᛋᚾᛁᚢᚱ, ſic Olaum vocarunt ᛅᛚᛅᚠᚱ, Haquinum ᚼᚠᛉᚾᚢᛅ. Frequentiſsimè nomina propria in his terminis paſsim in monumentis invenies. Hujus hiſtoriam & res geſtas lege apud Saxonem libro 8. Maximè memorabile, quod ſub hujus regis imperio, Longobardi exteris dicti, fame compulſi è Dania, novas quæſituri ſedes migrarunt; id verò qua factum occaſione, malo verbis Saxonis noſtri, quàm meis referre. Sic autem ille: *Cum, ſive parum compluta humo, ſive nimium torrida torpentibus ſatis, ac parcè fructificantibus campis, inediæ languor defectam eſcis regionem attereret, nullumq; parum ſuppetentibus alimentis, trahendæ famis ſupereſſet auxilium, Agone atq; Ebbone autoribus, plebiſcito proviſum, ut ſenibus ac parvulis cæſis, omniq; demum imbelli ætate Regno egreſſa, robuſtis duntaxat patria donaretur, nec niſi aut armis aut agris colendis habiles domeſtici, laris paternorumq; penatium habitacula retinerent. Quorum mater Gambaruc, id ad ſe deferentibus filiis, cum à ſceleſti decreti autoribus, ſalutem in crimine repoſitam animadverteret, damnata concionis ſententia, neceſſitatem paricidio redimi oportere negabat: propius honeſtati conſilium fore aſſerens, animorumq; ac corporum virtuti expetibilius, ut ſervata erga parentes & liberos pietate, patria exceſſuri ſorte deligerentur. Quæ ſi ſenes invalidos obtuliſſet, robuſtiores ſe eorum loco exilio offerrent, eiusq; pondus pro debilibus perferendum ſua ſponte ſuſciperent. Cæterum indignos eſſe vita, qui illam ſcelere & ſacrilegio comparare, parentesq; ac prolem tam iniquo ſententiæ genere perſequi ſuſtinuiſſent, charitatis loco crudelitatis officia peracturi. Poſtremò cunctos malè patriam demereri, apud quos parentum aut liberorum amori proprii ſpiritus charitas præponderaret. Huic voci ad concionem relatæ, plerique ſuffragiis aſſentiebantur. Igitur omnium fortunis in ſortem conjectis, qui deſignabantur extorres adjudicati ſunt. Quo evenit, ut qui ſponte neceſſitati parere noluerant, fortunæ judicio obſequi cogerentur.* Hactenus Saxo.

ᚠᚢᚼᚱ ex hac voce non niſi ultima ſyllaba reſtat,

ſaxo in apice tempeſtatum injuriis prorſus corrupto, ſupplevi ego ᚴᚢᚦ; ſed forſan aliud erat epitheton quod Snionem hunc accuratius determinare potuiſſet, quo carere jam cogimur.

ᚴᚢᚱᚢᚾᛏᛒ lego ᚴᚢᚾᚢᚴᛒ Regem notat. Regium igitur hoc eſſe monumentum liquidò patet, & cum de nullo alio quàm unico hoc Snione noſtræ loquantur hiſtoriæ, hunc eſſe oportet.

ᚦᛁᛅᚴᚾ; ᚴᚢᚦᛅᚾ ſimilis fermè loquendi forma extat in monumento Lalandiæ tertio, quod prope Scolenge viſitur, ubi hæc leguntur ᚼᛅᚱᚦᛅᚾ ᚴᚢᚦᛅᚾ ᚦᛁᛅᚴᚾ Quæ noſtræ de ea ſint conjecturæ ibidem videbis, An Diaconus & ſacrorum myſta? certè Siguardus Slembe qui ſibi Norvagicum imperium auſu plusquam temerario arrogare aggreſſus eſt, Degn & Diaconus dicebatur, eo quod literis operam dederit, antequam ſe militiæ accinxerit. Forſan & hic Diagn guden/ Literatorem aut excellenter doctum denotabit. Pro viro eximio & forti in cantilenis noſtris capi, ſupra probatum: hanc igitur, ut certionem amplector interpretationem.

ᛏᚢᚠᚢ Jam Tue, Gotthorum regis filia juxta Saxonem. ᛁᛒᛅ Collegerit hinc quiſpiam, cadavera horum haud cremata, ut primitus fieri conſvevit, ſed integra huic tumulo illata, modo expoſito capite ſeptimo libri primi, ubi de ſecunda ætate Høgauld dicta, nobis ſermo erat. Nec aliud indicare videtur ultima hujus monumenti vocula ᚼᛅᚢᚴᛁ quæ tumulum aut collem denotat.

ᛒᛁᚦᛁ Jam Bege ambo. Notat & patrem Snionem, & matrem Tufam ſub colle aut tumulo iſto tumulatum:


RIPENSIA.

Epiſcopatus Ripenſis auſtralior eſt Cimbriæ ſeptentrionalis, agrorum fertilitate, paſcuorumq; copia, reliquis haud cedens. Continet civitates ſeptem, paroeci-

as

as rurales 282, arces & domus regias decem, Nobilium curias centum. Dividitur in Nomarchias triginta. Pauciora hinc ad nos delata ſunt monumentorum apographa, credo quod tot nobilium palatia arciumq; ſuperbæ ſtructuræ ſaxa quibus ea continebantur, ad ſe traxerint. Extare tamen ibidem plura, nondum ad nos delata, percepi. Quæ Wilſtrupii prope Coldingam, Landerupii, Vanderupii, Feulingii, Leburgi, & alibi forſan conſpici tradunt, aliis diſcutienda relinquere cogor, ea ſaltim propoſiturus quæ noſtræ ſunt poteſtatis.

PRIMUM
ODDUMENSE.



BOrealior hujus Diœceſis tractus Norrehcrrit dictus, pagum habet Oddum nomine, templo & cœmeterio decoratum. Hic juxta portam auſtraliorem per quam in cœmeteriū itur, ſaxum viſitur, qua ſupra terrā eminet,

trium ulnarum altitudine, unam cum dimidia latum. Ejus pars politior tribus exornatur literarum ductibus, ſuis marginibus tortilatis conſpicuis, qui tamen ita cohærent, ut ab exteriori ſiniſtri lateris, juxta baſin auſpicari debeat is qui eorum ſenſum aſſequi laborat, ſenſim ductum ejus ſequendo, donec ad baſin rurſum perventum fuerit dextram, hinc ordine retrogrado progrediendum in ſecundo, ac finiendum in tertio. Quod planius typus ipſe oſtendit.

ᚦᚢᚱᛅᛚᚠᛋ. ᛋᛅᛏᛁ. ᛋᛏᛁᚿᛅ. ᚦᚢᛋᛁ : ᛅᚢᚠᛏᛁᛦ : ᛏᚢᚠᛅ. ᛏᚢᚠᛅ. ᛋᚢᚿ. ᛋᛁᚿ. ᚢᛋᛏᛅ. ᚠᚢᚦ. ᚼᛁᛅᛚᛒᛁ ᚼᛅᚿᛋ

Turalfs ſeti ſtina duſs euſtir Tufa Tuka ſun ſin elſta. Gud hialpi hans.

TURALFUS LAPIDEM HUNC POSUIT TUFÆ TUCHONIS FILIO NATU MAJORI DEUS EORUM MISEREATUR.

Aliunde tranſlatum eſſe hoc ſaxum liquidò conſtat, ſed qui verum ejus oſtenderet ſitum, nemo adhuc inventus eſt. Peculiare quid præ aliis habet, de quo mox monendum. Obſcurum valde ejus ſenſum reddunt tot conglobata nomina ut non ſine cauſa ſuſpicari liceat aliquid in eo minus probè exceptum.

ᚦᚢᚱᛅᛚᚠᛋ compoſitum videtur à Thur & Alf, hic autem Thuralfus monumentum hoc poſuiſſe videtur.

ᛋᛏᛁᚿᛅ plurale quod indicat plures lapides, aut integrum monumentum ab eo poſitum.

ᛏᚢᚠᛅ ᛏᚢᚠᛅ ᛋᚢᚿ Periodus, prima hic non clauditur, etſi ductus exterior his abſolvatur. Senſus igitur hic eſt. Thuralfus lapidem hunc poſuit Tufæ Tuchonis filio.

ᚢᛋᛏᛅ Mendum hic eſſe arbitror. Forſan legendum ᛁᛚᛋᛏᛅ, ut indicet Tufam filium Tychonis fuiſſe natu majorem, ac ſenſus ſit: Turalfum Scaldrum aut Runam, in memoriam Tufæ, qui erat filius natu major Tuchonis, hoc monumentum poſuiſſe.

ᚠᚢᚦ &c. Chriſtianam eſſe inſcriptionem votum hoc arguit.

Se-

SECUNDUM
HORNENSE.

FRagmentum quodam cippi minoris in ejusdem Diœceſis provincia orientaliori **Øſterherrit** dicta, juxta templum pagi Horn extat. Rudior lapis eſt, longitudine unius ulnæ, latitudine trium quartarum, arcualem ductum characteribus inſignitum oſtentans, qui ſiniſtra ſui parte mutilatus, hæc jam exhibet.



ᚢᚴᛆ ᛏᚢᚠᛁ ᚴᛆᚦᛁ ᚼᛆᚢᚴᚦᛁ ᚦᛁ
Uka Tuſi gadi heugdi dis
ET TUFO TUMULUM HVNC FECIT.

Ubicunq; tandem locorum primitus ſtetit hoc ſaxum, tumulo cuidam affixum fuiſſe abundè docet inſcriptio: jam verò commune cum aliis fatum ſubiit. Quin nec ſolus hic ſtetiſſe videtur, ſed alios literatos quoq; conjunctos habuit. Id enim copulativa conjunctio ᚢᚴᛆ à quâ inſcriptionem auſpicarunt, evincere videtur: niſi forte legendum ᚢᚴᛏ; quod *efter* notat; ut ſit ſenſus: In memoriam boni Tufonis tumulum hunc fecit &c.

ᚼᛅᚢᚴ jam **høi** collem aut tumulum dicimus.

TERTIUM
JELLINGENSE.

QVod jam delineaturi ſumus præclarum quidem & elegans eſt, utpote quod non ſolum multorum oculos & animos ad ſe allicuit, adeò ut & exteri etiam dignum judicaverint in quo aliquid ponerent operæ: ſed etiam fundatori vita & regno conſtitit: ut videre licet apud Saxonem noſtrum lib. X, ubi ex profeſſo hanc rem perſequitur. Quocirca aliorum primo de eo proferam judicia, meas mox ſubjuncturus conjecturas.

Primus exterorum (qvod ego quidem ſciam) qui aliquid in hoc operæ poſuerit, mihi videtur celeberrimus ac illuſtriſsimus vir Joſephus Scaliger Jul. Cæſ: f. is enim Bonaventuræ Vulcanio, tractatum de literis & Lingua Getarum meditanti, hoc monumentum communicavit, atteſtante ipſo Vulcanio pag: mihi 44. in hunc modum illud proponente,

Inſcriptio monumenti Gormonis Thyræ uxori poſiti.

ᚴᚢᚱᛘᛦ ᚴᚢᚾᚢᚴᛦ ᚴᛆᚱᚦᛁ ᚴᚢᛒᛁ ᚦᚢᛋᛁ ᛆᚠᛏ ᚦᚢᚱᚢᛁ ᚴᚢᚾᚢ.

Inſcriptio monumenti Haraldi regis, parentibus ſuis Gormoni & Thyræ poſiti.

ᚼᛅᚱᛆᛚᛏᚱ ᚴᚢᚾᚢᚴᛦ ᛒᛆᚦ ᚴᛆᚢᚱᚢᚴ ᚴᚢᛒᚢ ᛒᛆᚢᛋᛁ ᛆᚠᛏ ᚴᚢᚱᛘ ᚠᛆᚦᚢᚱ ᛋᛁᚴ ᛆᚢᚴ ᛆᚠᛏ ᚦᚢᚢᚱᚢᛁ ᛘᚢᚦᚢᚱ ᛋᛁᚴ-ᛋᛆ. ᚼᛆᚱᛆᛚᛏᚱ ᚴᛆᛋᛋᛆ ᚢᛆᚴ ᛏᛆᛄᚢᚱᚴ.

Subjunctæ erant hiſce inſcriptionibus interpretationes, tametſi non ad amuſsim textui convenientes, hujus tenoris.

Gormo Konninga Kube diſſe offuer Thyre Kona. Haraldt Kong bygt Kierke Kybb diſſe offuer Gorm Fader ſin oc offuer Thyre mutter ſinſe Haralder kes offuer Danmark.

Hæc Vulcanius, qui ea quæ à Scaligero accepit, bona fide reddidit, nec plura addit.

Secundus qui publicis typis aliquid de hoc monumento ad poſteros transmiſit, eſt Petrus Lindebergius, qui in rerum

rum memorabilium comentariis affabrè totum monumentum æri incidi curavit ac in hunc modum publicavit.

Addere, inquit, libuit Gormonis regis Daniæ, qui in inſcriptione Cæſar nominatur, monumentum, ab Haraldo rege filio ædificatum. Sciendum autem quod Dani, cum propter defectum ſaxorum Pyramides & Obeliſcos extruere minimè potuerint, olim in memoriam Regum & Heroum ſuorum ex terrâ coacervatâ ingentem molem montis inſtar eminentem ſtatuerint.

A. Templum ſeu ſacrarium duobus conjugum ſocialibus buſtis interpoſitum plumbo tectum.

B. Lapis ſepulchralis, qui in altitudine habet ulnas quinq;, & dimidiam, in circuitu novem; in uno latere formam hominis exhibet, in altero latere literas in ſequenti tabula expreſſas.

C. Mons ad ſeptentrionem qui habet altitudinem 46 ulnarum, latitudinem 360 ulnarum, amplitudinem in ſuperiori parte 112. ulnarum.

D. Fons funditus ex ſaxis exſtructus, ex quo indies aqua hauritur à circumjacentibus populis, in circuitu habet 47. ulnas. Iisdem pene verbis hujus fontis meminit Joan. Adolph. Cypræus Annal. Eccleſ. Sleſuic lib. 1. cap. 11, in hunc modum. *In eum finem ad monumentum Gormonis, fontem funditus è ſaxis exſtructum, ex qvo indies aqua à circumjacentibus populis hauriatur.*

E. Mons ex altera parte verſus meridiem eſt, altus 37 ulnas in circumferentia 431 ulnas, in ſuperficie eſt amplus 157 ulnas.

F. litera ubi notata eſt, inſignis fuit magnitudinis lapis, paulò minor quàm ille, qui apud templum inter duos montes collocatus eſt. Et ut melius omnia intelligantur, totius monumenti typum hic ſubjeci.

Obſervandum vero, noſtram hanc delineationem, non eſſe Rantzovii, ſed novitiam, quam curavit nuperè vivis coloribus exprimi & accurate ad leges Geometricas deſcribi, illuſtris Herôs Dnus Chriſtianus Friſius de Kragerup, eques Auratus, Cancellarius Regius, & Academiæ Hafnienſis dum vixit Patronus ſummus.

Mi-



Mirari ſatis nequeo Lindebergium alterius lapidis præteriiſſe deſcriptionem, in quo Thyræ extat Epitaphium. Contextus quidem ſeriem, ex parte perſecutus eſt, ſed ſaxi delineationem plane omiſit.

Tertius exterorum qui aliquid in his poſuit operæ, eſt Johannes Bureus Svecus, qui Ubſaliæ Svecorum ANNO 1590. tabulam edidit quam **Runa kanſlanſ Lere Span** indigitavit, in qua cum alia præclara habeat, literaturam Runicam concernentia, tum etiam hoc Haraldi monumentū, mutilum tamen & mancum, iisdem plane literarum ductibus, quibus id expreſsit Lindebergius, adeo ut ab eo deſumptum credam. Sed nec alterum Thyræ â Gormone poſitum addidit, nec ultima verba Epitaphii Haraldi perſecutus eſt, in quibus Cæſar ſalutatur. Obiter quoq; ejus meminit Cypræus Annal. Eccleſ. Sleſvic. lib. 1. cap. 11.

EX

Ex noſtratibus quoq; non defuere qui operam inſigne huic monumento ab interitu vindicando locarunt. Atq; inter primos merito mihi numerandus vir virtute bellicaq; gloria nobiliſsimus Caſparus Marckedaner de Søgard/ tum arcis Coldingenſis præſes meritiſsimus, qui venerandæ antiquitatis allectus ſtudio, ſuis ſumptibus collapſum ſaxum erigi curavit, utq; characteres, quam fieri poſſet accuratiſsimè literis modernis exſcriberentur, enixus eſt. Cujus erga venerandam antiquitatem pietatis teſtimonium perhibet monumentum quod in templi Jellingenſis choro, aureis literis exaratum extat, in hunc modum.

Anno 1586. under Kong Friderich den Anden til Danmarck oc Norge etc. Regiering/ da lod Caſpar Markedaner til Søgard/ ſom den tid var Lensmand paa Kioldinghus opgraffue den Steen paa Kirckegaarden/ ſom ſtaar her uden for Kirckedorren/ Oc findis efftërſkreffne Skrifft der paa/ ſom Kong Harald lod giore offuer ſin Fader Kong Gorm/ oc offuer ſin Moder Drotning Thyre ungeferlig Anno 960. oc Regieredis da det Romerſke Rige aff Keiſer Otto den Førſte/ oc lod Drotning Thyre den tid giore den Wold ved Gottorff ſom endnu kaldis Dannevircke/ ſom begyntis ved enden aff Slyen/ der ſom Hadeby haffuer ſtanden/ oc gick til den Weſter Sockant/ for den Aarſags ſkyld at bemelte Keiſer Otto vilde med Krigsmact indfalde udi Danmarck/ oc ligger Kong Gorm her udi den ene Høy/ oc hans Drotning/ Drotning Thyre udi den anden Høy begraffuen.

ᚼᛅᚱᛅᛚᛏᚱ: ᚴᚢᚾᚴᛦ: ᛒᛅᚦ: ᚴᛁᚢᚱᚢᚴ

Haralter Kungr baid Kiuruk

ᚴᚢᛒᚢ: ᛒᛅᚢᛋᛁ: ᛅᚠᛏ: ᚴᚢᚱᛘ ᚠᛅᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚾ

Kubu bauſi eft Gurm fadur ſin

ᛅᚢᚴ ᛅᚠᛏ: ᚦᚢᚢᚱᚢᛁ: ᛘᚢᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚾᛋᛁ

Aug eft Thuurui mudur ſinſi

ᚼᛅᚱᛅᛚᛏᚱ: ᚴᛅᛋ: ᛅᚢᚾ: ᛏᛅᚾᛘᚢᚱᚴ.

Haraltr Kes yuen Tanmurk.

Hoc eſt laudabile & omni ævo celebrandum, tanti viri, majorum memoriæ dicata monumenta, ab interitu vindicandi, ſtudium, qvo ſeipſum ſuamq; familiam æternitati pariter conſecravit. Quod ſi imitati fuiſſent alii, qui ob ſordidum lucellum, iis devaſtandis toti incubuerunt, & ſe poſterorum laudibus dignos reddidiſſent, & hiſtoriæ patriæ illuſtrandæ operam locaſſent commendatione digniſsimam. Non igitur pigebit in gratiam exterorum hæc Romana toga donare.

ANNO M D LXXXVI regnante Divo Friderico Secundo Daniæ Norvegiæ &c. Rege potentiſsimo, ſaxum hoc valvis templi viemum, terræ gleba obrutum, erui curavit Caſparus Marckdanner de Sbegard/ arcis Coldingenſis Præſes. In quo ſeqiiens Epitaphium cernitur, quod Rex Haraldus patri ſuo Gormoni & matri Thyræ poſuit, circa annum Chriſti DCCCCLX imperii Romani clavum tenente Otthone I. Circa idem tempus vallum prope Gottorpium, Dannevirck dictum, quod à Slya (ubi olim Haddeby erat;) usq; ad mare occiduum ſe extendebat, extrui curavit Regina Thyra, ut imperatorem Otthonem, Daniæ ruinam minitantem excluderet. Rex autem Gormo in altero horum tumulorum; Thyra verò in altero ſepulturam invenit.

Interpretationem monumenti quod concernit, de ea judicet lector cordatus, ubi noſtras potulerimus meditationes.


Alii qvi in hoc hactenus deſudarunt pulvere; vix quicquam præter jam allata protulerunt.

Ego majeſtate & pulcritudine hujus monumenti allectus cum à ſereniſsima Majeſtate Regia Anno MDCXXI, aliorũ negotiorum cauſa in Cimbriam ablegatus eſſem, Jellingam me contuli, tam præclaro tãti regis Mauſolæo pauliſper ut me oblectarem, ac ſingula acuratius perluſtrarem; rem ita comperi.

Jellinga pagus eſt Nomarchiæ Torildsherrit/ à quodam Cimbrorum Regulo Torildo ſic dictæ, quatuor milliaribus Coldingâ, uno Viella diſtans, nitore & elegantia, ad oppidi haud vulgaris accedens magnitudinem; ab Ellingo quodam Cim-


Cimbrorum duce, (ut quidam volunt) ædificata, ac continua Regum habitatione olim nobilitata. Hic præclarum hoc conſpiciendum ſe præbet Regis Gormonis & Thyræ Reginæ monumentum, quod quoad ſitum, magnitudinem, aliasq; circumſtantias planè reſpondet delineationi à clariſsimo viro Petro Lindebergio exhibitæ. Sed ſaxorum (duo enim ſunt characteribus inſignita) nec planè à quoquam adhuc propoſita eſt genuina & vera Iconographia, nec inſcriptionis ſeries accurata. Iis igitur paululum noſtram hic accommodabimus operam.

Duo circa hoc monumentum conſpiciuntur ſaxa; alterum grandius coloris griſei, magnitudine ea quam expreſſit Lindebergius ſub litera B, in apicem obtuſum deſinens: trium nempe ulnarum cum tribus quartis. Latus qvod latius eſt, quatuor tenet ulnas cum una quarta, reliquorum illud quod Leonem exhibet, duas ulnas cum tribus quartis: quod virum, duas ulnas cum dimidia.



Situm ad radices montis meridionalioris in ipſo cœmeterio. Primum ejus latus ductibus quibusdam intricatis in ſummitate exornatur: juxta radicem verò quatuor characterum habet ordines in extremitatibus ſimul quaſi illaqueatos.

Secundum latus Leonis oſtentat figuram ex variis inciſurarum ductibus, miro artificio conflatum unico literarum ordine ad baſin inſignitum. Tertium viri effigiem exhibet, plexibus quibusdam illigatam iisq; hinc inde perreptantibus tantum relinquunt juxta terram ſpacii, quatum lineæ unicæ literatæ ſufficere valet, ut ex hac liquet delineatione.



Inſcriptionis jam attendenda ſeries, quæ non à me ſolum, ſed etiam Dno Jona Schonvigio & Paſtore loci diligentiſsimè, iisdem planè ductibus fuit obſervata. Primi lateris hæc ſunt:

ᚼᛅᚱᛅᛚᛏᚱ : ᛘᚢᚴᚢᛘᛦ : ᛒᛅᚦ : ᛘᛅᚢᚱᚢᛅ

ᛘᚢᛒᛚ

ᚴᚢᛒᛚ: ᚦᛆᚢᛋᛁ: ᛆᚠᛏ: ᚴᚢᚱᛘ: ᚠᛆᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚿ:
ᛆᚢᚴ: ᛆᚠᛏ: ᚦᛁᚢᚱᚢᛁ: ᛘᚢᚦᚢᚱ: ᛋᛁᚿᛆᛋᛆ:
ᚼᛆᚱᛆᛚᛏᚱ: ᚴᛆᛋᛋᛆᚱ: ᚢᛆᚿ: ᛏᛆᚿᛘᛆᚢᚱᚴ

Haralter Kunugr bad kaurua.
Kubl dauſt eft Gurm fadur ſin
Aug eft Thiurui mudur ſinaſa
Haraltr Keſor van Tanmaurk.

HARALDUS REX JUSSIT HUNC TUMULUM EXTRUI IN MEMORIAM GORMONIS PATRIS SUI ET THYRÆ MATRIS SUÆ. HARALDUS IMPERATOR RECUPERAVIT DANIAM.

In ſecundo hæc extant.

ᛆᛚᛆ ᛆᚢᚴ ᚿᚢᚱᚢᛁᛆᚴ
Alla aug Nurvieg
TOTAM ET NORVEGIAM

In tertio,

ᛆᚢᚴ ᛏᛁᚿ ᚠ. ᚴᚱᛁᛋᛏᚿ
Aug tini folk Kriſtno

ET EARUM INCOLAS AD FIDEM CHRISTIANAM CONVERTIT.

ᚼᛆᚱᛆᛚᛏᚱ ᚴᚢᚿᚢᚴᚱ Quamvis plures extiterint hujus nominis Reges, attamen cum hic Gormonis ſe prolem agnoſcat ex Thyra, nemo dubitat quin is ſit Haraldus, cujus hiſtoriam perſequitur Saxo noſter in initio libri decimi, cognomento Blaatand/ qui variis fortunæ agitatus caſibus, Haquinum Adelſtanum debellavit, Slavos vicit, Marchionatum Slevicenſem protrivit, Imperatorem Otthonem Cimbria expulit, ac tandem ſalutari baptiſmatis unda tinctus, Chriſtianam amplexus eſt religionem;

Ejus encominm vide apud Helmoldum Chron. Slavor. cap. 15. ubi inter reliqua ſic diſſerit. *Haroldus primum quidem gentilis, deinde magni patris Unni doctrinâ ad fidem Chriſti converſus, tanta ſe erga dominum devotione exercuit, ut non ſurrexerit ſimilis ei inter omnes Reges Danorum, qui tantam Aqvilonis latitudinem ad fidem divinæ cognitionis traxerit & omnem terram Eccleſiis &*

ſacerdotibus fecerit eſſe inſignem. Hujus viri induſtria in divinis quidem rebus fuit eximia; nihilominus tamen etiam in mundana ſapientia, in his videlicet quæ ad Regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, ut leges & jura ſtatuerit, quæ pro autoritate viri non ſolum Dani, ſed & Saxones adhuc hodie ſervare contendunt. Per hæcce jura, Leges quas vulgo Saxenſpigel vocant, intelligunt eruditi. Quas Dano autori tribuere eos cogit, tum affinitas cum noſtris legibus, tum hujus hiſtorici fide digna autoritas.

Regno expulſus Haraldus à proprio milite Tochone proditoriè propè Julinum occiſus, Anno XCLXXX. *Corpus ejus*, inquit Saxo, *Roſchildiam miſſum, apud ſacrarium nuper ab ipſo conditum ſolennem ſepulturæ locum recepit. Ingrata enim olim bonorum ſuorum patria, piiſſimi Ducis opera ſera animadverſione complectens, quod minus vitæ ejus præſtiterat, funeri plenius deferendum putavit: omnibusq; humanitatis nervis, exequiarum cultui inſiſtens, cujus ſpiritum ſuperbè oderat, clementer cineres amplexata eſt.*

Ejus effigiem & Epitaphium adhuc oſtentat Roeſchildiæ columna quædam, hac verborum ſerie.

Poſt Natale Dei dum ſcripſimus octuaginta
Nongentos, meruit ſcandere celſa poli.

Extat non procul Viela in Cimbria prædium Haraldſtier dictum ab eodem hoc Haraldo nomen ſortitum.

ᛒᛅᚦ Juſsit, à verbo Jeg biuder/ Befaler.

ᚴᛅᚢᚱᚢᛅ quidem legunt ᚴᛁᚢᚱᚢᚴ ſed falſò, repugnantibus omnibus literarum ductibus, credo quod hujus vocis ſenſum non ſint aſſecuti. Nec enim probabile Haraldum Chriſtianum in honorem Patris ethnici & Chriſtianorum perſecutoris acerrimi, Chriſto deputatum ſacrarium ſtruxiſſe. Qvin ſi ᚴᛁᚢᚱᚢᚴ legendum, inter hanc vocem & ſequentem ᚴᚢᛒᛚ copulativam ᛅᚢᚴ interiectā eſſe oporteret, ut ſenſus conſtaret. Exiſtimant autem ᚴᛅᚢᚱᚢᛅ idem denotare quod giøre ut prima vocis litera poteſtatem habeat G. ᛒᛅᚦᚴᛅᚱᚢᛅ juſsit fieri & extrui. Alii volunt ᚴᛅᚢᚱᚢᛅ epitheton eſſe ad ᚦᚢᛒᛚ referendum, à

verbo

verbo Jeg Kerver incido & notis exorno, ut ſenſus ſit: Haraldum ſtruxiſſe tumulum hunc, qui lapide ſepulchrali variis notis & inciſuris exornato, fuit inſignis. Ad diſtinctionem aliorum tumulorum, quibus nulli ejusmodi adjuncti ſunt lapides. Quinimo ſi quis exiſtimaverit cippos ejusmodi olim dictos ᛦᚼᚱᚢᚼ ᛦᚢᛒᛚ à noſtratibus, eum à vero non penitus aberrare putarem, ſi aliis monumentorum inſcriptionibus comprobari hæc interpretatio poſſet.

ᚦᚼᚢᚺᛁ tumulum meridionalem ad cujus radices ſitus lapis, deſignare videtur, aut lapidem ſaltem. Septentrionalem namq; Thyræ à Gormone marito extructum ex lapidis ſequentis inſcriptione colligere datur.

ᚠᚢᚱᛘ. Eſt Gormo tertius, ab hiſtoricis quibusdam dictus Wormo, cognomento Gamle / cujus res geſtas perſequitur Saxo ad calcem libri noni, ait *eum ſemper infenſi erga religionem animi, Chriſticolarum perinde ac teterrimorum hominum reſpectum extinguere cupiviſſe. Omnes hujus normæ participes vario injuriarum genere defatigatos, quibus potuit calumniis inſequi non quieviſſe. Qvin etiam ut priſcum delubris cultum reſtitueret, templum in fundo Sleſvicenſi à religioſis conditum, tamquam ſacrilegum aliquod impietatis domicilium, ab imis fundamentorum partibus demolitum eſſe.* Ab Henrico Aucupe (qui Marchionatum Sleſvigæ & Daniæ limitem conſtituit, inq; eum finem caſtrum Oldenburg extrui curavit) victus & Nordalbingia pulſus eſt. Obiit Anno DCCCCXXXIV, vel ut alii volunt DCCCCXXX, alii DCCCCXXXI. Mendū arbitror eſſe in hiſtoria ab Erico Rege contexta, ubi aſſerit Gormonem hunc obiiſſe anno Domini DCCCCL legendū cenſeo DCCCCXXX.

ᚦᚢᚱᚢᛁ, Thurui etiam legitur in hiſtoria Norvagica Haldani Swarte. Thyra Saxoni. Hæc Anglorum Regis Hedelradi ut Saxo, vel ut vulgo, Ethelredi filia fuit, gravitate atq; induſtria ante alias præſtans, noſtratibus Dannebod. *Quæ*; dictante Saxone noſtro, *quò patriam à clandeſtinis exterorum irruptionibus tutiorem præſtaret, quantum*

tum à Sleſvico, ad occidentalem oceanum patet; vallo foſſaq; proſcindere aggreſſa eſt ſuperq; jacto aggere tenaciſſimi operis terrenum molita eſt munimentum. Eadem quoq; cum ſub ſpecie fœminæ virilem animum gereret, Scaniam Svetica dominatione compreſſam præſtandi tributi onere liberavit. De ejus obitu paulo poſt ſequentia addit. *Poſthæc Thyra Danicæ majeſtatis caput abſumpta eſt: cujus corpus Haraldus ampliſſimo funere elatum, magno cum omnium plangore, non longè à patris tumulo ſepulturæ mandavit. Ubi nunc quoq; ſacrarium perſpicere licet, duorum coniugum ſocialibus buſtis interſitum.* Habuit & Haraldus **Klack** filiam ejusdem nominis, nuptam Siguardo **Hiort** Regulo Norvago in **Ringerige**: errare igitur videtur Snorro Sturlæ qui in Hiſt. Noro. hanc Gormonis ſtatuit uxorem.

ᚴᛆᛁᛋᛆᛦ Imperator manifeſtiſsimis literarum ductibus hic extat. Dictum verò Imperatorem arbitror Haraldum quod Daniam è manibus Imperatoris Otthonis eripuerit ejusq; copias partim diſsipaverit, partim proſtraverit, quod ita perſequitur hiſtoricus noſter. *Cæſar jutiam, utpote regio ductu vacuam, nullo reſiſtente permenſus, cum Lymici ſinus objectu, tunc temporis Wendalam aquis claudentis ulterius excurrere vetaretur, conjectâ in undas lanceâ, non ſolum iter ad Eidoram reflexit, verum & ſimillimum fugæ reditum habuit. Siquidem haſtam cujus uſum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gratia jaculatus, ſuum freto vocabulum indidit. Verum ut impetu gravis ita exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentiſſimo curſu abſcedentes hoſtium reliquias inſecutus Epponem extremi agminis Ducem, cum iis quos reperit, trucidavit.* De hac victoria hoc in loco ſermonem eſſe non dubito, & vel hoc nomine in Otthonis contemptum ſe non minus Daniæ ſuæ Imperatorem ac Cæſarem ſalutari debere, quàm Otthonem Germaniæ, ſtatuiſſe videtur. Vel forſan ita dictus, quod primus Regum Daniæ contra Imperatorem Germaniæ feliciter adeo bellum geſſerit.

ᚢᛆᛚ Id eſt vicit, vel recuperavit, modo quo jam dictum. Nec enim cum iis facio qui Germanicum eſſe putant

tant **van**/ quaſi hic eſſet ſenſus: **Keiſer van Danmarck.** CÆSAR DANIÆ. Qvi enim ejus gentis cujus infenſiſſimus erat hoſtis Haraldus, vocibus, tam elegans temeraſſet monumentum?

ᛏᛅᚴᛘᚢᚱᛦ ſequens ſaxum ᛏᛅᚴᛘᛅᚱᛦᛅᛦ, orthographia à moderna remotiore. Sed & Islandi ᛏ punctatum per D. latinum exprimunt.

ᛅᛚᛅ Indicat univerſam Daniam ſub ejus imperio fuiſſe. Lacuna in ſaxo hic apparet, quocirca quidam legendum putant ᚢᛒᛋᛅᛚᛁ Upſaliam; ut ſenſus ſit Haraldum Daniam, Upſaliam (Sveciam intelligit quæ in antiquitatibus noſtris crebro vocatur Regnum Upſaliæ) Norvegiam &c. debellaſſe & ad fidem Chriſtianam convertiſſe.

ᚾᚢᚱᚢᛁᛅᚴ, victoriam eam innui arbitror quam nomine Haraldi Gunildæ filii, in Norvegiâ obtinuit, fugato Haquino Adelſtano; quo nomine etiam Norvegia ei tributum ſolvere tenebatur. Qvod etiam tangit noſter toties laudatus hiſtoricus hac verborum forma. *Cum itaq; res barbaras regia exſecutione tractaſſet, in Daniam reverſus occurſu Haraldi Gunildæ filii adverſus eundem Haquinum auxilia petentis excipitur, pollicentisq; ſibi tributa daturum, ſi Danicæ opis beneficio, efficacia partium ſuarum adjumenta ſumpſiſſet. Enimverò inter acerbiſſimos rerum caſus clementiſſimam Regis humanitatem expertus eſt. Hevindo enim atq; Karlhofto pugnæ adjutoribus receptis, ſexaginta navium claſſe donatus, petiti præſidii compos abſceſſit, evenitq; ut plus ſpei in auxilio Danorum, quam metus in ſua adverſitate reponeret* &c. Haraldus *itaq; inſperato hoſtis exitio, regnandi fortunam adeptus, triennio promiſſum Danis bonæ fidei vectigal exhibuit.* Norvagiam verò hic intelligi etiam argumento eſt Leo, ſupra has voces ſculptus, qui adhuc Norvagiæ exhibet inſignia.

ᛏᛁᛘ ᚠᛅᛚᚠ lacunam, ita habita rerum geſtarum ratione, ſuppleo. ᚠ enim & ᛦ adhuc expreſsè ſatis omnibus ſuis ductibus integra extant. Incolas indicari cenſeo. Monuit Magnificus Dominus Cancellarius Chriſtianus Friſius

 ſius

ſius de Kragerup &c. eſſe qui legant ᛏᛁᛘᛁᚴ ᛏᛁᚢᚴ ᚴᚱᛁᛋᛏᛁᛘ ut ſenſus ſit Haraldum novos Teutonum Chriſtianos ſub ſuo habuiſſe imperio. Diſtinguens inter eos qui nuper ad fidem converſi erant, & reliquos qvi tempore Caroli Magni Chriſto nomina dederunt.


ᚴᚱᛁᛋᛏᛁᚭ ad Chriſtianam perduxit religionem. Quamvis enim ipſe ethnico patre genitus; primis ſui imperii annis, idolis ſervierit, progreſſu tamen temporis, matris victus precibus, ac fœdere cum Imperatore ſancito, in Chriſtianorum tranſiit caſtra, ſubditis eandem religionem ſeverè commendans. Quod nec diſsimulat Saxo noſter, ſubſtrictis hiſce idem inſinuans: *Verum Haraldus rebus cum Imperatore compoſitis conſortium catholicæ religionis amplexus, divinam humanamq́ pacem regno ſuo conciliavit.*

Hæc vera ſaxi hujus eſt effigies, & rebus noſtris conſona vocum interpretatio. Ubi mirari ſubit majorum acumen, qui res tantas, paucis adeò verborum apicibus comprǽhendere valuerunt. Exoptandum certè reliquis noſtris monumentis parem ab hiſtoriis lucem accedere poſſe; quin ſic majori cum delectatione legerentur, majoriq́; in precio haberentur non dubitarem.

QVARTUM
JELLINGENSE II.

ALterum quod eodem in loco viſitur ſaxum, à Lindebergio non delineatum, ab omnibus fermè mutile exhibitum, templi valvis adjacet, ita ut feſsis ſeſſum præbere valeat, politius aliquanto videtur priori, ſed ad ejus vaſtitatem haud accedens. Colore conſpicitur ſubcæruleo, duarum ulnarum longitudine, latitudine unius cum ſemiſſe, hac ferme figura.

ᚠᚢᚱ:



ᚴᚢᚱᛘᛦ : ᚴᚢᚾᚢᚴᛦ : ᚴᛁᚱᚦᛁ : ᚴᚢᛒᛚ : ᚦᚢᛋᛁ : ᛁᚠᛏ : ᚦᚢᚱᚢᛁ : ᚴᚢᚾᚢ : ᛋᛁᚾᛆ : ᛏᛆᚾᛘᛆᚱᚴᛆᛦ ᛒᚢᛏ

Gurmr Kunugr gerdi kubl duſi eft Turui Kunu ſina Tanmarker but.

GORMO REX TUMULUM HUNC CONJUGI SUÆ THYRÆ POSUIT, QVÆ DANIAM EXORNAVIT.

Saxum hoc ſcrupulum haut parvum hiſtoricis noſtris objicit, qui uno ore aſſerunt, Gormonem ante conjugem Thyram mortem opetiiſſe. Quod ſi ita ſit, qui tumulum & inſcriptionem hanc Reginæ ponere potuit, cum illa multis annis poſt ipſum vixerit, imo ipſo defuncto vallum Dannevirke ædificaverit? Niſi ſtatuerimus Gormonem adhuc vivum hunc tumulum fabricaſſe, eumq; deſtinaſſe cineribus Reginæ nondum defunctæ, vix hinc nos expediemus. Hoc ipſum enim quodam modo, aſtruere etiam videtur ſaxi ſuperius explicati moles atq; majeſtas. Haraldus namq; matre defuncta, cernens ſaxum hoc de quo jam nobis ſermo eſt, vilius eſſe quam ut Majeſtatis Danicæ caput, aut tegeret aut æternitati conſecraret, *totam regni claſſem exercens*, verbis Saxonis noſtri utor, *ne parvo apparatu magnæ molis pondus ag-*

grederetur junctis hominum boumq́; copiis inuſitatæ magnitudinis ſaxum jutico littore repertum, quo matris tumulum inſigniret abſtrahi juſsit. Hoc quidam illud ſaxum eſſe arbitrantur de quo antea diſſeruimus, quod tantis ornamentis, tamq́; exquiſito verborum contextus genere politum, priori abrogato ſubſtituit. Sed alii exiſtimant non hoc eſſe illud de quo Saxo noſter loquitur, ſed grandius ac majus, quod impeditus filii rebellione, ad ſepulturæ locum perducere non potuit, ſed in medio fermè itinere relinquere coactus fuit. Quod etiamnum in loco Beckſchede oſtentatur à multis. Quæ opinio mihi videtur probabilior, ſiquidem illud quod in cœmeterio Jellingenſi viſitur, tantæ molis non eſt, ut tantis impenſis, tantaq́; indigeat opera ut dimoveatur. In ea mole tantum ſibi placuiſſe videtur Haraldus, ut vix majus aut præſtantius poni potuiſſe arbitraretur. Quod etiam haud diſsimulat Saxo noſter, dum paulo poſt hæc ſubjungit: *Inter hæc Haraldus circa tractum lapidis occupatus, quendam ſuorum è claſſe ſupervenientem arctius percunctari cœpit, an tantam alias molem mortali manu tentatam conſpexerit?* Probabile igitur autumo, Gormonem jam ſenio confectum, ſibi ac conjugi hæc deſtinaſſe ſepulturæ loca, ſaxum quinetiam hoc minus, epitaphio ornandum curaſſe, quod matre defuncta in præſtantius illud convertit Haraldus, & adhuc majori mole illuſtraſſet, ni filius regnum vi & dolis eripere tentans, conatus irritos reddidiſſet.

ᚴᛆᚱᚦᛁ ᚴᚢᛒᛚ tumulum igitur præparari curavit Gormo.

ᛆᚠᛏ Hæc particula ab obitu Reginæ exſtructum tumulum, arguere videtur. Sed ut hodie fieri animadvertimus, multi ſibiipſis ſepulchrales lapides Epitaphiis vivi condecorant, qui demum poſt obitum tumbæ adaptantur; ita & hic factum arbitramur.

ᚴᚢᚾᚢ Kone uxori; mirum eo ævo honoratiori titulo decoratas non fuiſſe Reginas, aliasq́; regio ſanguine ortas Heroinas, quam quo hoc tempore quævis è plebe ſalutatur.

ᛏᛆᚾᛘᛆᚱᚴᛆᛦ ſupra ᛏᛆᚾᛘᚢᚱᚴ. Exiſtimant quidam hac voce innui vallum de quo ſupra diximus, qvod à Slyæ

oſtio


oſtio in oceanum occiduum duxit præſtantiſsima hæc fœmina. Sed iis adſtipulari nequeo, ſiquidem defuncto primum marito, poſtquam Imperator Ottho, irruptione in Cimbriam facta, cum copiis expulſus eſſet, id primum nova fabrica auctum à Thyra fuiſſe, expreſsè aſſerant hiſtoriarum noſtrarum documenta. Sed multo ante diem ſuum obiit Gormo, qui hujus inſcriptionis autor. Quocirca de tota Dania intelligendum arbitror, quæ variis & præclaris ædificiis ab ipſa exornata, conſiliis quin etiam ſanis firmata fuit. Hoc ſibi vult vox BNT à verbo **jeg bygger** ædificio, quod tam ad ſtructuras artificiales, quam ad politiam ſanis conſiliis reſtauratam, ac de novo quaſi exſtructam accommodari poteſt. Haud mihi diſplicet de hiſce vocibus conjectura Stephanii noſtri. Arbitratur enim iis titulum olim Thyræ tributum exprimi quo ob merita, vulgo Thyræ DANEBOD, id eſt, ut Saxo explicat, *Danicæ majeſtatis caput*, paſsim, indigetabatur. Sic enim ille literis ad me anno M DCXXXII. datis: *In monumenti inſcriptione quod GORMO rex conjugi ſuæ Thyræ poſuit, ultima illa verba TANMARKERBVT, expono DANMARKESBOTH ſive BOED. Optima namq; reginarum Thyra, ob præclara in patriam merita, vulgari & inſigni cognomine DANEBOTH vel DANEBOD, dicta eſt: quomodo apud Welleium, Lyſcandrum, & alios legere eſt. Facilis autem vocis BVT in BOTH aut BOED flexus eſt.*

Hæc ſunt quæ mihi neceſſaria videbantur ad præclari hujus monumenti enucleationem, in quibus diutius aliquanto immoratus quod fuerim, rei dignitati, ac monumenti præſtantiæ aſcribendum volo. Interim paratus ſententiam mutare, ſi quis evidentioribus documentis certius quid inde elicuerit.

QUARTUM
HAVERSLEVENSE.

PRopè **Jmmervad** in præfectura Haterslebienſi, extare accepimus in campis ad **Haverſleu** pertinentibus prope

vadum inſigni clade, quam Dani ibidem circa annum Chriſti M CCCCXX tempore Erici Pomerani ab Holſatis accepe- runt, hoc dicterio peculiariter famigeratum: Hos Jmmersvad fik Danſke it ſandens Bad. Tunc enim præter grega- rios milites, ibidem occubuerunt, Antonius Ronnou & Pe- trus Hogeſkild primariæ nobilitatis magnæq; dignitatis viri. Unde & locum non Jmmersvad ſed Jammersvad dictum multi putant. Hic juxta viam regiam ſaxum conſpicitur in cippi figuram natura elaboratum, rude quidem & vulgare, ſed altitudine trium ulnarum cum dimidia, latitudine dua- rum. Quà orientem ſpectat, unicum habet literarum du- ctum paucis admodum conſtantem notarum characteribus, in hunc modum exaratis.



ᚼIRᚢᛚᚠᛦ
Hirulfr

Qui-

Quidam legunt ᚼᛁᚱᚢᛚᚠᛦ, exiſtimantes duarum vocum combinationem hic eſſe, ut Haer / Her ſeu Dominum notet, Rulfer proprium ejus qui hic tumulatus. Sed unicam hæc omnia conſtituere vocem citius crediderim, cum Domini titulus in aliis ejus generis vetuſtioribus non occurrat. Niſi forte dixeris Her hoc in loco exercitum denotare; hæc enim hujus vocis etiam eſt ſignificatio. Ut ſenſus ſit: Hoc in loco fuit vel vicit exercitus Rolfonis. De eo verò nihil hactenus à noſtratibus, monumentis literarum conſignatum reperire licuit. Trophæum potius mihi videtur quàm Epitaphium, & haud ſcio an Rolloni, Norvagis Gange Rolff dicto (quem illi ſuum, Exteri Danum vocant) hoc commodè attribui poſsit. Circa annum Chriſti DCCCC inſtructiſsima claſſe e Dania novas quæſitum ſedes emigraſſe eum referunt annales, ac demum Neuſtriam Franciæ occupaſſe, ubi ex ejus progenie Vilhelmus conqueſtor, aliiq; Britanniæ Reges tandem ortum traxerunt. Forſan in hujns migrationis memoriam poſitus hic cippus: vel qvod eo in loco exercitum collegerit & luſtraverit, vel qvod inde non procul claſsis ſuæ ſtativa habuerit. Hujus namq; Rollonis etiam in Anglia egregium extat monumentum qvod *Rolrichſtones* vocant, qvodq; pluribus delineatur & deſcribitur à Cambdeno in Oxfordshire, dignifsimum viſu. *Quo enim tempore* (inquit Cambdenus) *cum ſuis Danis & Normannis Angliam deprædationibus exagitaret, Danos cum Anglis prælium juxta ad Hokenorton conſeruiſſe legimus & poſtea iterum dimicaſſe ad Scierſtane in Huiccia.* Ubi nota, illum facili lapſu pro Sejerſtane, qvod lapides victoriæ notat, à voce *ſeier*, victoria & *ſtene* lapides, legere Scierſtane, etymologia à re alieniſsima. Ejusmodi enim lapides tam apud nos quam Norvagos, hoc nomine etiamnum inſigniuntur.

Nec diſſentire videtur Chronicon Carionis lib. 4. expreſsè aſſerens: *Normannos Rollone duce è Cymbrica cherſoneſo Regni Franciæ partem claſſe invaſiſſe ac diripuiſſe, poſtea v. ex transactione cum Carolo ſimplice Franciæ Rege obtinuiſſe, quæ qvod in occiden-*

tem

tem vergeret corrupta voce Neuſtria antiquitus dicta fuit, quaſi regnum occidentale.


Nec ineptè huic nomini & inſcriptioni convenit nomen Heriulferi dicti **Hornbrioter** quem antiquitates Norvagicæ vexilliferum Halfdani Nigri, patris Haraldi Pulchricomi, fuiſſe ferunt. Verum certis de cauſis gratia Principis ſui cum excidiſſet, in Sveciam ſe contulit. Ubi cum aliquot annis Regi inſignem navaſſet operam, magnoq; ab omnibus in precio habitus eſſet, ſtuprum filiæ Comitis cujusdam intulit, cum qua ad deſerta Norvegiæ & Sveciæ contermina aufugit, ibidē excisis ſylvis ſibi domicilium elegit, per famulos à finitimis victui neceſſaria comparans, usq; dum territorium ſibi reddidiſſet ad quævis opportunum, quod de ſuo nomine **Heriulffdal** vocavit, jam verò per contractionem **Herdal** dicitur; ſub Nidroſienſi ſitum Diœceſi. Qvod ſi tempore exilii ſui ad hæc loca perveniſſe, ac memorabile quid ibidem perpetraſſe hunc Heriulferum evidentibus probari poſſet documentis: in ejus memoriam hunc poſitum fuiſſe cippum non dubitarem affirmare.

Meminit Lindebergius, loco ſupra citato, alterius cujusdam in Holſatia lapidis, literis Runicis exarati, cujus delineationem habere nondum licuit.

SEXTUM
CORNU AUREUM DANICUM.

HUc non immerito, aureum illud Cornu refero, qvod Anno MDCXXXIX paupercula quædam puella Dana, in Diœceſi Ripenſi invenit, & jam inter κειμήλια sereniſsimi Principis CHRISTIANI V. &c. aſſervatur. Cujus hiſtoriam hic inſerendam duxi, tum ut videant invidi Danicum eſſe, non verò ab exteris petitum aut emendicatum: tum quod intelligam, magna in exteris ingenia, dignū hoc judicaſſe, in quo non horas ſaltem, ſed dies & vigilias pluſculas impenderent.

Sere-


GIOHAFNY
1632

AUREUM
Sereniſsimi Principis
CHRISTIANI QVINTI
CORNU.



Sereniſsimo ac Celſiſsimo
Domino,

CHRISTIANO QVINTO

Daniæ & Norvegiæ &c.
Principi electo,

Domino meo clementiſsimo
S.

SIngulari divinæ providentiæ decreto factum reor, SERENISSIME PRINCEPS, qvod ſub exoptatiſsimo & pacatiſsimo auguſtiſsimi parentis tui imperio, alma parens Natura, huc usq; clauſos ſuos tam liberaliter aperuerit ſinus, donisque inexſpectatis tam benigne patriam ditaverit noſtram. Dum non ſolum hactenus reconditos metallorum Argenti, Æris, Ferri, aliorumque mineralium crudos copioſè effudit acervos: ſed & priſcâ arte mirè elaboratum, & paupercula virginis miniſterio è latebris erutum, ad ejusdem Majeſtatis pedes aurei Cornu depoſuerit theſaurum. Hoc enim quid aliud innuere videtur, qvam qvod in tantis vicinorum ſtragibus, tamque funeſtis bellorum turbinibus, aureum adhuc, hoc eſt, pacatum ut hactenus, divina benignitate, ſub ejus auſpiciis imperium, omniaque tam quò ad cultus divini Religionem, qvam

qvò ad politiæ ſtabilimentum, verè aurea nobis polliceri habeamus. Sed qvod idem hoc aureum Cornu, tamque precioſum antiquitatis κειμήλιον Regia liberalitas in Tuam collatum voluerit Serenitatem, utpote quæ antiquitates tam præclaras æſtimare, & in abſtruſa veterum ſecreta inquirere optime novit; quid eſt qvod ex eo colligamus, niſi optimi Regis pium hoc eſſe votum, omnes ſimul ſibi innatas Heroicas virtutes, auream præſertim Pietatem, qua hactenus Regna ſua firmavit, una in T. C. ut deriventur. cuncta tam qvò ad veræ ac ſinceræ Religionis protectionem: quàm qvo ad ſubditorum incolumitatem, verè aurea, à Te quoque feliciter exſpectare ut poſsint ſubditi. Qvòd faxit ſummus ille rerum arbiter, qvi Regum corda in manu tenet, & ſuos in ſemitas juſtitiæ feliciter dirigere novit. Cæterum cum & hæc mihi contigerit felicitas, ut non ſolum tam rarum, tamq; eximium donum, oculis uſurpaverim meis, ſed & ejus hoſpitalitia libatione, me dignata ſit Celſitudo Tua, myſteria in eo contenta enodare & in lucem protrahere, ut allaborarem, non potui non, quantum in me erat mandatis obſeqvi, Tuæque Celſitudinis voluntati morem gerere, ad quævis obſequia paratiſsimus. Operis qvocirca tam eximii ſtructuram mirabilem diligenter expendens,

materiæ nobilitatem æſtimavi, in arcana accuratiori mentis indagine ſollicitè inquiſivi; ſigilla & ornamenta cum iis quæ ab optimæ notæ autoribus, de ejusmodi ſecretis traduntur hieroglyphicis, qvantum temporis & occupationum moleſtiſsimarum momenta conceſſere, contuli. Atq; in eo qvo magis majorum noſtrorum arcana hæc ſacra, Religionem & Imperium concernentia, tantis tamque miris iconum involucris occultandi, & à profani vulgus captu ſeqveſtrandi miratus ſum ſtudium, eò alacrius ceptis inſtiti. Nec prius deſtiti, qvam effracto cortice, nucleum eruerim, monita Principe haud indigna continentem. Qvæ ut dignè in conſpectum tuum prodirent, Aureum hocce Cornu, noſtra opella, aliqvantulum expolitum, & ab Ænigmatum Hieroglyphicorum nocte utcumque liberatum, ad Dominum ſuum remittendum duxi. Spe certa fretus, ea benignitate & favore, qvo me jam aliqvoties in aulà ſuâ excepit, qvoque paupertinos meos lares nuper viſitare, ſeque antiquitatum noſtrarum apparatu, rerumque Naturalium & exoticarum, in noſtro ταμειῷ extantium varietate, oblectare haud gravata eſt, & hunc gratificandi conatum Serenit. tuam excepturam. Qvod ut faciat, meiſque ſtudiis porro favere pergat, ex

animo rogo & opto. Æternum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſollicitis veneror precibus Illuſtriſsimam Serenitatem tuam, cum conjuge celſiſsima, totaque domo Regia, diu ſoſpitem & incolumem nobis ut conſervet, & maximo horum Regnorum, ac militantis ſuæ Eccleſiæ bono in Neſtorios protegat annos. Qvod ut fiat, fac ô Jeſu Chriſte, qvi ſolus potes. Amen. Hafniæ Calendis Januariis Anni M DC XLI.

Sereniſſ. Celſitud. Tuæ

Subjectiſſimus

OLAUS WORM D.
Medic. Prof. P.

Lecto-

Lectori benevolo

S.

CUm non ita pridè Nycopiam Falſtrorum vocatus eſſem, Sereniſſimo ac Celſiſſimo Domino CHRISTIANO QVINTO Daniæ & Norvegiæ Principi electo, &c. Illuſtriſſimæque Conjugi MAGDALENÆ SYBILLÆ febri epidemia contagioſa apud nos graſſante decumbentibus, conſilio ut adeſſem: inter reliqua favoris & benevolentiæ mihi tum exhibita indicia, juſſu Sereniſſimi Principis, Cornu illud aureum, quod ante annum in Cimbria inventum, mero repletum, per Nobiliſſimum, tam eruditione, quam genere & virtutibus virum, Dominum JOACHIMUM GESTORFIUM, eidem Sereniſſimo noſtro à cubiculis, mihi exhibitum eſt. Tum ut hoſpitalitium inde haurirem liquorem, tum ut qvid ſibi vellent Emblemata, mira & priſca arte in eo fuſa, indicarem. Parui juſſis quantum potui. Sed cum reconditæ Philoſophiæ animadverterem Hieroglyphicos characteres, qui ipſo indigere videbantur Oedipo: ſtructuram tam nobilis poculi delineare, ornamenta & Emblemata depingere, mihi ut concederetur, ſubmiſſe petii, qvò de iis cogitandi occaſio eſſet commodior. Non gravatè precibus annuit optimus Princeps, conceſſit ad arbitrium, donec ſingula accuratè delineata & expenſa à me eſſent. Dum ſtructuram operis mirabilem, metalli inprimis præſtantiam expendo, incidit mihi qvod olim apud Athenæum me legiſſe memini de poculo Enalli, qvod ex auro tam præſtanti confectum erat, ut aurum qvod apud alios reperiebatur, huic comparatum æs videretur. Relationem ſi lubet, quia jucunda eſt, apud Athenæum Dipnoſoph. lib. XI. cap. IV. hiſce à Natali de comitibus in latium traductam legere poteris; ex Poſſidonio libro XVI hauſtam: Sunt qvi fabulentur de rebus Methymneis, ac de virgine in mare projecta: dicunt enim qvod cum ex ducibus qvidam eam amaret, cui nomen erat Enallo, is natavit ut puellam ipſam ſervaret, qui tamen ambo cum ab undis cooperti fuiſſent, non amplius viſi ſunt. Poſtea ſequentibus temporibus cum Methymne iterum habitari cepiſſet, acceſſiſſe ajunt Enallum, modumque ſuæ occulta-

cultationis expoſuiſſe, ac virginem apud Nereidas eſſe dixiſſe, ſeq; equos Neptuni paviſſe. Mox cum unda rurſus accedente aliqvando enataſſet, ipſum poculum rotundum, parvum valdeque antiqvum, ac auribus valde contuſis habentem, acceſsiſſe aſſerunt, cujus in circulo undecim aureæ literæ Iovis ſervatoris conſpiciebantur. Ita admirabilis erat auri, ut aurum qvod erat apud ipſos, æs videretur comparatum. *Sed miſsis fabuloſis iſtis, ad Regium ac verè, Principe dignum ex præſtantiſsimo obrizo confectum nos contulimus. Domum namque reverſum & rei dignitas, & antiquitatis majeſtas, & operis raritas, & Principis monita, ulteriori indagine in ſtructuram ut inquirerem, permoverunt: eoque me adegerunt ut horas ſubciſivas aliqvot ei tribuerem. Venerandæ antiquitatis admiratoribus, abſtruſioris Literaturæ myſtis anſam ſuppeditaturum me ſpero, ingenia in tam nobili ſubjecto exercendi, hæcque in ulteriorem disqviſitionem trahendi. Si enim Antiqvitas admirata eſt Philippi Macedonum Regis, Alexandri Magni Patris, unicam ex auro phialam, eamque exiguam, quam, teſtante Duro Samio, ex relatione Athenæi. lib. VI. cap. IV. noctu ſub pulvinari detinuit, in qva tamen nulla ornamenta myſtica, nulla Emblemata, exiguum auri pondus fuiſſe memoratur: qvantò magis admirari decet, tantum antiqvitatis, tamque precioſum κειμήλιον, in qvo materiæ nobilitas & ponderis gravitas, cum magnitudine & ornamentorum majeſtate certant; eoque niti, ut ejus dignitas ſuo in precio locetur, antiqvitas inveſtigetur, myſteria enodentur. Hic ſi viam monſtrare tentavero, & inter Oedipos Davus fuero, non ſpero me nullam apud curioſos initurum gratiam. Præſertim cum multa ſim relicturus, in qvibus nobiliora ingenia ſeſe cum laude exercere valeant. Tu fave Lector candide, & ſi meliora noſti, Candidus imperti. V.*

Aure-

Aureum Cornu Danicum

Quod jam poſsidet Sereniſsimus

CHRISTIANUS QVINTUS

Daniæ Norvegiæ &c. Princeps Electus.

INVENTI HISTORIA.

Anno M DC XXXIX regnante in Dania CHRISTIANO QVARTO, Daniæ, Norvegiæ &c. Rege auguſtiſsimo, menſis Iulii die xx, puella quædam Dana *Chriſtina Svenonis filia* nomine, pagi Øſterby, diſtantis à *Megeltundero* Diœceſis Ripenſis oppido, vix dimidio milliari, eò itura, in itinere in cornu hoc aureum, caſu incidit. Quod cum annoſæ arboris prominentem exiſtimaret radicem (cæno enim & luto undiq; obſitum erat qvod ſe in conſpectum dedit) baculo quem manibus tum geſtabat, quid rei eſſet, quod hic greſſum moraretur, pertentare cepit. Sed cum hoc medio, nil ſe detegeret, quod animum pelliceret, nullius precii radicem eſſe autumans, iter ſuum perſequendo, intactum illud reliquit. Octiduo elapſo rurſus *Oſterbya Meltunderam* tendens, duabus aliis comitata ancillis, quæ ad pagum *Galhuſam* nomine, non procul inde diſtantem, proficiſcebantur, iterato in bivio in idem impegit cornu. Quod cum diligentius aliquanto, non ſine indignatione luſtraſſet, rarum qvid, nec radicis propaginem eſſe animadvertit. Qvia vero baculi tum deſtituebatur adminiculo, digitis terram fodere incipit, magnoq; conatu obvium eruere. Dum ita operi intenta eſſet, pergunt in itinere reliqvæ; non tamen prius deſtitit, qvam totum vi ſumma erutum, manibus teneret. Aliqvousq; pro-

greſ

greſſas comites, in altera bivii ſemita *Galbuſam* tendente, mox læta acclamavit, ſe ſiſterent, aut accelerarent, viſum qvid rari offenderit. Erutam ſimul tractantes prædam, nil aliud, quam caſcum venatorium cornu, eſſe concludebant, qvod tanquam inutile, nulliusq; momenti, ut abjiceret, hortabantur. At illa; qvia tanto mihi conſtitit labore, ad urbem ferre non recuſabo. Progreſſa ulterius, in aquæ dulcis incidit rivum, cujus latice erutum cornu abluere, & à cæni ac luti qvisqviliis, quibus obductum erat, purgare cepit. Tum commune cornu, venatoriis uſibus deputatum, eſſe ut crederet, ei diſſvadebat & operis moles, & pondus, & metalli, paulatim detectæ micantes ſtriæ. Hinc animoſior facta, omnino (diſſvadentibus comitibus ob ponderis & gravitatis molem, onus ſarcinæ quam geſtabat, duplicaturam) in oppidum ſecum deferendum decrevit. Culeo igitur incluſum *Tunderam* detulit. Sed quia ex ære confectum putabat, tunc temporis nemini examinandum tradidit. Domum reverſa, reliquis ejusdem familiæ oſtendit; qui ſtultitiam & temeritatem puellæ increpabant, quod in re navci, tantum poſuerit operæ. At illa, ſequenti die, ulterius poliendo cornu incubuit; in qvo dum occupatur impenſius, intervenere viri duo, de conatu interrogantes, quibus reſpondit, ſe inventum heri cornu mundare, ut ex quo conſtet metallo commodius explorare poſſet. Illi opus aliquantulum luſtrantes, Tubicinem quendam hoc olim uſum fuiſſe, regerebant, eamq; rem ſibi commodam facturam, ſi talis rurſum venderet profeſsionis homini. Puella in errore eos verſari arguebat, ex eo, qvod tot conſtaret partibus (dum enim violenter è terra illud evellebat, annulos quosdam ex iis, quibus interior cingitur lamina, à reliquo corpore extraxit) *Tunderam* ſe rurſum ituram aſſerens, ut certius de uſu & materia hujus cornu ab aliis edoceretur. Eò iterum ubi ſe contuliſſet, fœminæ cuidam, aurifabro examinandam ut offerret, ejus tradidit particulam: (verebatur namq; ſi per ſe negotium expediret, ne deciperetur, veritatem diſsimulante

lante

lante Artifice) Rediit illa, ſententiâ Aurificis aurum eſſe referens. Qvo reſponſo quantum ſit recreata quivis facile colligit. Hinc fama de aureo invento cornu, longe lateq; ſpargebatur, multosq; pellicebat *Oſterbyam*, viſum theſaurum ut tenderent. Tandem ad Tunderenſem Præfectum delata res ubi fuit, nuncium puellæ miſit, ad ſe ut advolaret, inventumq; ſecum deferret theſaurum. Illa parens monitis, ſe cornuq; ſtitit, rogans ſibi facultatem currumq; dari, qvo Regiam Majeſtatem coram convenire, inventumq; cornu offerre poſſet. At ille prius Præſidi Regio territorii Ripenſis monſtrandum urſit. Non repugnavit puella; unâ igitur itineri Ripas verſus ſe accingunt. Eò ubi perventum, Præſidem non invenere, alio enim negotiorum publicorum curandorum cauſa, conceſſerat. In ejus igitur adventum cornu aſſervandum ratus arcis Scriba, puellam domum dimiſit, ſe cuncta accuratè expediturum pollicitus. Præſes ubi rediit, puellam ad ſe vocari juſsit, rem geſtam præſens ut exponeret, atq; num plura ejus generis ibidem loci reperiri poſſent, edoceret. Illa diſertis quæ jam retuli effata, ſe neſcire an plura ejus generis in dicto extent bivio proteſtata eſt. Interim ſi periculum facere luberet, locum monſtraturam. Mox, duce puella, ablegati ſunt, qui diligentius cuncta luſtrarent, terram effoderent, & in theſauros accuratè inquirerent. Sed nihil invenere momenti quod eſſet alicujus.

Interea *Tychopolim*, quam *Glukſtadium* vulgò vocant, (ubi tum cum filio Principe comorabatur Rex noſter Chriſtianiſsimus) appulit quidam, inter ſocios rem geſtam narrans, aureiq; hujus cornu præſtantiam miris encomiis deprædicans: tantum theſaurum ſolis Regibus & Principibus dignum, ab indignis tractari, nefas eſſe judicans. Unde ad aures Regias delatâ hac famâ, an vera narraret homo, diligentius inquiri juſſum eſt. Ille non modo rem geſtam, ut fide dignorum relatione accepit, narrare, ſed & locum, & tempus, & puellam, & reliquas circumſtantias, à primo ovo enumerare pergens, ubi jam hoc extaret aureum cornu,

ſubjungere non deſtitit. Meruit narratio fidem; tantumq; apud magiſtratum obtinuit, ut advenâ acrius aſſertionem documentis evidentibus confirmante & defendente, ablegatus ſit probæ fidei vir, qui cuncta accuratius exploraret & inventum cornu ad Regiam Majeſtatem actutum deferret. Is rediens & aurum ipſum & rei geſtæ ſeriem literis conſignatam attulit. Spectaculo tam jucundo dum oculos paſcunt præſentes; animadvertit Majeſtas Regia Sereniſsimum Principem magnopere eo delectari. Liberali igitur animo dono dedit, utq; in rei memoriam & antiqvitatis honorem, ex eo poculum conficere curaret, qvod perenne eſſet inventi theſauri monumentum, injunxit. Tam præclarum antiqvitatis *κειμήλιον*, deſtruendum aut temerandum, ſano conſilio, diſſvaſere conſiliarii, autoresq; fuere Principi, à ſordibus purgari curaret, nitidumq; in poculi uſum ut converteret: cum ex hiſtoriis conſtet, majores noſtros cornibus poculorum loco, in hiſce regionibus uſos fuiſſe antiqvitus. Non diſplicuere Principi conſilia, qvocirca non ſolum aurifabro mundandum & poliendum tradidit; ſed & vocatam ancillam, quæ illud è terra eruit, ubi rem geſtam præſens accuratè expoſuiſſet, amplo ditavit honorario. Purgatum aurum, nitidiſsimum & precioſiſsimum jam præbet poculum, in qvo arte priſca variæ emicant hominum & animalium figuræ hieroglyphicæ, quæ myſticum earum ſenſum indagantium ingenia indies fatigant.

FABRICA.

Aureum hoc Sereniſsimi Principis cornu, ex duplici conſtat lamina, quarum interior ſolida & integra, levis utraq; ſuperficie; exterior verò non continua eſt, ut prior, ſed ex undecim conflata contiguis quaſi latis annulis, ſuis internodiis diſtinctis, & diviſis. Qvi tamen omnes ejusdem nec ſunt latitudinis, nec craſsitiei. Majores excipiunt minores hoc pacto, ut qvamvis ſuis articulis arctè claudantur & uniantur, circumvolvi tamen poſsint & eximi pro lubito, ſalva interiori lamina. Annuli hi lævitate cedunt interiori ſubſtantiæ; duum omnium generum figuris ſunt exornati, qvarum alteræ punctulis

qvi-

qvibusdam conſtant, ſtylo laminæ impreſsis; alteræ eminentes ſunt & ſolidæ, non quidem malleo è ſuperficie procuſæ encolapticè, ut jam in ejusmodi fieri ſolet operibus: ſed ex ſolido auro fuſæ & fabrefactæ, ac peculiari arte agglutinatæ anaglypticè, ut extent & emineant ſupra laminam ſecundam. Apparent namq; in quibusdam rimulæ inter laminam & imagines, quæ divortium aliquale conſtituunt. Si cohærerent hæ ſtatuæ, ſigna, ſeu imagunculæ, ac tanto intervallo ſegregatæ non eſſent, tertium conſtituerent operis corpus. *Materia* ex qua conſtat cornu, puriſsimum eſt obrizum ungarico fermè præſtantius, niſi quod interior ei paululum cedat lamina. *Magnitudinem* quod concernit, rotundum cum ſit & incurvum, pronâ ſui parte (ſepoſito cochleato epiſtomio, nuper claudendo orificio minori aptato) longitudine æquat pedes duos Romanos, cum quinq; pollicibus: ſupinâ pedes duos cum pollice uno. Linea recta ab una extremitate transverſim ad alteram ducta, pedem continet unum & pollices novem. Orificium majus ex quo bibitur, in circumferentia præcisè pedem habet unum, in diametro pollices quatuor Minus quod cochlea clauditur, ambitu quatuor eſt pollicum, in diametro unius cum ſemiſſe fermè. Liquoris capit duos ſextarios cum ſemiſſe, qui conſtituunt menſuram noſtratem cum quarta una. Pendet absq; globo cochleato noviter addito, uncias nonaginta novem cum drachmis duabus. Centenas olim compleviſſe mihi perſvadeo: ſed dum incautius id eruendo tractavit puella & à cœno ac quisquiliis purgavit Aurifaber, reliqvum periiſſe puto. Æſtimatur mille ducentis Imperialibus; ſed ob antiquitatis ſplendorem & raritatem nullus theſaurus ei comparandus. Globulus cochleatus ei nuperè additus octangulus eſt, in ventris circumferentia inſcriptionē hanc continens  *DENNE SKRUFVE ER GIORT AF NY* 1639. quod ſonat: COCHLEA

HÆC FABRE FACTA EST ANNO M DC XXXIX. curante ſcilicet Sereniſsimo Principe CHRISTIANO quinto, cujus nomen exhibet C litera coronata cum incluſâ quinarii numeri nota. Aurum vero ex quo conſtat hæc cochlea, quamvis probioris ſit notæ, ſi tamen in comparationem cum reliquo, quo ad colorem veniat, præ eo orichalcum eſſe jurares. Hunc globum eo fine aptari curavit Sereniſsimus Princeps, ne quid liquoris infuſi efflueret. Annuli ex quibus exterior conſtat lamina, pro ratione proportionis ipſus cornu quod conſtituunt, magnitudinem & amplitudinem ſortiuntur diverſam. Amplisſimus & latiſsimus omnium eſt qui labrum ſeu ſummitatem cingit, ſtrictiſsimus & minimus ultimus, vicinus globo cochleato: intermedii ratione proportionis (aptè invicem conjuncti) ſe habent. Sed quod omnium oculos maximè in ſe convertit, eſt imaginum & ſtatuarum mira, & juxta ſeculi iſtius morem, rudis ſatis ſtructura, antiquitatis majeſtatem commendans.

USUS.

In quosnam olim fabricatum ſit uſus non minus anxiè diſquiritur, quam quid Emblemata ſibi velint quibus exornatur. Sunt qui tubæ aut litui vices in bello ſuſtinuiſſe rentur, ad accendendum militum animos, & inclinantem aciem erigendam, claſsicumq; canendum. Sunt qui in venationibus ad ſocios & canes convocandos, Reges eo uſos exiſtiment. Sunt qui in ſacrificiis Scaldros, Runas & ſacerdotes noſtros ejus ſonitu & boatu populum convocaſſe & invitaſſe putent. Sunt qui in Regum inunctionibus, pretioſo cuidam balſamo aut oleo capiendo deputatum velint, ut per orificium grandius infuſus liquor unctuoſus, per anguſtius in caput deſtillaret. Alii vices poculi ſubiiſſe dicunt. Verum ut certius aliquantò in hujus cognitionem deveniamus, paulò altius quædam de cornubus ſunt repetenda, eaq; accerſenda, quæ eorum *Naturam*, ſpecies, proprietates & uſum in genere concernunt, ut tandem

dem ad noſtrum deveniamus. Aſſertiones melioris notæ autorum teſtimoniis roboraturi, ab ipſâ voce ordimur.

QVID CORNU.

Cornu Græcis κέρας, Priſciano cornus, à curvore dictum vult Varro: alii ab Hebræo קרן *Keren*, qvod etiam cornu notat, derivant. Nobis, ut & Germanis, mutato Latinorum C in aſperatam **Horn** vocatur.

Pars eſt animalis, ut plurimum biſulci, flexilis & fiſsilis, colore cuti reſpondens, capiti adnata, ornatus & tutelæ gratia. Genuina & propria ejus hæc eſt ſignificatio. Melioris interim notæ autores, ad alia denotanda vocem hanc tranſtulerunt, ſimilitudinem & affinitatem, cum cornubus animalium habentia.

Cœlo cornu tribuit Philoſtratus in vita Apollonii. Τὸ ἑσπέριον κέρας, cœli occiduam vocans regionem.

Lunæ, Virgilius 3 Æneid,

Tertia jam Lunæ ſe cornua lumine complent.

Henricus II. Franciſci I. cognomento Valeſii filius, Rex Francorum, pro Symbolo oſtentabat Lunam triplicatam in cornua ſurgentem cujus iconem vide inter Symbola Heroica Paradini, Antverpiæ à Plantino edita. Qvod cum quidam interpretarentur eum in gratiam Imperatoris Turcarum, cum quo pater Franciſcus fœdus pepigerat, geſtare; eum ab hac ſuſpicione, egregia & docta epiſtola liberavit Balduinus Ronſeus Medicus epiſtolar. Medicinal. xvi. Adſcriptum enim huic picturæ erat: DONEC TOTUM COMPLEAT ORBEM. Qvo nil aliud inſinuare voluiſſe conſtat, qvam eum non deſiturum, antequam toto potiretur orbe, ut Ronſeus interpretatur; vel potius, donec totum orbem nominis ſui fama complevisset. Vel ut exponit Paradinus per Lunam Eccleſiam intelligendo, ſpondere videtur ei *certum auxilium & defenſionem; qvod ea tandem ſub unum Deum, Regem unum, unam legem redactâ, totius gregis unicum paſtorem agnoſcentis amabilis unitas & immenſitas appareat.*

Aciei partes ab utroq; latere prominentes, *κέρατα* & cornua vocarunt tam Græci qvam Latini. Sic Cæſar lib. 1. belli Gallici. *Ipſe à dextro cornu prælium commiſit.* Terrentius in Evnucho. *In medium hoc agmen, cum vecti Donax, tu Stimalio in ſiniſtrum cornu, tu Syriſce in dextrum.* Et Lucanus lib. 7. Pharſ.

Non temerè immiſſus campis ſtetit ordine certo
Infelix acies, cornus tibi cura ſiniſtri
Lentule.

Cornus verò dixit caſu ſecundo, eo qvod quæ nunc in U exeunt, olim etiam in Recto terminationem US habuerint, ut recte notavit clariſs. Bangius obſervat. Philologicar. pag. 95. Hinc eſt qvod Plinius, impensè hac terminatione delectetur. Lib. 20. cap. 9. *Fugari eos nidore cornus, ſi uratur dictum eſt.* cap. 11. *Caprini cornus farina vel cinis, magisq; hircini.* & paulo poſt: *Cervini cornus cinere, ſcabrities eorum inungunt.* Item circa finem ejusdem capitis: *Qvidam efficaciorem ad omnes eosdem uſus, crudi cornus farinam arbitrantur.* Hinc *Corniculum* in cohortibus Tribuni militum, à qvo *Cornicularius*, qvi cohortibus tribuni militum præeſt, ut apud Tranquil. cap. 17. *Saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius & Maximus.* Valer. Max. lib. 6. cap. 1. *Cui Cominius Tribunus plebis diem dixit, ad populum, qvod cornicularium ſuum ſtupri cauſa appellaſſet.* Tranquillus de claris Grammat. in Orbilio. *Primò apparituram fecit Magiſtratibus, deinde in Macedonia corniculo.* Primo Maccabeorum cap. 9. crebro *τὸ κέρας* pro aciei parte ſumptum occurrit. verſu 1. *Καὶ τὸ δεξιὸν Κέρας μετ' αὐτῶν.* Et dextrum cornu cum eis. v. 10. *Βακχίδης δὲ ἦν ἐν τῷ δεξιῷ κέρατι.* Bacchides vero erat in dextro cornu. Rurſus v. 15. *Καὶ συνετρίβη τὸ δεξιὸν κέρας.* & contrivit dextrum cornu.

Fluminum flexus & alveorum curvaturæ etiam hoc nomine donantur, vel ob ſimilitudinem qvandam, vel qvod inter Numina numerabantur, ut vult Carolus Paſchalius coronar. lib. 10. cap. 4. Lycophroni *Ocinarus* fluvius eſt *δίκερως* propter violentiam. Statius lib. 2. Thebaid. Inachum cornutum facit.

Pater

Pater ipſe bicornis
In lævum prona nixus ſedet Inacus urnâ.

Sic Virgilius Tibrim 8 Æneid.

Corniger Heſperidum fluvius regnator aqvarum.

Alibi Eridanum.

Et gemino auratus taurino cornua vultu
Eridanus.

Hoc ſenſu Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut.

Sylvarumq́; Deæ atq́; elatis cornibus amnes.

Cicero ad Atticum 9. *Ab utroq́; portus cornu moles jacimus.*

Montes ſuis qvoq; non deſtitutos fuiſſe cornibus ex variis veterum colligere datur locis: Lycophron in Caſſandra.

ἔνθα λαμπέτας
ἱππονίȣ πρηῶνος εἰς τηθὴν κέρας
σκληρὸν νένευκεν.

Adeo ut *omnia ſumma* priſcos cornua vocaſſe ſuſpicari liceat. Hinc namq; Pindarus ὑψικέρατον πέτραν uſurpavit, pro ὑψηλὰ ἀκρωτήρια, altas ſummitates.

Nec juga ſolum montium, ſed & *flexuoſæ cavitates*, qvæ ſub montibus latent, cornua vocantur ab Oppiano κυνηγ. lib. 4.

Ὃς δ' ὕπατον μὲν ἔναιεν ὄρει κεραέντι ὑπ' ἄντρȣ.

Terræ ipſæ longius in mare projectæ, qvas Cherſoneſos vocant, à Poetis hoc nomine dotantur. Sic Lycophron de littore Thracico.

Μαζȣσία προὔχȣσα Χερσαίȣς κέρως.

Hinc elegans illud Demetrii reſponſum, Philippo datum, annotatur à Plutarcho in Arato: *Siqvidem*, inqvit, *vatis habes animam deſeres locum: ſi Regis utroq́; cornu bovem* (id eſt Peloponeſum) *retinebis.*

Sua etiam *libros* habuiſſe cornua vel ex Ovidio conſtat Triſtium Epiſt 1, dum librum hiſce alloqvitur.

Candida nec nigra cornua fronte geras.

Qvo ſenſu & Martialis dixit:

Explicitum nobis usq́; ad ſua cornua librum,

Quæ

Qvæ ut clariora evadant; obſervandum libros olim conſcribi ſolitos, ductu ut plurimum perpetuo, una quippe pagina & volumine: non ut nunc, diſſectis chartis, & in quaterniones, aut alias formas conſertis. Et qvia complicabantur ad inſtar ſpiræ convoluti, inde *volumina* dicti ſunt, à volvendo. In extremo autem paginæ, firmitudinis ergò parvus admodum bacillus ex cedro, aut buxo, cupreſſo, vel ebeno, aut ebore adglutinabatur ad latitudinis modum, qvà membrana præciſa erat. Hunc *umbilicum* vocabant, cujus quidem capita, volumine complicato, cum hinc inde proſtarent, bracteis ex argento vel auro vel gemmis ad ornatum præmunire ſolebant, atq; ea ſunt quæ *cornua librorum* dicuntur. Cujusmodi voluminum, cornibus ſuis eleganter tornatis, exempla aliqvot videre licet in Regiæ Univerſitatis quæ Hafniæ eſt, Bibliotheca.

Navibus ſua qvoq; fuere cornua. Qvæ enim Romani Roſtra, Græci *κέρατα* vocabant. Hinc Æſchylus in Agamemnone.

αἱ δὲ κερωτυπȣμεναι βίᾳ
χειμῶνι, τύφω σιω ζάλη τ᾽ ὀμβροκτύπῳ
ὤχοντι ἄφαντοι.

ἐυκεράȣς naves vocabant benè & fortier roſtratas ſeu cornutas, ut in illo:

Νῆας ἐυκεράȣς, ἀνάτε πρυμνήσια λῦσαι.

Navium antennæ ſuis prædita fuere cornibus, unde Virgilius 3. Æneid.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

& Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut.

Diſcurrunt tranſtris. Hi celſo cornua malo
Expediunt.

Velorum cornua à Macrôbio v. Saturnal. cap. XXI. citantur ex Aſclepiade hunc in modum. *Aſclepiades vir inter Græcos, apprimè doctus & diligens, charcheſia à navali re exiſtimat dicta, ait enim navalis veli partem inferiorem pternam vocari, at circa mediam fermè partem* τάχηλον *dici, ſummam verò partem carcheſium*

ſium nominari, & indè diffundi in utrumq; veli latus ea quæ cornua vocantur.

Aras ſua habuiſſe cornua conſtat ex Jeremiæ 17. v. 1. *Peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in ungve Adamantino exaratum; ſuper latitudine cordis eorum & in cornibus ararum eorum.* ubi per cornua utrumq; latus intelligi qvidam volunt. In eundem ſenſum medii ævi ſcriptores. Collectarii canonum Burchardi, lib. 2. *Idcirco ego Burchardus, Deo annuente, Wormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus, quendam Eccleſiæ noſtræ famulum nomine Eberhardum ſacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in præſentia, per hoc autoritatis teſtamentum ſtatuo, ita ut ab hodierno die & tempore, bene ingenuus ab omni ſervitutis vinculo, ſecurus permaneat.* Sic liber 1. capitulorum Caroli Magni ex Bibliotheca Pithæana capit. LXXXVIII. *Qvandocunq; de familia Eccleſiæ, utilis inventus aliqvis ordinandus eſt; in ambone ipſa autoritas coram populo legatur & coram ſacerdotibus, vel coram fidelibus Laicis ante cornua altaris, ſicut in noſtra autoritate continetur. &c.*

Syllogiſſimorum cornua allegat Cicero 2. de divinatione. *Experiamur itaq;*, ait, *ſi poſſumus cornua commovere diſputationis tuæ.* Syllogiſmi cornuti meminit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. De qvo etiam Seneca Epiſt. XLV. ſic diſſerit. *Cæterum qvi interrogatur an cornua habeat, non eſt tam ſtultus ut frontem ſuam tentet, nec rurſus tam ineptus aut hæbes, ut non habere ſe neſciat, qvod tu illi ſubtiliſſima collectione perſvaſeris. Sic iſta ſine noxa decipiunt, qvomodo præſtigiatorum acetabula & calculi, in qvibus me fallacia ipſa delectat.*

De *cornibus* in utroq; latere *lecticæ* & ædificiorum, conſule alios. *In cornu porticus ampliſſimum cubiculum occurrit*, inqvit Plinius epiſt. lib. 5.

Mitrarum & infularum Epiſcopalium bina *cornua* ſanctitatem & doctrinam, quibus conſpicuum eſſe decet Epiſcopum, notare vult Carolus Pachalius coronarum lib. 4. cap. 21 Et Bacchi mitram cornutam fuiſſe; & Sacerdotis Ammonis Nabidis docet Silius Italicus lib. 25.

Caſſide cornigera dependens infula, ſacros
Præ ſe terrores, divumq́ ferebat honorem.

Cornua pro capillis apud Græcos Grammaticos inveniri his refert Cælius Rhodiginus lib. XXX cap. 1. *Scribunt nonnulli ex Grammaticis Græcis cornua item pro capillis poſita inveniri; qvoniam utraq́ enaſcantur modo eodem.* Qvo ſpectat illud Juvenalis ſatyra 13.

Et madido torqventem cornua cirrho.

Vtero animalium cornua attribuunt Anatomici. In vaccis, cervis, ovibus, capris & ejus generis animalibus, bipartitus cùm ſit & in duo cornua quaſi divaricatus. Humano etiam cornua attribuerunt qvidam. Sed per cornua hæc Varolus intelligit ligamenta inferiora, κρημαςῆρες nonnullis dicta. Sunt enim ad latera fundi protuberantiæ duæ, utrinq; una, ubi vaſa deferentia inſeruntur, quæ ſimilitudinem qvandam cum cornibus habere videntur. Vide Caſp. Bartholin. Anat. lib. 1. c. 29.

Eſt & genus *verrucarum* oblongarum, recurvarum, qvod Avicenna cornu vocat, ob ſimilitudinem quam cum cornu habent. Sic enim ille lib. 4. Fen. 7. tractat 3. cap. 8. *Cornua ſunt additiones ſpiſſæ, ungulares naſcentes ſuper juncturas in extremitatibus, propter vehementiam operationis.* Ad quem locum reſpexiſſe videtur Scaliger Exerc. 199. Sect. 5. cum inqvit: *In homine non monſtrum ſed ægritudo. De qva principi Aboali atq́ maximo viro Abumeron narrantibus, equidem propter eorum authoritatem adducebar ut crederem, donec unum vidimus in dorſo remigis cujusdam qvi in Ligurum triremi diu fuerat.*

Somnum qvoq; cum cornu pingebant veteres, teſte Servio lib. 7. Æneid. Hinc Seneca in Apolochyntoſi.

Et obſcuri creſcebant cornua ſomni.

Item Val. Flac. 8. Argon.

Somne omnipotens te Colchis ab omni
Orbe voco, inq́ unum jubeo nunc ire draconem,
Qua freta ſæpè tuo domui quæ nubila cornu.

De duabus ſomni portis à Virgilio deſcriptis, cornea ſcili-

ſcilicet & Eburnea differens Macrobius in Somnium Scipionis cap. 3. *Velamen ſomni cum in qviete ad verum uſq; aciem animæ introſpicientis admittit, de Cornu creditur, cujus iſta natura eſt, ut tenuatum viſui pervium ſit: cum à verò hebetat ac repellit obtutum, Ebur putatur.*

A cornu *Coronam*, quæ regium eſt geſtamen dictum refert Pierius lib. 41, atq; hinc eſt qvod in ſacris literis *cornu* ſæpe *pro Rege* poſitum invenies. Eccleſiaſtici 47. v. 6. *Et invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dextra ejus tollere hominem fortem in bello & exaltare cornu gentis ſuæ.* Jerem 48. v. 45. *Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium ejus contritum eſt,* ait Dominus: Sic Daniel 7. v. 21. *Aſpiciebam & ecce cornu illud faciebat bellum adverſus ſanctos & prævalebat eis.*

Convenire inter ſe videntur *cornu, radius & corona.* Hinc Moſes cornutus pingitur facie, quæ radiata eſſe debebat. *Vultum ejus* inquit Clemens Alexandrinus, lib. 6. Strom. *inſidebat* ἐπίχροιά τις δεδοξασμένη, glorificata quædam coloris ſpecies Qvod exprimere velle videtur Poeta, cum inquit:

Legiferum nobis monſtrat & ipſe ſenem.
Flammea cornuto librantem lumina vultu,
Geſtantemq; ſacris jura ſacrata libris.

Qvo ſenſu Tertulianus libro adverſus Judæos *Chriſto* tribuat *cornua,* ex verbis ejus conſtat. *Nam & benedicitur,* inquit, *à patre in hæc verba Ioſeph: Tauri decor ejus, Cornua unicornis cornua ejus. In eis nationes ventilabit pariter ad ſummum uſq; terræ. Non utiq; Rhinoceros deſtinabatur unicornis, aut Minotaurus Bicornis: ſed Chriſtus illo ſignificabatur. Taurus ob utramq; diſpoſitionem; aliis ferus, ut judex: aliis manſuetus, ut ſervator, cujus cornua eſſent æſtimata. Nam in antenna navis, qvæ crucis pars eſt, hoc extremitates ejus vocantur. Vnicornis autem medio ſtipite palus. Hac deniq; virtute crucis & hoc modo cornutus, univerſas gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cœlum, & tunc ventilabit per judicium, deſcendens de cœlo in terram.*

His aliisq; modis licet vocabulum cornu capiant auto-

res, tamen propriè animalibus & qvidem biſulcis tribui in confeſſo eſt. Aliis præterea ſi concedantur, ſive animatis, ſive inanimatis, haud propriè id fieri, ſed præter ordinarium Naturæ curſum, non immeritò aſſerunt magni nominis Autores Latini. Ipſe Ariſtoteles lib. 3. de part. anim. cap. 2. oſtendit *Animalia multifidos habentia pedes, cornu carere, qvod cornu auxilii gratia habeatur, multifidis verò non deſint alia auxilia.* Dedit enim Natura, aliis ungves, aliis dentes pugnaces, aliis partem aliam, qua ſeſe tueri & defendere valent. Solipeda cornibus etiam carent; præter Onagrum Indicum, qvi ſingulare cornu gerit. Nullis quæ ſupernè minores habent dentes, cornua eſſe volunt qvidam. Cornutos tamen Aſinos apud Afros reperiri, Herodotus: apud Schytas, Ælianus teſtes ſunt. Plinius Apros Indorum cornutos ſcribit, Agatharſides, ſues in Æthiopia. Caſpias capras cornibus eſſe mutilas Ælianus prodit.

Qvæ Aquatilibus marinis, aliisq; ejus generis tribuuntur, cornua eſſe negat Plinius lib. 11. cap. 37. *Cornua*, inqvit, *multis & Aqvatilium & marinarum, & ſerpentium variis datæ ſunt modis, ſed qvæ jure cornua intelligantur, qvadrupedum generi tantum.*

HOMINES CORNUTI.

Ac qvamvis ex eodem fundamento, ibidem tanquam fabuloſa rejiciat cornua *Acteonis* & *Cippi Genitii*, de qvo Valerius Maximus lib. 5. cap. 6, & Carolus Paſcalius lib. 19. coronarum cap. 4: attamen præter Naturæ curſum repertos eſſe homines Cornutos, obſervationes fide dignæ docent. Nec exiſtimes nos de iis loqvi, qvos Itali *Becco Cornuto* vocant, è qvorum numero neſcio an ille fuerit, qui ædibus ſuis præfixit grandia Urorum cornua, hac adjuncta inſcriptione.

Io porto gli corni, è queſto io ſo,
Molti portano è non ſanno.

De hujus generis hominibus lepidum ventilat problema, acutiſsimus Ovenus lib. 1. Epigr. 163.

Si qvando ſacra jura thori violaverit uxor,
Cur gerit immeritus cornua vir? Caput eſt.

Nec ſermo nobis erit de *Lyſimacho* Rege, quem in fron-

te

te cornubus onuſtum depinxerunt veteres, eo qvod de Alexandri ſacrificio, ſolutis vinculis elapſum Taurum ambabus manibus compræhenſum tenuerit, teſte Pomponio Gaurico de ſculptura cap. 1. aut *Alexandro* ipſo, qvem Athenæus lib. 12. refert ſumpſiſſe Ammonis cornua, ut hominibus perſvaderet ſe à Jove prognatum. At Diodorus Siculus lib. 4. cap. ultimo; In Africa templum fuiſſe Jovis Ammonis refert, ad qvod ubi delatus fuit Alexander Magnus, ab Oraculo ejus filius eſt proclamatus, & qvia Jupiter ille cornutus fingebatur, in ejus honorem etiam cornua portabat.

Multo minus hic *Cornutum* Virgilii interpretem intelligimus, qvi à Macrobio v. Saturnal. xix. tanqvam *doctiſsimus* citatur, & ab Agellio lib. 11. Noct. Attic. cap. v. vocatur *Cornutus Annæus Grammaticus*, & lib. ix. cap. x, ut *homo non indoctus, nec imprudens*, allegatur. Aut illum Stoicæ diſciplinæ Philoſophum, Auli Perſii Flacci amicum & Magiſtrum, qvi Romæ Claudio & Nerone Principibus Philoſophiam Profeſſus eſt, cujus hodieq; extant in ejusdem Perſii ſatyras commentarii eruditiſsimi.

De hominibus ſaltem à natura cornibus præditis & dotatis agemus; qvos exſtitiſſe, fide dignis teſtimoniis comprobatum dabimus. Ad allegatum Plinii locum notat Dalecampius, *Cornu in fronte nobilis fæminæ natum, qvam de Fortiis Monſpeſſulani vocarunt, digiti longitudine, qvod filo paulatim adſtricto, præciſum.* Amatus Luſitanus centuria 1, curat. 51, refert *puerum cum corniculo in capite natum, & paulatim cum eo incrementum accepiſſe, & licet ei nullo fuiſſet impedimento, per Chirurgiam reſecari curaſſe, ſed mox obiiſſe, qvod ex cranio & medullari cerebri ſubſtantia eſſet conflatum.* Rhaſtadii, qvod oppidum eſt in alpibus Noricis *infantem Cornutum* natum memorat Lycoſthenes in prodigiis. Lanfrancus tract. 3. doctr. 2, cap. 3. Chirurgiæ majoris, narrat ſe *hominem vidiſſe qvi habebat in capite ſeptem eminentias, qvarum quædam erat adeo magna & acuta, ut cornu capreoli, pollicis longitudine, qva cutim aſsiduè vellicabat.* Quid Ingraſsias tomo 1. de Tumoribus narret de nobili qvadam pu-

ella Panormitana, quæ non ſolum in capite & fronte, ſed etiam in omnibus ferè artubus, præſertim manuum, cubiti & genuum juncturis, cornua vitulorum inſtar, acuta tamen geſtabat; in propatulo eſt. Scaliger teſtis eſt oculatus Ex 199. Sect. 5. vidiſſe ſe *cornu enatum è dorſo Remigis cujusdam, qui in Ligurum triremi diu fuerat.* Noſtra memoria Pariſiis quendam extitiſſe, fide digna relatione accepi, qui cornu unum in fronte geſtabat, arietino cornu ſimile, ſtipem ab iis colligens, quibus ſe viſendum præbuit.

Hic procul dubio is ipſus eſt, de quo Emanuel Urſtiſius ad clariſs. Gvilhelmum Fabricium Hildanum ſcripſit, obſerv. 25. centur. 2. in hunc modum. Cornutus ille Franciſcus Fravillon nomine, homo erat ſtatura mediocris, corpore ſatis obeſus ac repletus, calvus (occipitio excepto, quod capillis aliquantulum inveſtiebatur) alias moroſus admodum, moribus ac geſtibus ruſticis planè præditus, ac pelle vulpina veſtitus, adeo ut aſpectu horridus omnino eſſet, natus in viculo quodam, Gallicè les Merceres indigitato, qui ad D. Laverdinum Regis Galliarum Polemarchum ſpectat. Huic à teneris in locis ſilveſtribus à carbonariis educato, ad annum ſeptimum, usq; ætatis ſuæ, nullum adhuc alicujus cornu indicium apparebat, quo tamen tempore è fronte primum extuberare cepit, adeò ut circa annum 17 ætatis ſuæ, ad inſtar apicis alicujus digiti magnitudinem promineret. Quod poſtmodum progreſſu temporis paulatim ejusmodi incrementum accepit, donec tandem circa annum ætatis ſuæ XXXV tam magnitudine, quam forma cornu arietis prorſus referret atq; adæquaret. Cornu hoc è medio frontis enatum ſuperne ad verticem, ſuturam coronalem usq; retortum progrediebatur, ut cutim eo loci omnino ferme attingeret, quod etiam (ipſomet id referente) jam ſemel ante hac firmiter adeo cuti inhæſerat, ut doloris evitandi gratia, id ipſum neceſſe fuerit aliquantum reſecare atq; reſcindere. Quoties cornu illud palpabatur, vacillabat,

cor-

cornutus v. inde dolorem maximum perſentiebat, ita ut tan-" dem ab aſtantibus vix amplius ſibi illud palpari paſſus fuerit, " &c. Tandem cum cornutus ille per duos menſes Pariſiis " conſpiciendus expoſitus fuiſſet, Aureliam verſus conductus fuit. Quo loci cum perveniſſet, paulo poſt diem ſuum obi-" iſſe intellexi. "

Similem fermè hiſtoriam obſervatione ſeqventi ex Caprolo citat idem Fabricius, de *Iean Gvy Monſpelienſi*, qvi dicti Caproli, Chirurgi apud Monſpelienſes celeberrimi conſilium & opem imploravit. Is cornu qvod ſibi ex fronte ad latus ſiniſtrum exſurgebat, monſtravit, ſimulq; ut id amputare vellet, petiit. Firmiter autem cranio adhæſit, ſemipedem longum, craſſum pollicem. Ad radicem abſciſſo cornu, ſangvis tam copiosè effluxit, ut cauterium actuale applicare neceſſum fuerit. Sed ulcere mundificato & inducta cicatrice, demum convaluit.

Puerum ex inciſione Corniculi in capite nati, intra paucas horas exſpiraſſe, narrat Amatus Luſitanus lib. I. cent. cur. 51. Zacutus Luſitanus lib. III. Praxeos admirandæ, obſervat. LXXXIII hanc cornuti recitat hiſtoriam. Mulier in regio-" ne Tranſtagana, juxta oppidum dictum Villa amæna, in-" fantem in lucem edidit, qvi in fronte primo nodum durum habuit, qvi paulatim crevit in magnitudinem cornu, palmi " dimidii longitudine, juxta radicem craſſum, in cuſpide pol-" licis magni craſsitie. Referebat verò mater, ſe inter coeun-" dum, intenta mentis acie picturam unicornu, qvæ prope erat contemplatum fuiſſe. Idem libro II. obſerv. CLXXIX, in " calcaneo cuidam enatum cornu refert, palmi longitudine, durum, ſolidum, denſum, aculeis veſtitum. Quod per ſectionem ablatum, elapſis ſex menſibus durius, craſsius, aculeis acutiſsimis ſeptum, renaſcebatur, longitudine palmi cum dimidio.

De nimium monſtroſis nihil dico, qvale illud monſtrum qvod anno M D LXXVIII. die 17. Janu. natum apud Subalpinos in Qvieto, decem à Taurino milliaribus poſito oppi-

oppidulo. Qvod qvinq; ſibi adverſa, & arietinis ſimilia capite gerebat cornua. Item illud qvod Anno M D XII Ravennæ natum, qvod cornu in ſummo capite gerebat, duabus alis præditum, aliisq; horrendis deforme, de qvibus conſule Pareum lib. 24. de monſtris & prodigiis. Non igitur ſecundum Plinii mentem pro fabuloſo tenendum, cornutos conſpectos fuiſſe homines: verum præter & extra Naturæ ordinem talia contingere, non diffitendum.

Poetæ hominibus cornua dum tribuunt, aut ferociam, aut ſuperbiam innuere volunt. Hinc illud Horatii.

Fænum habet in cornu, longe fuge.

Item de Baccho:

Et addis cornua pauperi.

Qvo ſenſu Ovidius qvoq; hæc protulit,

Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit.

Sed qvid homines cornutos viſos fuiſſe probare allaboramus, cum *Numina præcipua*, cornuta fingat antiqvitas? Silius Ital. lib. 16. Jovem vocat cornigerum:

Corniger umq. Iovem, Tarpejumq. ore vocamus.

Idem de Ammone referunt, qvi is ipſus eſt Jupiter: de qvo idem Poeta lib. 14.

Ammon numen erat Libycæ gentile carinæ
Cornigeraq. ſedens ſpectabat cærula fronte.

Et paulo poſt.

Vritur undivagus Python & corniger Ammon.

Ammonem ſtipaſſe varia minora numina etiam cornuta colligere licet ex Prudentii lib. 2. cont. Symachum.

qvasdam domitis Ammonis arenis
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.

De Baccho dicetur in ſeqventibus. Varia numiſmata in qvibus effigies Jovis Ammonis & aliorum cornutorum conſpiciuntur, vide apud Antonium Auguſtinum Dialogo ſexto.

De *Amalthea cornu* varia fabulantur Poetæ. Qvidam exiſtimant illud ipſum fuiſſe, qvod Hercules ab Acheloi fronte effregit, in qvo videlicet omne victoriæ momentum poſitum erat.

erat. Sed Sophoclis Scholiaſtes tradit Herculem fregiſſe ſiniſtrum cornu ejus tauri in qvem Achelous ſe vertebat quod ut redimeret, pro eo dedit Amaltheæ Harmonis filiæ cornu, quod ille omnibus fructibus refertum Jovi conſecravit. Rem tangit Ovidius in Deianira.

Cornua flens legit rapidis Achelous in undis,
Truncaq; limoſa tempora merſit aqua.

Hanc autem vim habuiſſe ſcribunt Græci, ut quem quis ſeu potum expetiſſet, ſeu cibum, citra omnem omnino laborem fieret ejus compos, ut refert Cælius Rhod. Lect. Antiq. lib. 30. cap. 1. Hinc eſt quod Joannes Pediaſimus mulierem bonam vocet:

Παροιμιακὸν τῆς Ἀμαλθείας κέρας
Proverbiale Amaltheæ cornu.

Fabulæ originem hanc refert Diodorus Siculus. lib. V. Qvod Hercules Calidoniorum gratia, Acheloum amnem Ætoliæ rapidiſsimum in campos effuderit, plurimosq; agros ejus irrigatione fertiles reddiderit.

Vocatur & *Copiæ cornu*; cujus rationem reddit Hyginus Fabula XXXI. *Achelous fluvius,* inqvit, *in omnes figuras ſe immutabat. Hic cum Hercule propter Deianiræ conjugium cum pugnaret, in taurum ſe convertit, cui Hercules cornu detraxit, quod cornu Heſperidibus ſive Nymphis donavit. Quod Deæ pomis repleverunt & cornu copiæ appellarunt.*

Regionem ad montes Ceravnios extitiſſe quam *cornu Amaltheæ* vocaverint; teſtis eſt Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 13. à virgine Amalthea, cum qua Ammon congrediebatur & genuit Dionyſium.

At quid mirum homines & Regiones cornutas reperiri, cum & arbores in hunc cenſum referre liceat? Qvò ſpectare puto, quod Apuleius in Floridis de qvercubus refert, cornubus onuſtis. Ipſum audiamus. *Neq; enim,* inqvit, *juſtius religioſam moram viatori objecerit, aut Ara floribus redimita, aut Spelunca frondibus inumbrata, aut Quercus cornibus onerata, aut Fagus pellibus coronata &c.* vide reliqva. Qvan-

quam exiſtimem Apulejum eo in loco non intelligere cornua prodigioſe è qvercu enata, ſed ferarum, ad qvercus, in gratiam Dianæ ſuſpenſa, Numinibus enim dedicata cornua de ſacris arboribus ſuſpenſa innuit Propertius lib. 2.

Ipſe ego venabor, jam nunc me ſacra Dianæ
Suſcipere, & Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipſe movere canes.

Symmachus lib. 5. Epiſt. 63. *Nam ut honori numinum datur Cornua ſacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere; ita amicorum cultui dedicantur libamenta ſilvarum.*

Ad cornuum Naturam ut revertamur, maxima ex parte cava ſunt ab radice, qvatenus ambiunt os qvod ortum à capite, cavitati ejus inſeritur, totumq; implet, in mucronem tamen ſolidum exeunt, & ſimplici parte extrema conſtant, teſte Ariſtotele lib. 3. de Hiſt. Animal. cap. 9. Cervos tamen excipit, qvi tota habent ſolida & ſparſa in ramos, omnibusq; annis decidua, niſi caſtrentur. Per cervos v. reliqva ejus naturæ intelligenda eſſe docet Albertus M. de Animal. lib. 2. cap. 2, tract. 1. *Cornua*, inqvit, *omnium animalium vacua ſunt juxta caput, & ibi intrat qvædam ſubſtantia dura, qvaſi oſſea, poroſa, præter cornu cervi & qvæ cum cervo ſimilitudine conveniunt.* Unde idem de Animal. lib. 12. tract. 3. cap. 7. *Cornua cervorum magis eſſe Naturæ purgamenta, qvam arma, aſſerere non veretur: qvod ejiciant ea, & fœminas qvia ſunt caloris & ſiccitatis terreſtris minoris, ideo non habere cornua.* Allegato loco refert Philoſophus cornua cuti potius qvam oſſi adhærere, unde fit ut in Phrygia & alibi, boves ſint, qvi *cornua* perinde ut auriculas *moveant.*

Materia ex qva generantur eſt nutrimentum qvod partim à matre, partim ab externo acceperunt, qvoq; corpus reliqvum augetur & nutritur. Sic enim lib. 2. de gener. Animl cap 6. *Ungves, pili, cornua, roſtra avium, calcaria & ſi qvid ejusmodi aliud eſt, ἐκ τῆς ἐπικτήτου τροφῆς, καὶ τῆς αὐξητικῆς, qvod tum à fæmina, tum deforis ſibi acqvirunt.* Non diſſentit Ælianus lib. 12. de Animal. cap. 20. ubi cornuum incrementi

cau-

cauſam ſtatuit *τὴν ἐπιῤῥοὴν, influentiam, qvam plurimæ & craſſiſſimæ venæ, humore qvantum ferre poſſunt gravidatæ, infundant.*

CORNUUM VARIETAS.

Qvanta v. ſit cornuum varietas, qvantusq; in iis Naturæ luſus, ipſiſsimis Plinii referam verbis, qvi diligentiſsimè rem perſecutus videtur. Sic autem ille lib. 11. cap. 37. Nec alibi major laſcivia. Luſit animalium armis. Sparſit hæc in ramos, ut cervorum; aliis ſimplicia tribuit, ut in eodem genere ſubulonibus, ex argumento dicti. Aliorum finxit in palmas digitosq; emiſit ex iis, unde Platycerotas vocant. Dedit ramoſa capreis, ſed parva, nec fecit decidua, convoluta in anfractum arietum generi, ut cæſtus duret, infeſta Tavris. In hoc qvidem genere & fœminis tribuit, in multis tantum maribus. Rupicapris in dorſum adunca, Damis in adverſum. Erecta autem rugarumq; ambitu contorta, & in leve faſtigium exacuta (ut Lyras diceres) Strepſiceroti, qvem Addacem Africa appellat. Mobilia eadem ut aures, Phrygiæ armentis. Troglodytarum in terram directa, qva de cauſa obliqva cervice paſcuntur. Aliis ſingula, & hoc in medio capite ut naribus. Jamq; aliis ad incurſum robuſta, aliis ad ictum, aliis adunca, aliis redunca; aliis ad jactum, pluribus modis, ſupina, converſa, connexa, omnia in mucronem migrantia. In qvodam genere pro manibus, ad ſcabendum corpus, cochleis ad prætentandum iter, corporea hæc; ſicut ceraſtis; aliqvando & ſingula, cochleis ſemper bina, & ut prætendantur ac reſiliant. Hæc Plinius. Qvod cornua capreis decidua eſſe negat, id Cælius Rhodig. ex Pauſania experientiæ repugnare putat, qvia *ut cervorum ita Dorcadum qvoq; cornua decidere & renaſci ſcribit.* In Africa arietes ſtatim cornigeros generari aſſerit Nierenbergius, qvi idem lib. 7. cap. 2. Hiſt. Nat. in aula Philippica ſe *eqvum cum cornu* vidiſſe narrat. Vartomannus ſcribit ſe vidiſſe boves cervorum cornubus. In provincia Aden verveces auribus omnino carent, qvorum loco cornua parva eminent. Lepus & canis cornuti viſi ſunt, atq; ejus qvidem exempla hic Hafniæ extant.

Magnitudinem ſi conſideres, in eodem genere diverſitatem videbis inſignem. *Ptolomeo ſecundo ex India cornu allatum*, refert Ælianus de hiſt. animal. lib. 3. cap. 34, *qvod tres amphoras caperet.* Livius lib. 1. Decadis primæ, cornuum meminit bovis, portentoſæ magnitudinis; quæ in veſtibulo templi Dianæ Romæ fuerunt ſuſpenſa, & omnibus miraculo. Cervina mole ſtupenda viſuntur in templo arcis Amboiſenſis in Galliis, quorum longitudo undecim attingit pedes, latitudo novem, intra ramos utrosq; ſpacium eſt quinq; pedum cum dimidio. Horum delineatio extat in atrio ſplendidiſsimæ aulæ Nobiliſs. Equitis *Palæmonis Roſæcrantzii in Krenkerup.* Qvi hæc de iis luſit & cornuum dictorum tabulæ affigi curavit:

Cervus in Ardenna, monſtrum memorabile ſylva,
Hoc geſſi celſa nobile fronte decus.
Per multos crevi, nulli violabilis, annos,
Ipſe mihi magna mole tremendus eram.
Ludvico Rege undecimo regnante, peremit
Letifera triſtis miſſa ſagitta manu.
Obſtupuit præſens, veniens mirabitur ætas,
Naturam tantum mi genuiſſe caput.

Neſcio an majus extiterit illud quod Albertus Magnus lib. 2. de Animal. tract. 1. parte 2. ſe vidiſſe memorat, qvod *viginti duos ramos in una parte cornu habuiſſe refert.* Amboiſenſe hoc in una parte, non niſi undecim habet, in altera decem, quos juxta computationem Venatoriam, junctim viginti duos conſtituere volunt. Suſpicor mendum eſſe in textu Alberti. Legendum forſan; habuit *viginti duos ramos: in una parte cornu undecim.*

Admirandum cornu deſcribit clariſsimus Carolus Cluſius Exot. lib. 5. cap. 14, à nemine ante eum, aut poſt eum, in ullo animali, quod ſciam, animadverſum. Sic namq; illud delineat: „Cornu hoc viginti aut plures uncias fuiſſe longum arbitror, nam tametſi extima pars receſa fuiſſet, ut inflari poſſet, novendecim unciarum longitu-

gitudinem adhuc obtinebat. Decem verò unciarum erat “
ambitus infimæ partis,quà capiti inſitũ fuerat, extima au- “
tem, qvæ reciſa duarũ cum ſemiſſe. Ipſum certe cornu ad- “
mirabilis erat formæ, nam totum ex craſsis oſſeis ſquam-
mis, imbricatim diſpoſitis conſtabat; in poſteriorẽ partem “
recurvum.Infima parte,quà capiti innatũ,ſedecim ſquam- “
marum ordinibus præditum, quæ deinde obliquè ab infi- “
mo ad ſummum ſeſe torquentes(à ſiniſtra ad dextram, ea-
rum ſeriem ſequendo) duarum & ſexaginta numerum ex- “
plebant: ſuprema pars octo tantumodo ordines habebat. “
A dextra autem in ſiniſtram ſeriem ſequendo, duabus & “
ſeptuaginta ſquamnis, ſinguli ordines conſtare reperie- “
bantur, quia magis in obliqvum torquebantur. Sqvam-
marum color partim fuſcus erat, nonnullarum etiam al- “
bus, atq; in ſingulis ſquammarum interſticiis, villi qvi- “
dam adhuc apparebant. An mobile fuerit cornu dubitari “
poſsit, qvum interna & cava parte quasdam membranas
etiamnum retineret, quæ fidem facerent eam partem non “
ſolida aliqua materia aut oſſe expletam fuiſſe, ſed carne “
duntaxat. Hæc Cluſius. Sed ut ingenuè quid de hoc cor- “
nu ſentiam, ſalvo aliorum judicio, proferam. Valde du-
bito, an cornu alicujus animalis extiterit hoc corpus. Du-
bitandi occaſionem mihi præbet ipſe Cluſius, cum non
oſſea, fungoſa, aut cartilaginea ſubſtantia ejus cavitatem
repletam fuiſſe, ſed carne duntaxat, fateatur ingenuè.
Serpentis alicujus majoris aut amphibii caudam excava-
tam, mundatam & exſiccatam, an ſtatuere liceat, videant
alii. Caſtoris caudam ſquammis diſtinctam videmus;
quamvis in acutum non terminetur. *Armadilli*, qvem *Ta-
tou* quidam vocant, caudam, non multum abludere, tam
qvò ad ſquammas, quam qvò ad figuram vel ex duobus
iſtis patet, qvos in Muſæo teneo, ſed minores ſunt ali-
quanto. Ipſe Cluſius in Auctuario Lacertum depingit &
deſcribit quem peregrinum ſqvammoſum vocat, cujus
cauda non multum diſcrepat ab hoc cornu. Ejus igitur

generis animalis caudam eſſe, excavatam, mundatam & exſiccatam arbitror. Nec leve documentum præbent membranæ, quas etiamnum retinebat, teſte Cluſio.

Cornua nullum cornigerum amittere, præter Cervum, cui omnibus annis decidunt, niſi caſtretur, teſtis eſt Ariſtoteles 3. de hiſt. anim. cap. 9. Libro verò 9. cap. 50. ait *cervos ſi per ætatem nondum cornua gerant & caſtrentur, non edere cornua: ſed ſi cornigeri excidantur non decidere cornua, & magnitudine eadem ſervari.* In eundem ſenſum Plinius Natur. Hiſtor. Lib. VIII cap. 22. *Non decidunt caſtratis cornua nec naſcuntur.* Cauſa verò cur in non caſtratis cervis cornua renaſcantur, ex Democrito fuſiſsimè ab Æliano redditur libro XII de Animalibus cap. XVIII. ſenſus eſt: Qvia ventre ſunt calidiſsimo, venis rariſsimis, cranio tenui ac raro, in qvo ad verticem venæ craſſæ oriuntur, ſic ut nutrimentũ celeriter digeſtũ, quod habet ſolidius ad caput detrudat, ut ex eo cornua multo humore irrigua naſcantur. Qvæ ab aere ſolidantur, ut corneam duritiem acquirant. Sed & recens ſubnaſcens cornu & intrinſecus premens, vetus tanquam alienum expellit, dum veluti parturiens turget & in lucem emergere gliſcit. Vide autorem ipſum.

Obſervandum verò in caſtratis figuram mutari, & monſtroſitatem quandam acquiri, ſubſtantiam quoque eorum magis fungoſam & friabilem reddi, quam ſit in aliis cervorum cornubus. Qvod obſervare licet in eo, quod dono Celſiſsimi Principis CHRISTIANI QVINTI inter reliqua rara aſſervo. Adhæret adhuc particula cranii, ac juncta longitudinem conſtituunt unius pedis Romani, in ambitu pollices obtinet decem, colore melleo, obtuſum, nullis ramis inſigne, ſed duabus parvulis papillaceis protuberantiis, in ſummitate donatum. Figura mirabili eſt, quodammodo ſpicam grandem frumenti Turcici refert. Crebris enim tuberculis, piſorum magnitudine obſitum, inæquale, aſperum, variis foraminibus & ſulcorum anfractibus deforme. Subſtantia tophacea,

mol-

molli, poroſa, juxta cranium protuberat paululum & ſenſim ſinuatur. Primo aſpectu, nihil minus qvam cornu eſſe videtur. Sed ecce iconem damus.



Inter Cornua rara non immerito locum meretur illud qvod Caſp. Bauhinus lib xii ſect. vi Pinacis Theatri Botanici, cornu vocat plantabile. Cujus hiſtoriam ex Hugonis Linſchottani Indica Hiſtoria parte iv cap. xvii hiſce perſeqvitur. *In Goa Inſula, ad hujus nominis civitatem, juxta murorum terminos locus quidam diſcretus eſt, qvo omnis generis pecudes mactare ſolent, in quo animalium cæſorum cornua paſſim objecta jacent, non ſolum ceu nullius apud Indos uſus; ſed præcipuè hanc ob cauſam longius abjiciuntur, qvod Indis haud exigua contumelia ſit, ſi ei cornu oſtendatur, ædibuſue objiciatur, ita ut cornu oſtendenti à Magiſtratu pœna conſtituta ſit. Hæc cornua ſi illo in loco aliqvamdiu jacuerint radices in terram deſigunt, medulla ejus in plurima quaſi filamenta diſſecta & protuberante, & hoc modo in ſolum ſeſe immittente. Radix Braſſicæ ſimilis, ſicut plures meis manibus evulſi, duas treſve ſpithamas elon-*

ga-

gatas. Id qvod nullo uſpiam terrarum angulo ſimiliter fieri conpertum eſt. Mirum certè ac rarum, Animalem naturam in Vegetabilem ita degenerare: vel abſente facultate animali, naturalem qvæ ante ſub ejus latitabat dominio, tantas vires exſerere poſſe. Optaſſem Linſcottanum addidiſſe, an harum radicum beneficio creſcerent, vegetarentur, ſurculos ac ſtolones protruderent, ut reliqva vegetabilia, ut hoc nomine ad claſſem Plantarum jurè referri deberent.

CORNUUM USUS.

Tot tamq; diverſis modis cum ludat Natura in Cornuum fabrica, vix ad certas claſſes reduci ut poſſint, in iis recenſendis operoſiores non erimus: ſed ad uſus inveſtigandos, rectà nos conferimus, & ſepoſitis illis qvæ conferunt Medicis, alia ſaltim perſeqvamur.

Haſtilibus præfixerunt veteres, acutiora ut redderent, teſte Marone lib. 5. Æneid.

Cornea bina ferunt præfixa haſtilia ferro.

Et Qvinto Calabro lib. 9.

Πάρουθε δὲ οἱ μέγα τόξον
Κεῖτε πέλας γναμπτοῖσιν ἀρηράμενον κεράεσσι.

Qvibus arcus ex inflexis compingi ſolitos cornubus docet: Strabo lib. 6, *Æthiopicas qvasdam gentes, cum eundum in hoſtem eſt, cornubus pro armis uti* ſcribit: forſan eo modo qvo jam Lapones: *Grønlandi* noſtri, qvi ferri venis deſtituuntur & remos, & jacula, & ſagittas, & haſtas cornubus armare ſolent. Sed maxima ex parte, in hos uſus ſumunt Rangiferorum cornua, in varias formas aptata, & qvandoq; in laminas diſſecta, qvibus defectum ferri, haud inepte ſupplere norunt. Qvod ex variis eorum inſtrumentis, qvæ in Muſæo inter alia rara aſſervo, abunde liqvet.

Perſis, Xenophonte teſte, in pugna erant κεράτινα παλτὰ, ſeu tragulæ corneæ.

Scuta & *arma* alia ex cornibus ſibi fabricaſſe majores noſtros, ex relictis conſtat antiqvitatum monumentis. De ſcutis ex cornubus extat locus in Heldenbuch de Wolf Dieterich:

Den

Den ſcilt von horen feſte
Den hub er do fur ſich.

Inde Sigfridum Gibichi Vangionum Regis generum nomen ſortitum refert Opitius in Notis ad verſum XXVII. Rhythmi de S. Annone. Vulgo enim dictus eſt *Hornin Sufrid*, corneus Sufridus, non qvia corneus erat, ſed qvod arma geſtabat ex cornubus & nervis contexta, ut notavit Goldaſtus.

In laminas tenuiſsimas *ſecta* cornua bovina, laternis inſeruntur, ut incluſum lumen latius diffundant, ac ventorum flatus excludant. Hinc Plautus in Amphitruone Act. 1. Scen. 1. v. 185.

Qvo ambulas tu, qvi Vulcanum in cornu concluſum geris?

Et Lucretius lib. 2.

Præterea lumen per cornum tranſit; at imber
Reſpuitur.

Tenuiores lamellæ variis coloribus tinctæ inſerviunt iis qvi flores herbas ac germina, ad ornatum imitantur. Non abſimili ratione ac veteres olim ſua conficiebant *Ceroſtrota*, de qvibus Plinius loco ſupra citato in hunc modum. *Ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc ſublita, nunc qvæ Ceroſtrota, picturæ genere dicuntur. Ceroſtrota* verò teſte Dalecampio ad citatum Plinii locum, *fiebant teſſellis cornuum, vario colore pictis & ligno inſertis.* Naturæ enim valde ſeqvacis ſunt cornua, etiam in ipſis viventium corporibus, adeo ut ferventi cera flectantur, atq; inciſa naſcentium in diverſas partes torqveantur, ut ſingulis capitibus qvaterna fiant.

Boum cornua magna, apta qvoq; ſunt pectinibus, & receptaculis qvibus pyrium aſſervant pulverem milites, atramentariis, aliisq; ejus generis. In Muſæo meo *imagines* aſſervantur eleganter ex cornu in maſſam redacto & formis infuſo, ut anaglypticè promineant, confectæ, cum iis qvæ ſcalpro ex ebeno elaborantur colore, ſplendore, & lævitate certantes.

Cornubus primo uſi ſunt Paſtores ad pecus & boves calandum & convocandum, unde ſæpe à Poetis Buccina pro cornu ponitur. Qvo ſenſu Propertius:

Nunc intra muros paſtoris buccina lenti
Cantat.

Et Columella lib. IV: *Ad ſonum buccinæ pecus ſepta repetere conſveſcat.* Ut olim nihil diſcriminis inter cornu & Buccinam fuiſſe videatur, vel Lipſio ſuffragante lib. IV. de Militia Romana.

Hinc ad populum & concionem convocandam traduxerunt: cui rei teſtis Lucilius eſſe poteſt lib. VII.

Rauco conventionem ſonitu & curvis cogant cornubus.

Nonnius in *Cogere* pro conventionem, concionem legit; rectius ut videtur. Sic Dionyſius lib. II. τȣ̀ς δημοτικȣ̀ς ὑπηρέται τινες κέρασι βοείοις ἐμβυκάνοντες, ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. *Plebem miniſtri qvidem cornibus bovillis inſonantes ad concionem cogebant.* Idem vult Propertius:

Buccina cogebat priſcos ad verba Qvirites.

Demum ad bella translata cornua, ut claſsicum canerent. Vegetius id docet lib. II. cap. XXII. *Claſsicum,* inqvit, *appellatur, qvod Buccinatores per cornu dicunt.* Et Seneca in Oedipo.

Sonuit reflexo claſsicum cornu.

Horatius lib. II. Ode I.

Iamjam minaci murmure cornuum
Præſtringis aures, jam litui ſonant.

Fabius lib. II. cap. XVIII. rem expreſsis ponit. *Qvid autem,* inqvit, *aliud in noſtris legionibus cornua ac tubæ faciunt? qvorum concentus qvantò eſt vehementior, tantum Romana in bellis gloria cæteris præſtat.* Hinc illud Catulli.

Multaq; rauciſonos efflabant cornua bombos.

Tubas ac lituos olim ex cornibus factos, teſtis eſt Varro libro 4. de ling. lat. Bȣκανιςήριον, inqvit, *genus eſt tubæ obtortæ, à qvo cornicines, Bȣκάνιςαι dicti ſunt, & dicitur cornu etiamſi ex ære ſit, proptérea qvod primum ex cornubus fierent.* Hinc Virgilius mox in principio lib. VIII. Æneid.

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu.

Signa educendi exercitus & certaminis conſerendi in Romanis Legionibus, concentum fuiſſe tubarum & cornuum, memo-

morat. Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 4. cap. 2, ubi addit: *Tubam Tyrrhenus Piſæus invenit primus æneam, cum ante ex cornu bubulo fieret. Perſis* qvoq; proficiſcendi hora ſignificabatur cornu. *Parthis* cornua, ſæpe ingens tympanum, cum ferreis tintinabulis pugnæ acuebant animos, atteſtante eodem. Sed Tubarum & buccinarum diſcrimen exacte notat Vegetius de ſignis cohortis. *Alia*, inqvit, *vocalia, alia ſemivocalia, alia muta ſunt. Vocalia dicuntur. qvæ voce humana pronunciantur, ſicut in vigiliis. Semivocalia ſunt, qvæ per cornua, aut tubam, aut buccinam dantur. Tuba qvæ directa eſt, appellatur; Buccina qvæ in ſemetipſam, æreo circulo flectitur: Cornu qvod ex uris agreſtibus argento nexum, temperatum arte & ſpiritu, canentis flatum emittit auditum.* Ovidius 1. Metamorph.

Cava buccina ſumitur illi;
Tortilis in latum; qvæ turbine creſcit ab imo.

Pſalmus 98. v. 5. jubet ut Domino *canamus in cithara & voce cantus, in tubis claſsicis & voce cornu.*

Uti hodieq; cornu in bello, mugitu terribili Helvetiorum pagum *Vri*, teſtis eſt Geſnerus in Hiſtoria Qvadrupedum de Bove & vacca agens.

Hoc genus cornu antiqviſsimi Danorum à ſono ᚼᛚᚢ-ᚦᚢᛦ vocabant; ſonum verò ipſum cornibus excitatum ᚼᛅᚱ-ᚾᛆ ᛒᛚᛆᛋᛏᛦ. Sic enim Lexicon meum M. S. ᚼᛅᚱᚾᛆ ᛒᛚᛆᛋ-ᛐᚢᛦ *M. g. Ludun Hliód, Tubarum Sonitus.*

Arnerus Scald de Torfinnó Comite Orcadum, in Relationibus ita canit.

ᛘᛆᚱᚵᚢᛦ ᚢᛆᚱ ᛘᛁᛚᛚᚢᛘ ᛒᛅᚱᚵᛆ
ᛘᛁᛚᚦᛁᚾᚵᚢᛦ ᚦᚱᛅᚾᚵᛆᚦ ᚼᛁᛚᚦᛆ:
ᚼᛅᚱᚾᛆᛒᛚᛆᛋᛋᛐᚢᛦ ᚦᛆᚱᛂᚱ ᚼᚱᛁᛋᛐᛂᛋᛐ
ᚼᚢᚵᛋᛐᛂᚱᚴᛋ ᛁᛅᚠᚢᚱᛋ ᛘᛂᚱᚵᛂ.

Comes bellum promovet,
Multorum cornuum ſonitus
Audiebantur inter propugnacula urbis,
Tremuerunt vexilla fortium.

Herehorn priſcis Germanis dictum arbitror. Hinc illud in Rhithmo de S. Annone Epiſcopo Colonienſi:

> *O wi di wiſini clungen*
> *Da di marin ziſamen ſprungen,*
> *Herehorn duzzin*
> *Becche blutin vluzin.*

Qvod qvamvis Opitius de ſcutis ex nervis vel cornibus confectis interpretetur, ego tamen conſideratis omnibus circumſtantiis, de cornubus qvibus tubarum vice in bellis uſi ſunt, intelligendum arbitror.

Utebantur verò noſtrates ejusmodi cornubus, non ſecus ac aliæ gentes ſupra enumeratæ. Magnates ac belli duces iis claſsicum canebant, militum animos accendebant, ut acrius inſtarent, hoſtium impetum animosè ſuſtinerent, inclinantemq; aciem erigerent. Sic decantatiſsima hiſtoria ſeu fabula de Carolo Magno, vernaculo idiomate edita anno M D I Hafniæ, per Gothofredum Gemen. **Hedningen bleſte mere end tuſende Luder.** *Ethnici ultra mille inflarunt Cornua.* Mira idem tractatus, ut & priſcæ Islandorum cantilenæ de cornu qvodam Rolandi, Caroli Magni ex ſorore nepotis, qvi obiit in bello Saracenico circa annum DCCLXXVIII, cujus Coloſsi, hinc inde in urbibus Saxoniæ videntur, canunt: ex qvibus hæc audiamus.

ᛅᚠᛏᛁᛦ ᚠᛁᛆᚱᚦᛅ ᚱᛁᚦᚢ ᚱᛁᛁᛏ.	*Hoc colloqvio finito*
ᛘᛁᚦ ᚱᛁᚠᚴᚢᛘ ᛋᛅᚴᛘᛅ,	*Cum milite excellentiſsimo,*
ᛋᛁᚦᛅᚴ ᚼᛆᚱᚴᛘᛏ ᛋᛁᛁᛦ ᛅᚦ ᛘᚢᚴᛘᛅ	*Cornu ori admovit*
ᛋᛁᛏᛏᛁᚼᛅᚴ ᛆᚠ ᛒᛘᛁᛋᛋᛁᛘ ᚠᚢᚴᛘᛅ	*Et ſonum edidit horrendum.*

Nec immeritò; ſonorum enim adeo fuiſſe volunt, ut referente citato libello, per qvindecim milliaria gallica, audiri potuerit. Cantilenæ Islandicæ, viginti dicunt.

ᛏᚢᛏᚢᚠᚢ ᛘᛁᛚᛏᛦᚢᛅᛚᛋᚴᛅᛦ ᚢᛁᛚ	*Per viginti milliaria Gallica*
ᚢᛘ ᛏᛁᛚᚦᛁᚦ ᛯᛅᛁᚱᚦᛁ ᛆᛚᛁᚢᛅᚴᛏ ᛏᛁᛚ	*Audiebatur ſonus Olivanti*
ᚦᛅ ᛒᛁᚴᚦᛅᛦ ᛒᛅᚱᚦᛅ	*Dum ſcutorum expugnator*
ᛒᛚᛅᛋᛅᚱᛁᛁᚦ ᛁ ᚼᛆᚱᚴᛏ ᚼᛅᚱᚦᛅ	*cornu inflavit duriſsimum*

Olivanti dicit, qvia hoc nomen erat cornu iſtius. Qvin ne fidem omnem ſuperare hoc videatur, tanto conatu inflatum à Rolando fingunt, ut per nares & aures ſangvis ac cerebri portio effluxerit haud exigua.

ᛘᛁᚦᚦᛁᚴᚠ ᛤᛆᚡᚦᛁ ᛘᛁᛆᚡ ᚼᛆ ᛒᛚᛆᚼᛁᛆ	*Dux cornu inflavit*
ᛆᚡ ᛘᛁᚠᛗᛁ ᚼᛆᚱᛆᚢᚴᚠᚢ	*Tanta violentia*
ᛆᚦ ᛡᛆᚱᚦᛚᛁᚠᛆ ᚠᛁᛆᚱᚦᛁ ᛡᛁᛚᛘ ᚠᛆᚴᚠᛆ	*ut cerebrum efflueret*
ᛡᛁᚱᚱᛆᚴᚼ ᚢᛆᚢᛘ ᛒᛆᚦᛆ ᚢᛆᚴᚠᛁ.	*Principis, per utraſq; malas.*

Item alibi:

ᛦᛚᛆᚡᛁᚦ ᛡᛆᚱᚴ ᛆᛆᛦ ᛦᚢᚱᛚᛆ ᚦᛆᚱ	*Fiſſum cornu arripit galeatus Heros.*
ᛦᛆᛘ ᚢᛁᚦ ᚢᛆᚴᚠᛆᚴ ᛚᚢᚦᚢᚱᛁᚴ ᚼᛆᚼᚱ.	*Vt ſtrinxit genam tuba maxima*
ᚼᛁᚦᛆᚦ ᛆᛆᛚᚦᛁ ᚼᚴᛗᛁᚼ ᛦᛆᛆ	*Non hoc ſuſtinuit frontis domus*
ᛁ ᚼᛘᛆ ᚡᛆᛚ ᛡᛆᚢᚼᛁᚴ ᚡᛆᛆ.	*Sed in minutas micas diſsiliit cranium.*

Hinc & illud in priſcis cantilenis noſtris ab Andrea Vellejo editis, lib. 2. Cant. 20. v. 5

Jeg wil lane dig Her Offue Dyre / med ſit forgylte Horn:
Hand hugger ned for ſod i ſtrjd / ſom Bønder meje Korn.

Aurato inſignem cornu, tibi fœdere jungam
Avonem, Dyro nomine, belligerum:
Non ſecus ac culmos proſternunt falce coloni
Hoſtes pallantes enſe ferire ſolet.

Item v. 24. ejusdem cantilenæ:

Det var unger Her Engelbret / blæſer i forgyldene Horn:
Saa vog hand de Veſter Gyllands Mend / ſom Bønder meje Korn.

Vt tuba terribili ſonitu Taratantara dixit
Cornuta Englberti; bellica caſtra movent.
Haud ſecus ac culmos proſternunt falce coloni
Enſe necat Gothos, fortiter occiduos.


Cornua autem hæc, aut ipſi Reges, aut iis in bello dignitate proximi, collo alligata geſtabant, ut cum lubitum erat, ſine mora in uſus depromere poſſent. Ita enim vernacula illa Hiſtoria ſupra citata: **Konning Salimon ſtack til Bordant Konning glennom Skiolden oc Brynien/ſoo at han ſtyrte døder nith paa Jorden. Han hafde Janemuns Horn paa ſin Hals/ſom heet Olivant/thet hørdis femtan Franſke Mjler. Konning Salimon tog Hornit oc ſvor at hand vilde icke giffuit for megit Guld. Jatmund ſaa thet oc Bordant fiel/oc Konning Salimon tog Hornit; oc vredis faſt/oc hug med det huaſſe Sverde Dyrendal oc kloff Salimons Hielm/Hoffuit oc Bagbrynie oc Sadel/oc Heſten ſønder i midic/oc tog Hornit oc hengde paa ſin Hals etc.**: id eſt, Rex Salimon loricam & galeam Regis Bordantis gladio findens, eum occidit, is ad collum geſtabat cornu Janemundi, qvod OLIVANT vocabatur, cujus ſonus per qvindecim milliaria Gallica exaudiri potuit. Rex Salimon cornu lætus occupat, idq; auri talentis multis æſtimabat. Qvod videns Jatmundus, iratus gladio ſuo DYRENDAL dicto, per galeam caput Salimonis ita fidit, ut eodem ictu & arma adverſarii & corpus eqvi divideret. Sic potitus cornu tam precioſo, illud collo ſuo alligavit &c. Hoc verò cornu dictum *Olivant* ut & gladius *Dyrendal*, demum in poſſeſsionem devenerunt Rolandi Caroli Magni ex ſorore nepotis, à qvo Janemundus hic interfectus eſt, referente eodem autore.

Cornu OLIVANT adhuc Burdigalæ aſſervari docet Paulus Merula parte II. coſmographiæ ſuæ lib. III. pag 429, ubi de oppido Blaviæ his verbis diſſerit. *Incolæ volunt Rolandum Palatinum Præfectum ſub Carolo Magno littoris Brittanici apud ſe natum, ſuum fuiſſe Comitem, apud ſe deniq; tumulatum in Eccleſia D. Romani enſe adpoſito, qvem DVRANDAL vocitant, cornuq; ipſius ad pedes tumuli. Qvod tamen poſtea in Eccleſiam D. Severini Burdigalam perhibetur translatum.*

Sic & apud Romanos ſummates viros tuba ceciniſſe ex Dione lib. LVII. conſtat: *Norbanus Conſul*, inqvit, *tuba canere ſoli-*

ſolitus & in ea re multus: prodigium tamen fecit, qvod ipſis Calendis cecinit, qvaſi belli ſignum dediſſet.

In archivis meis *Cornu* teneo, qvod hoſce uſus etiam olim obtinuit, nigrum eſt, arte eleganter elaboratum pedum duorum longitudine, ab apice ad medium uſq; rectà excurrens, exterius qva curvatur criſtatis fimbriis exornatum, hinc in ampliorem deſinens capacitatem, pyramidalibus ornamentis ex ipſa cornu ſubſtantia exciſis, circa orificium majus dotatum. Circa medium caudata emergit appendix, ex ejus ſubſtantia ita fabrefacta, ut tenentis manum aptè firmet.



Hodierno die in eosdem fermè uſus transferunt cornua *Venatores* & *Muſici*, qvi præterea ex iis fiſtulis gaudent, foraminulis per longitudinem proportionaliter dotatis, acutum valdè & gratum edentibus ſonum. Vulgò à materia *Cornet* vel Sincke vocare ſolent; qvidam Buccinam.

Vaſorum variorum ſuſtinuiſſe vices, tam ſacra qvam profana hiſtoria abundè docet. Oleum illud ſeu Balſamus qvo divina ordinatione inungendi erant Reges Iſraelitarum, in cornu aſſervatum fuiſſe, & ex eo in caput coronandi effuſum docet 1. Samuelis caput 16, v. 1. His enim Deus affatur Samuelem ibidem loci: *Imple cornu tuum oleo, & veni ut mittam te ad Iſai.*

Medicorum inſtrumenta qvamplurima cornea fuiſſe, teſtis eſt Galenus 1. & 2. de comp. Med. & 13. Method. Medendi. Cornibus liqvores menſurabant, cornibus in ſcarificatione pro cucurbitulis uſi ſunt, cornibus clyſteria adminiſtrabant, cornibus liqvores aſſervabant.

Plutarchus in Theſeo memorat *aram* illam circa qvam Theſeus ſaltavit, qvam vocat κερατῶνα βωμὸν è cornibus compactam.

Tales etiam fuiſſe Aras Dianæ & Apollinis memorant autores. Ovidius in Epiſt. Acontii:

Miror & innumeris ſtructam de cornubus aram.

Etymologicus in voce κεράσαι ait *cornu pro aqvali* olim uſos fuiſſe veteres.

Loculorum vices apud veteres etiam ſuſtinuiſſe cornua docet Antonius Auguſtinus Dialogo II, ubi nummos producit in qvibus Abundantiæ & Ubertatis ſtatuæ finguntur, cornu donariis plenum verſantes. Alter nummus Trajani eſt, alter Galieni. Qvod etiam comprobat Edda, de Hrolfi Krake Daniæ Regis dexteritate & munificentia agens. Refert namq; matrem ejus Urſam, Regis Seciæ Adili uxorem, *cornu auro plenum* filio Hrolfoni dediſſe, ut offenſas remitteret, & in gratiam cum privigno rediret. Sic namq; inqvit: ᚦᛅ ᚴᛅᛘ ᚢᚱᚼᛅ ᛅᚠ ᚠᛁᚴ ᚼᚱᛅᛚᚠᛁ ᚴᚱᛅᚴᛅ ᚦᚢᚱᚼ ᚼᛅᚱᚴ ᚠᚢᛚᛘ ᛅᚠ ᚠᚢᛚᛚᛁ, ᛅᚠ ᚦᛁᚱ ᛉᛁᚦ ᚼᚱᛁᚴᚠᛁᚴ ᚼᚢᛁᛅ ᚴᚱᛁᚼ. Mox Urſa Rolfoni Kraka cornu auro refertum dedit, ac annulum SVIAGRIS dictum.

Supra memoratus A. Auguſtinus allegato loco addit cornu *Olei* fuiſſe *menſuram* ac eo nomine etiam abundantiam deſignare.

Maxima pars Nobilium noſtrorum, ſupra caſsidem natalitiorum inſigniũ, cornua gerunt, variis coloribus qvandoq; diſtincta, nam olim vera ex animalibus deſumpta erant. Qvod vel ex Livio lib. XXVII, ubi de Philippo Macedonum rege agit, colligere licet: cum ait: *In arborem illatus impetu eqvi, alterum cornu galeæ, ad eminentem ramum perfegit.* Huc ſpectare videtur illud ſupra ex Silio allatum lib. XV:

Caſside cornigera dependens inſula,

Qvo ſenſu Virgilius lib. XII.

Enſemq; Clypeumq; & rubræ cornua criſtæ.

Diodorus de Gallis expreſsè id affirmat. Κράνη χαλκᾶ, πε-

περιτίθενται, μεγάλας ἐξοχὰς ἐξ αὐτῶν ἔχοντα παμμεγέθη φαντασίαν ἐπιφέροντα τοῖς θεομένοις. τοῖς μὲν γὰρ πρόσκειται σύμφυῆ κέρατα. τοῖς δὲ ὀρνέων, ἢ τετραπόδων ζώων ἐκτετυπόμεναι προτομαί: Galeas æreas capiti circumponunt, quæ magnas eminentias verticesq; habent, & magnificam opinionem ſpectantibus objiciunt. Aliis enim naturalia cornua appoſita ſunt, aliis avium aut qvadrupedum animalium expreſſæ effigies. Ac de Germanis hæc habet Plutarchus in Mario. *Κράνι μὲν εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες, ἃς ἐπαιρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος ἐφαίνοντο μείζους. Galeas habentes quæ aſſimilarent terribilium ferarum rictus, aut alias peculiares facies, casq; criſtis pennatis exſtruentes, majores qvam erant apparebant.* Nec ſolum formas ac figuras ejusmodi terribilium rictuum capiti induebant, ſed exuvias ferinas detractas, ipſosq; ferinos rictus. Qvod apud Svidam qvidam de Parthis tradit, hoc pacto: *οἱ δὲ Πάρθοι τὰς κεφαλὰς τῶν θηρίων ἁρμόσαντες τοῖς κράνεσιν, ἐχρῶντο τοῖς τῶν θηρίων χάσμασι: Parthi capita ipſa ferarum galeis adaptantes, utebantur earum rictibus.* Et Statius.

——— Ore ferarum
Et rictu horrificant galeas.

Pyrrhum Epyrotarum Regem in galea cornua hircina geſtaſſe, autor eſt Plutarchus in ejus hiſtoria: *Τὴν στεφάνην ᾗ διάσημον τὸ κράνος ἦν, ἀφελὼν ἔδωκε τινι τῶν ἑτέρων. Apicem qvo inſignis & cognobilis galea ejus erat, amicorum alicui auferens, ei tradidit.* Per *στεφάνην* verò, coronam auream aut Regiam eum non denotare; ſed cornua ſaltim hircina, quæ ipſi propria erant in galea, mox docet idem Plutarchus *Ἐγνώσθει*, inqvit, *τῷ τε λόφῳ διαπρέποντι, καὶ τοῖς τραγικοῖς κεράσιν. Agnitus fuit ab eximia criſta & cornibus hircinis.*

Hinc ortum traxiſſe videntur familiarum antiqua illa digmata, apud nos adhuc in uſu, qualia ſunt Roſæcranziorum, Rónnouiorum, Tottorum, Bildorum, Grub-

borum,Ulfſtandorum,Brahcorum,Lungorum,aliorumq; infinitorum; de quibus forſan alibi.

Cornubus prædita quoq; fuiſſe veterum Machinamenta quibus in oppidorum expugnationibus, muros hoſtiles quatiebant Romani, docet Propertius lib. IV.

Dumq; aries cornu murum pulſabat aëno
Vineaq; inductum longa tegebat opus.

In nullos vero uſus frequentius translata fuiſſe cornua, quam *poculorum*, infinitis antiquitatis probari poteſt teſtimoniis. Athenæus lib. 2. cap. 8. ex bovinis cornubus bibiſſe veteres, & Poculorum vices ſuſtinuiſſe cornua multis probat, atq; ex eo patere putat, quod nunc etiam ubi vinum aquæ miſcetur κεράσαι ajant, vasq; in quo vinum miſcetur Craterem appellent ἀπὸ τῆ κέρας quaſi κεράτηρ, ἀπ᾽ τῆ εἰς κέρας ἐγχεῖσθαι τὸ πόμα. Hinc & factum putat quod Dionyſius ſeu Bacchus *cornutus* fingatur, utpote qui cornua habuit priusquam naſceretur, quibus perforavit crus Jovis patris ſui, quo alludit Evripides.

ἔτεκεν δ᾽ ἁνίκα μοῖραι
τέλεσαν ταυρόκερον θεόν.

& *Taurus* à plurimis Poetis vocetur, taurinaq; facie in Cyzico conſpiciatur. Huc alluſiſſe videtur Ovid. Epiſt. 21.

Sume fidem & pharetram fies manifeſtus Apollo,
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Et lib. 2. de Arte Amandi,

Purpureus Bacchi cornua preſſit Amor.

Nec diverſus Tibullus lib. 2. Eleg. 1.

Bacche veni, dulcisq; tuis è cornibus uva
Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.

Hinc forſan eſt quod Nonnus Panopolitanus Dionyſiac. lib. 12. Bacchum primum loco poculi cornu uſum eſſe aſſerat, v. 20.

Καὶ δέπας ἄγκυλον εἶχε βοὸς κέρας.

Veſtigium quoq; ejus extare putant apud Homerum lib. 8. Iliad. v. 169.

οἶνον ἐγκεράσας ἀσσα πιεῖν.

Vinumq́, cornu miſcens ad bibendum.

Sed Diodorus cornua Baccho tributa vult, quod primus fuerit, qui mortales boves aratro jungere, eorumq; miniſterio terram arrare & proſcindere docuerit. Qvamvis & ſint qui cornubus Bacchi radios ſolares innui exiſtimaverint; ſed qua probabilitate non video.

Thraces poculorum loco cornibus uſos fuiſſe locuples teſtis eſt Xenophon lib. 7. Expedit. Delineaturus namq; convivium Sevtero apud Thraces celebratum; *Mutuo*, inquit, *ſe primum ſalutarunt, deinde κατά τον θρᾴκικον νόμον κέρατα οἴνου προὔπινον.* Sic & *Paphlagones* de quibus idem lib. 6. *κατακείμενοι δέ ἐν ςιβάσιν, ἐδείπνουν καὶ ἔπινον ἐκ κερατίνων ποτηρίων. Cùm in grabbatis inter cœnandum diſcumberent ac biberent è poculis è cornu factis.* Hinc Hermippus in ungventis.

ἐκ δὲ τοῦ κέρατος αὖ μοι δὸς πιεῖν ἅπαξ μόνον.

Verum è cornu rurſus ſemel tantum quod bibam.


Lycurgus Rhetor in oratione contra Demadem narrat *Philippum* Regem eis quos benignè & amice excipere ſtatuit cornu ſolitum eſſe præbibere. In Triclinio ab Hieronymo Mercuriali lib. 1. artis Gymnaſt. cap. 2. delineato, ex vetuſtiſsimo lapide qui habebatur Patavii in ædibus Rhamnuſianis, etiam patet *Romanos* in conviviis poculorum loco cornibus uſos. Inter reliquos enim quos in tricliniis decumbentes exhibet, & alios miniſtrantes, quidam conſpicitur cornu manibus elatius porrigens ut ei liquor infundatur. Divus Ambroſius lib. de Helia & jejunio, vehementer invehitur in ſui ſæculi mores, quibus convivæ ſe invicem potando cornubus provocant, & ebrietati nimium indulgent. Lubet ipſum audire. *Epulas dividenti,* inquit, *aſſiſtunt pueri coma nitentes ex gente Barbarica, ad hos uſus electi, per ſingularum diſtincti ætatum vices, cornu in medio vini plenum, non epularis, ſed præliaris inſtrumentum buccinæ. Primum minoribus poculis, veluti velitari pugna præluditur, ut tragædiarum*

actores, primo ſenſim vocem excitant, donec vino aperiant iter: ubi res calere cepit, poſcunt majoribus poculis. Ubi conſummatæ fuerint epulæ, putes jam eſſe ſurgendum, tunc de integro potum inſtaurant ſuum, ac ne immoderatum hoc arbitreris, menſura proponitur, certatur ſub judice, ſub lege decernitur, Agonothetes illic furor eſt; hic ſi quis calicem convertat, urgetur ad potum. Qvid quæſo moribus noſtris convenientius dici? quis Apelles vividioribus coloribus noſtros exprimeret helluones, hoc ipſo? Et paulo poſt: *Per cornu etiam fluentia, in fauces hominum vina decurrunt, & ſi quis reſpiraverit, comiſſum flagitium, ſoluta acies, loco motus habetur.*

Britannis boum cornua pocula ſuppeditaſſe lib. 1. Faſtor. Danic cap. 18. docuimus ex Malmesburienſi & Cambdeno, quorum ille lib. 2. cap. 2. hæc habet. *Puſei illi qui de Puſei nominati, adhuc tenent per cornu majoribus olim à Rege Canuto donatum.* Hic ex manuſcripto hæc refert: *Ulphus Toraldi filius Eboracum divertit & cornu quo bibere conſuevit vino replevit, & coram altari Deo & B. Petro Apoſtolorum principi omnes terras & reditus flexis genbus propinavit.*

Noſtrates verò iis uſos eſſe, clarius eſt quam ut demonſtratione egeat. Hinc tot cantilenę quibus celebrantur heroes mulſum è cornubus bibentes; hinc paſsim apud nobiles & literatos tot horum cornuum genera, magnitudine, ornamentis & materie diſcrepantia. Mihi inter reliqua hujus generis bina ſunt, ex eorum genere qvæ Norvegis & Islandis in uſu, eleganter cælata; quorum majus, quod antiquitatem non usq; adeò magnam ſapit, (ſiqvidem anno M D X C V I I I elaboratum docet inſcriptio) capit ſextarios duos cum ſemiſſe; hiſtoriasque nuptiarum in Cana Galilæa, Judithæ Holofernem decollantis, Joabi Abſolonem perſequentis, cum aliis nonnullis affabrè excisis in ipſa cornu ſubſtantia, exhibet. Ejus hic damus iconem.

Minus



Minus paulo plus quam dimidium capit Sextarium, cælatura eleganti Pampinacea, Salvatoris effigiem juxta labrum oſtentans, arte haud rudi ſignatam. Hujus meminit Johannes Cunradus Dieterichus in ſua Diatribe, qui illud apud me vidit.

Saxo lib. 7. refert Reginam Sigari, Hagbarto jam ad ſupplicium patibuli properanti, *cornu liqvore potabili refertum porrexiſſe, qvo curas lenire, & alacriori animo mortem ſubire poſſet*, hiſce additis hortatibus.

Nunc inſolens Hagbarthe,
Qvem morte dignum concio
Adjudicavit omnis,
Sitis fugandæ gratia,
Ori dabis bibendum
Scypho liqvorem Corneo,
Ob hoc metum refutans,
Vitæ ſupremo tempore,
Audacibus labellis
Lethale liba poculum &c.

Velleius item in divulgatis Cantilenis lib. 1 cant. 8. corneorum ejusmodi meminit poculorum. Sic enim Haquinus ex ſtrage defatigatus.

Jeger ſaa træt oc mødig/ aff gandſke Hierte min:
Giffue det Gud i Himmerig/ jeg haffde it Horn med Vijn.

Heu labor immenſus, feſſos qvam vellicat artus!

 Qvis

Qvis mihi jam præbet cornua plena mero?

In M. S. meo Lexico invenio: ᚼᛆᚿ ᚼᛑᛁᚠᚦᛂ ᛆᚠ ᛯᛆᚱᚴᚢᛘ, cornu evacuavit, ᚼᛑᛁᚠᛂ vel ᚴᛑᛁᚠᛆ Scyphos exhaurire notat autori noſtro. Maxima adhuc extant in Islandia argento inaurato decora, qvæ cum in memoriam Dei & amicorum evacuari ſoleant, ᛘᛁᚿᚿᛁᛋ ᚼᛆᚱᚿ vocari ſolent. Hinc illud in Edda Fabula xxxi. ᚼᚱᛁᛋᛐ ᛆᚴ ᛘᛁᛋᛐ ᚢᛁᛚ ᛂᚠ ᛆᚦ ᛘᛂᚱ ᛐᛆᚴᛂ ᛆᚠ ᚼᛆᚱᚿ ᛒᛂᚱᛁ. *Volo ut Hriſt & Miſt mihi ſerviant ac cornua exhibeant.* Hoc eſt ut munere fungantur pocillatorio.

Myſteriorum Poeticorum apud noſtrates enodator mirandus Edda, capite ſev fabula xxi cornu cujusdam meminit, qvod GIALLAR HORN vocabant, hoc tanqvam poculo, Mimerus ex fonte ſapientiæ liqvorem qvotidie hauſit, qvo ſe proluebat cunctos prudentia ut ſuperaret. ᚼᛂᛐᛐᛂᛘ, inqvit, ᛋᛆ ᛘᚢᛘᛂᛆ ᛂᚱ ᛆ ᛒᚱᚢᚿᚿᛂᚿ ᚼᛆᚿ ᛂᚱ ᚠᚢᛚᛚᚢᛆ ᛆᚠ ᚢᛋᛁᚿᚦᚢᛘ, ᚠᚢᚱᛂᛆ ᚦᚢᛁ ᛯᛆᚿ ᚦᚱᛂᚴᚢᛆ ᚢᚱ ᛒᚱᚢᚿᛁᚿᚢᛘ. *Fons Mimeri vocatur, qvi cum plenus ſit ſapientia, ex eo bibit liqvorem, quem haurit cornu GIALLARHORN dicto.* Hoc verò cornu, non poculi ſaltem, ſed & litui ac tubæ vices ſubiiſſe ex fabula xxx ejusdem Eddæ conſtat. Fingit enim Heindalerum Hviteaſum, inter reliqva cornu habuiſſe GIALLAR dictum, cujus ſonus per univerſum terrarum orbem exaudiebatur. ᚼᛆᚿ ᚼᛆᚠᚢᛆ ᛚᚢᚦᚢᛆ ᚦᛆᚿ ᛂᚱ ᚵᛁᛆᛚᛚᛆᛆ ᚼᛆᚱᚿ ᚼᛂᛐᛂᛆ ᛆᚠ ᚼᛂᚱᛆᛆ ᛒᛚᛆᛋᛐ ᚼᛆᚿᛋ ᛁ ᛆᛚᛚᛆ ᚼᛂᛘᛆ. *Tubam habet GIALLARI cornu dictam, cujus ſonus per omnes mundi angulos auditur.* Ejusdem cornu meminit Fab. xlviii. ᚦᛆ ᛋᛐᛂᚿ ᚦᚢᛆ ᚢᛒ ᚼᛂᛘᚦᛆᛚᛚᛆ ᛆᚠ ᛒᛚᛂᛋ ᛆᚴᛆᚠᛚᛁᚠᛆ ᛁ ᚵᛁᛆᛚᛚᛆᚱᚼᛆᚱᚿ. *Surgens Heimdalerus Cornu Giallarhorn dictum vehementius inflat.* Et ex vaticinio Volæ eodem in loco:

ᚼᛆᛐ ᛒᛚᛂᛋ ᚼᛂᛁᛘᚦᛆᛚᛚᚢᛆ
ᚼᛆᚱᚿ ᛆ ᛚᛆᛒᛐᛁ.

Altum inflat Heimdalerus
Cornu ſublevatum.

Capite xli. mentio fit cornu VITISHORN dicti, qvod ab Ugarthilocho apponebatur Thoroni, cujus extremitas altera

ra ad mare uſq; porrigebatur, in qvo exhauriendo fruſtra laborabat Thoro, prius enim evacuaſſet Oceanum qvam hoc cornu. Lege totam fabulam & ridebis. ᚼᛅᚴᛒᛅᛆ ᛁ ᚼᛅᛚᛚᛁᛘᛅ ᛋᚴᛅᛚ ᛅᛅᚴᛅ ᚿᛁᛅᛁᛋ ᚼᛅᚱᚴᛒᛅᛅᚱ ᚼᛁᚱᛒᛘᛁᚴᚿᛘ ᛁᚱᚿ ᚿᛅᚴ ᛅᛒ ᛒᚱᛁᛘᛘᛅ ᛅᚠ ᛒᚿᛁᚼᛁᛋᛅ ᚴᛁᛘᛆ ᚠᚱᛅᛘ ᛋᚴᛅᛅᛁᚴ ᛋᚿᛁᛁᚴ ᚼᛅᚱᚴᛁᚴᚿ ᛅᚠ ᚠᛅᛁᛆ ᛒᛅᚱ ᛁ ᚼᛅᚴᛒ. *Aulam ingreditur (Vgarthilochus) jamq; VITIS (expiatorium) cornu qvod aulici exhaurire ſolent depromit; qvod Pocillator Thoroni porrigit.* Qvid ac qvale extiterit hoc cornu, docetur circa finem capitis ſeqventis, nos brevitati ſtudentes, curioſos ad Autorem remittimus.

Cornua ex qvibus olim bibebant, Sigvardus Scald in vita S. Olai *Diurshorn* vocat, ſic enim canit ibidem:

ᛅᛚᛘᚠᚿᛆ ᛒᚿᛁᚴ ᚼᚿᛚᛘ
ᛒᛘᚿᚠᚿᛆ ᛒᛅ ᛒᚱᛁᚿᚠᛅ ᚼᛁᚴ ᛒᛁᚠᚱᛆ
ᛒᚿᚱᛋᚼᛅᚱᚴ, ᚿᛁᛋᚿᛘᛒ ᛋᛒᛅᚱᛘᛆ.

Olaus navim Viſund mari commiſit,
Et ſtrenue cornua animalium
Evacuavit craſſus.

Memorabile eſt qvod in rebus geſtis Egilli Scallagrimi legitur, eum nempe à Rege Norvegiæ Erico Blodoxe convivio exceptum fuiſſe, in qvo cornubus evacuandis ſtrenuum adeo ſe præbuit, ut & ſuo, & ſocii Olvonis nomine, omnia propinata exhavſerit, nec ut reliqvi convivæ ebrietate obrutus fuerit. Qvod indigne ferens Bardus Pocillator, Reginæ Gunhildæ (qvæ ſaga erat) opem imploravit. Hæc ſuos in hoc certamine victos diſcedere dolens, peculiare & arte ſua medicatum præparavit potus genus, qvod cornui infundi curavit & hoſpiti Egillo offerri. Sed fraudem ille animadvertens oblato cornui acie cultri Runas quasdam inſcripſit, qvas ſangvine è vola manus educto ubi tinxiſſet, hoſce voce ſonora addidit modulos.

ᚱᛁᛋᛅᚿᛘ ᚱᚿᚴ ᛅ ᚼᛅᚱᛘ
ᚱᛁᛅᛒᚿᛘ ᛋᛒᛁᛅᛚ ᛁ ᛒᚱᛆᚿᚱᛅ
ᛒᛅᚿ ᚿᛁᛚᛁᚠ ᛅᚱᛒ ᛅᛁᛚ ᛁᚱᛘᛅ,

ᛅᛒᛋ

ᛆᚦᛋ ᚠᛁᚢᚱᛋ ᚢᛁᚠᛆᛅ ᚱᚼᛆᛆ
ᚦᚱᛁᛘᚢᛘ ᚢᛁᛁᚠ ᛋᛁᛘ ᚢᛁᛁᛁᚢᛘ
ᚢᛁᛚ ᛘᛘᛁᛆᚦᚱᛆ ᚦᛁᛁᛉᛆ
ᚢᛁᛆᚢᛘ ᚼᚢᚾ ᛆᛋ ᚢᛁᚴ ᛁᛁᚱᛁ
ᚼᛚ ᚦᛆᚦ ᛁᚱ ᛒᛆᚢᚦᚢᛅ ᛆᛉ ᛋᛁᚠᚴᛁ.

id eſt.

Runas cornu inſcribamus,
Inciſuras ſangvine tingamus.
Iſta verba eligo
Auribus cornu ferentis.
Bibamus cereviſiam ut volumus
Bene defecatorum liqvorum,
Experiamur ut conducat
Potus qvem Bardus incantavit.

Mox in fruſta diſsiliit cornu, & liqvor totus effluxit. Ex qvo conſtat qvantopere ſub velo Runarum & cantilenarum, miſeros luſerit Ethnicos, humanæ ſalutis hoſtis Diabolus.

Sed nec communia taurorum cornua in pocula convertiſſe ſufficiebat, *Vrorum* placuiſſe notat Plinius lib. 11. cap. 37: *Vrorum cornibus* inqvit, *Barbari Septentrionales potant, urnasq́ binas capitis unius cornua implent.* De *Samogithis* idem refert Sigiſmundus Baro de Herberſtein, in ſuis rerum Moſchovitarum Commentariis. Nec noſtrates ab iis abhorruiſſe docet tertium qvod poſsideo cornu, maximum, nulla qvidem cælatura inſigne, ſed ære deaurato tam in apice qvam labro exornatum, pulchroq; ex chryſtallo diademate paulo infra labrum ſpectabile, capit verò qvinq; Sextarios.

Tale fuiſſe videtur illud qvod Saxo lib. 5. in Brittanorum Regis aula, cultu Regalis magnificentiæ inſtructa, fuiſſe memorat, verum *bubalinum. Nec bubalinorum cornuum, qvibus potio promeretur, uſus aberat,* inqvit lib. 3. Pluribus ornamentis ubi conſpicua, inter theſauros habita & repoſita ſunt. Qvod docet idem noſter Hiſtoricus lib. 8. ubi divitias & theſauros

Ugar-

Ugarthilochi enumeraturus, & hæc profert; *Huic adjacebat ingens bubali cornu, exqviſito gemmarum fulgore operoſius cultum, nec cælaturæ artificio vacuum.*

Philoſtratus in libro de vita Apollonii Thyanei, ubi docuiſſet Regum pocula olim fuiſſe cornea; addit in vicinis locis Phaſidos fluvii *Aſinos eſſe, qvi unum in fronte cornu gerant,* qvo cum Elephantis fortiter pugnent. Ex illorum v. cornibus Indos pocula conficere, aſſerentes qvod qvi ex tali poculo biberit, eo die nullo morbo, aut vulneris dolore, aut ignis flamma offendi, nec veneno intoxicari poſsit. Idem fermè aſſerit Ælianus lib. 4. de hiſt. animal. cap. 52, cujus verba adſcribere lubet, cum rarum illud animal pluribus delineet. *Sylveſtres Aſinos, eqvis magnitudine non inferiores, apud Indos naſci accepi, eosq; reliqvo corpore albos, capite v. purpureo, oculisq; cyaneis eſſe, cornuq; in fronte gerere, ſesqvicubiti longitudine, cujus ſuperius puniceum, inferius autem album, medium verò planè nigrum ſit:* ἐκ δὴ τῶν δὲ τῶν ποικίλων κεράτων πίνειν Ἰνδοὺς ἀκούω, *atq; non omnes qvidem, ſed potentiores, eaq; ornare auro, ut brachia ſolent. Ex hoc cornu bibentem, ab inſanabilibus morbis tutum fieri, neq; eum ipſum convulſionibus corripi, neq; ſacro morbo tentari, neq; venenis ullis ferunt. Qvin etiam ſi qvid prius peſtilens biberit, tum id evomere, tumq; ad ſanitatem redire.* Hinc eſt qvod Mercurialis lib. 1. Variar. Lect. ſibi veriſimile videri ait, veteres cornubus pro poculis uſos fuiſſe, tum ob rudes eorum mores, tum fortaſſe qvod putarent inde potandi majorem ſecuritatem accedere.


Beſtiis ex cornubus potum etiam præbuiſſe veteres, colligere mihi videor ex Plinio libr. XXXVI cap. V, ubi opera ab Arceſilao nobili ſculptore elaborata recenſet. De eo hæc refert. *Arceſilaum qvoq; magnificat Varro, cujus ſe marmoream habuiſſe Leænam tradit, aligerosq; ludentes cum ea Cupidines, qvorum alii religatam tenerent, alii è cornu cogerent bibere, alii calcearent ſoccis; omnes ex uno lapide.*

Creſcente luxu, cepere primum cornuum *labra metallis obducere,* aliaq; ornamenta ex iisdem addere. *Inaurato* ære obductum eſt labrum & extremitas ejus cornu qvod ex Uro

 poſ-

poſsideo. Theopompus Philippica ſecunda autor eſt Reges *Pæonum* pocula ex cornibus facere ſolitos, qvibus labra vel auro, vel argento operiebant, qvippe cum egregiæ magnitudinis boum cornua apud illos naſcantur, atq; ita ut vel tres, vel etiam qvatuor choas capiant.

Argento deaurato exornatur mediocre illud, qvod dono Clariſsimi & Reverendi Viri, Dn. D. Jacobi Matthiæ, Regiæ Majeſt. è ſacris, affinis mei honoratiſsimi poſsideo. Prætereqvam enim qvod labrum coronâ cingatur eleganti, hanc oſtentante inſcriptionem MATER DEI MEMENTO MEI, in medio cingulum habet argenteum, duobus pedibus aqvilinis dotatum, ut illud fulciant, ne ſepoſitum cadat: apex flore deaurato coruſcat, ſub qvo ſtatua D. Georgii ex eodem metallo, liqvoris capit ſextarium ſemis.



Fuit qvi hoc cornu, non bovinum, ſed *Gryphis ungvem* eſſe arbitrabatur. Cui aſſentiri etſi non potuerim; cum maxima pars illorum, qvi hiſtoriam avium naturalem perſecuti ſunt, Gryphes pro avibus fabuloſis & in rerum natura non exiſtentibus, habuerit. Suæ tamen opinionis fautores eum alios habere, demum animadverti: ita enim Geſnerus in hiſtoria avium lib. 3. pag. 523. de Grype. *Memini ego me videre apud Aurifabrum in civitate noſtra, cornu nigrum læve & in ſummo aduncum, ferè ut in Rupicapris, triplo ferè craſsius, cujus labris argentum inducturus erat Aurifaber, ut pro poculo menſis adhibere-*

beretur. Id forte bovis alicujus peregrini, ut qvem Indicum vocant, aut bubali cornu erat: ille verò pro Gryphis ungve acceperat. Goropius qvoq; refert, Reginam Hungariæ Mariam, Caroli V. Cæſaris ſororem, cujus ipſe Medicus fuit, inter pocula ſua habuiſſe *cornu qvoddam nigredine ſplendens, dodrante longius* (eandem ferme longitudinem meum obtinet) *qvod ajebat ungvem eſſe Gryphis, qvamvis ipſe ex cornu aliqvo fictitium fuiſſe exiſtimet.* Artifex certe qvi meum reparavit, non vulgare eſſe cornu ajebat, qvod more aliorum cornuum polituram ſplendentem admittere noluerit.

Hujus generis forſan fuit illud qvod dextra tenebat Idolum Svantoviti in Rugia, de qvo mox plura ex Saxonis noſtri libro XIV differenda veniunt.

Deinde ex *ſolido argento* cornua elaborarunt, qvibus uſos fuiſſe Athenienſes refert Athenæus lib. 11. cap. 37. idq; ex rebus publicatis ita conſtare ait. *Ex columna qvæ eſt in arce civitatis, cui circumpoſita ſunt donaria, cornu poculum argenteum atq; aſperum adeſt, cervus etiam vas fictile, qvod multos habet cotyliſcos in ipſo agglutinatos.* Horum meminit & Pindarus in centauris.

Ἐξ ἀργυρέων κέρατων πίνοντες ἔπλαζοντο.

Et Æſchylus in Perrhæbis: *Bibebant ἀργυρηλάτοις κέρασι, qvibus aurea addita ſunt labra.* Tale illud eſt cornu qvod poſſident Illuſtriſsimi Comites *Oldenburgici*, delineatum ab Hamelmanno prima parte Chronici Oldenburgici. De qvo etiam mira narrat idem eodem in loco, hac fermè ſerie: Otto primus ejus nominis, Comes Oldenburgicus &c. Venationibus, impensè deditus, cùm qvodam tempore comitantibus aulicis ſuis in ſilva Berneſeurholtz dicta venationi incumberet, & feram ſolus perſeqveretur uſq; ad Oſenberg/ eqvo inſidens albo, canes venaticos convocaturus in montis qvievit cacumine. Æſtivi caloris intemperie & labore feſſus, frigidioris potus hauſtulum qvo ſitim levaret, impensè exoptavit. Mox ruptis montis Oſenberg altioribus crepidinibus, apparuit ei virgo forma liberali, pretioſis induta veſtibus, coma per humeros ſparſa, corollam capite geſtans, cornu ar-

genteum deauratum affabre elaboratum, variis ſignis, characteribus & emblematis decorum, liqvoreq; refertum, manu tenens, qvod Comiti blande obtulit, ſimulq; rogavit hoc nectare ſitim ut ſedaret. Accepit cornu Princeps, aperuit, liqvorisque ſubſtantiam viſu pertentavit; qvam cùm turbulentam, minusq; ſibi gratam animadvertiſſet, bibere recuſavit. Illa verò, Bibe intrepidè, ait, mea fide, haud oberit hauſtus, ſed potius Tibi tuisq; magno erit emolumento. Si enim qvod offero biberis, familia Oldenburgica perpetuum florebit, tibi tuæq; poſteritati benè erit: ſin ſecus, diſcordiæ, lites & diſſenſiones domum tuam turbabunt, totaq; familia pesſum ibit. Parere dictis haud conſultum judicans Comes liqvorem omnem à tergo effudit. Qvà verò ejus portio eqvum cui inſidebat tangebat, pilis ſpoliabatur cutis, glabraq; reddebatur. Hæc videns virgo, cornu ſibi reddi poſtulabat. At ille concitato calcaribus eqvo, ad ſuos evolavit; non ſine terrore rem geſtam exponens, factiq; teſtem argenteum oſtentans cornu. Virgo interea diſparuit. Adſervatur adhuc Oldenburgi inter theſauros Comitis & petentibus monſtratur. Contigiſſe verò hæc narrat Hammelmannus circa annum CMLXXXIX. dicti qvoq; cornu effigiem citato loco in Chronicis delineari curavit. Simile qvid vulgò apud nos narratur de cornu, qvod nobiles qvidam poſsidere dicuntur; ſed apud paucos fidem obtinet narratio.

Aurea demùm cornua fabricari curarunt Reges & Principes. Eorum, qvod ſciam, primus meminit Sophocles in Pandora,

Πλουτι χρυσειων κερας.

Tale jam redditum eſt Illuſtriſsimi Principis noſtri *Chriſtiani Quinti*, qvod hactenus delineavimus.

AVREI CORNU USUS.

Qvibus ſic in genere de cornubus fuſius diſcuſsis; non poſſumus qvin ſtatuamus *Buccinæ* vices in bellis ſubiiſſe aureum noſtrum cornu. Atteſtatur fabrica, teſtatur materia,

teſta-

teſtatur locus ubi inventum. Dum primum in auras extra-ctum, amplo ſatis dotatum erat foramine in apice, per qvod flari commodè poſſet, oblongum præterea eſt & ſtrictum tubarum in modum; qvod ſi poculi partes ſuppleviſſet, pro ratione proportionis amplius omnino ut fuiſſet neceſſum eſt. Interior præterea illius lamina, duriori conſtat auro, qvam exterior, ut contuſionibus reſiſteret melius & reboaret fortius. Flatus namq; per mollius protruſus metallum, nec adeò diſtinctum, nec tanto cum impetu, ſonum explodit. In via arcta & anguſta inventum, per qvam ejus poſſeſſor in fugam forſan conjectus, dum ab hoſtibus arctius premeretur, ruptis vinculis qvibus corpori alligabatur, illud amiſit; atq; ſic ab inſeqventibus conculcatum, terræ ac luto altius qvoq; infixum, ibidem relictum eſt, cæno ita indies magis magisq; obrutum, donec caſu jam in lucem productum. Niſi fortè res ita ſe habeat, ut in calce hujus diſcurſus dicam. Regeret forſan qviſpiam, anſulis deſtitutum, per qvas trajecti funes vel cerasbola illud corpori alligarent. Manibus namq; in bello ſemper geſtare non potuit, qvi arma tractare, hoſtiq; reſiſtere tenebatur. At harum vices ſupplebant internodia & prominentes circuli, inter qvos commode ligari lora potuerunt aut funes alii, qvibus indigere videbatur. Et hæc forſan cauſa fuit cur exciderit & perierit, ſtrictius namq; ejus corpus coercuiſſent anſæ. Concludimus igitur, qvod

Hæc tuba terribili ſonitu Taratantara dixit.

Poculum non fuiſſe olim, univerſa ejus evincere videtur ſtructura, ventre enim procul dubio fuiſſet ampliori, nec in eam longitudinem productum. Interior præterea lamina ex eodem conſtitiſſet auri metallo cum exteriori, imò nobiliori; ut potus ex eo vim cordialem acqvireret majorem, ac inſpicientibus color eſſet gratior. Sed omnium evidentiſsimè hoc evincit, foramen in apice exiſtens, per qvod commodè flare etiamnum qvis poteſt, nullo epiſtomio olim obturatum. Poculum enim ſi fuiſſet, liqvor ei infuſus continuò eodem impetu per illud effluxiſſet. Nec eſt qvod exiſtimes

extremitatem violenter à puella abruptam; cum maximo illud è terra extraheret niſu, ſiqvidem aliqvot ejus annuli ſe à lamina interiori ſepararunt eodem impetu. Res ſi ita ſe haberet ruptionis & fractionis inæqvalitate extremitatum, relicta aliqva fuiſſent veſtigia; molle & ductile auri metallum non commodè frangi, ſed potius flecti & incurvari ſe patitur: fracturam animadvertiſſet proculdubio inventrix, anteqvam violentius proceſsiſſet & fruſta collegiſſet. Jam verò in poculum qvod ſit converſum, nihil detrahit priſtino ejus uſui.

Venatoribus utile eſſe non potuit; boatum enim edit canibus inſvetum, diverſum longè ab eo, qvem taurina proferunt, dum iis canes convocantur. Ut nihil dicam de pondere & longitudine, qvibus impedimento potius qvam uſui futurum fuiſſet. Nec tantum theſaurum per dumetorũ aſpera, montium juga, ſilvarum invia, ſine periculo, venatorem,

Silvarum canibus dum invia luſtra pererrat,

deferre potuiſſe, qvivis ſanus facile intelligit.

Nullo præterea nititur fundamento qvod qvidam ajant *in ſacrificiis* uſum obtinere potuiſſe, ad populum convocandum. Ubi enim hoc aut ſcriptum, aut pictum: conſule Saxonem, cõſule vetuſtiſsimos de rebus Danicis ſcriptores, ne gry qvidem invenies, qvod huic opinioni favere qveat. Qvæ veterum Danorum fuerit olim ſacrificandi ratio, libro primo hujus operis ex probatis autoribus delineavimus; hactenus nullibi invenire potuimus, ad convocandum populum Runas noſtros uſos fuiſſe cornubus aut tubis.

Saxo qvidem libro XIV ubi de Rugianorum agit ſacrificiis, Idolum Svantoviti adducit, qvod dextra cornu tenebat ex qvo ſacerdos de anni ſeqventis proventu divinare ſolebat. Sed hæc ad Danorum ſacrificandi ritum qvid faciant, non video. Verba Hiſtorici noſtri audiamus, ut res tota clarior evadat. *Ingens in æde ſimulachrum, omnem humani corporis habitum granditate tranſcendens, qvatuor capitibus, totidemq; cervicibus mirandum perſtabat, eqvibus duo pectus, totidemq; tergum reſpicere videbantur. Cæterum tam ante qvam retro collocatorum, unum dextrorſum,*

alterū lævorſum contemplationem dirigere videbatur. Corraſæ barbæ, crines attonſi figurabantur, ut artificis induſtriam Rugianorum ritum, in cultu capitum æmulatam putares. In dextra, cornu vario metalli genere excultum geſtabat, qvod ſacerdos ſacrorum ejus peritus, annuatim mero perfundere conſueverat, ex ipſo liqvoris habitu ſeqventis anni copias proſpecturus. Læva arcum reflexo in latus brachio figurabat. Tunica ad tibias prominens fingebatur, qvæ ex diverſa ligni materia creatæ, tam arcano nexu genibus jungebantur, ut compaginis locus non niſi curioſiori contemplatione depræhendi potuerit. Pedes humo contigui cernebantur, eorum baſi intra ſolum latente. Haud procul frenum ac ſella ſimulachri, compluraq́; divinitatis inſignia viſebantur. Qvorum admirationem, conſpicuæ granditatis enſis augebat, cujus vaginam ac capulum, præter excellentem cælaturæ decorem exterior argenti ſpecies commendabat. Hæc de ſtatua Svantoviti cum ſuo cornu Saxo noſter.

Hic qui eum non de Danorum, ſed Rugiani ſaltem Svantoviti Idololatria & ſacrificiis, quæ longè ab illis diſtabant, agere non animadvertit, cæcus planè ut ſit neceſſum eſt. At nec ad populum convocandum, nec ad libationes, ibidem adhibitum fuiſſe Rugianum illud cornu, ex textu allato ſatis conſtat. Qvid igitur ad uſum cornuum apud Danos faciat non video. Sed ridiculos planè ſe præbent qui urgent Cornu illud aureum quod jam tenet ſereniſsimus Princeps noſter, *Illud ipſum eſſe, aut ad illius formam fabrefactum qvod dextra tenebat ſtatua Svantoviti.* Cornu namq; quod illa manu tenebat, vario metalli genere excultum erat: Principis non excultum, ſed ex uno metalli genere conflatum, auro nempe. Illud integrum erat, apice dotatum, poculi vices gerens: hoc Tuba fuit, quod ut commodius inflari poſſet, apice mutilatum, & utraq; extremitate apertum. Illud continuo tractu magna celeritate exhauriri potuit; hoc duorum ſextariorum cum ſemiſſe capax, vix quatuor aut quinq́; validis hauſtibus etiam à ſtrenuis potatoribus evacuatur. Illud nullis dotatum annulis aut circulis legitur contiguis: hoc undecim

cim habet interiorem laminam apte tegentes & cingentes: Illud nullis Emblematis aut ſignis decorum narrant autores: hoc undiq; iis ornatum. Qvis igitur non toto cælo diſtare hæc duo animadvertit & egregiè ineptire eos, qui Hieroglyphica in hoc cornu exiſtentia Idolomaniæ Svantovitianæ accommodare nituntur?

Alias qvidem nationes in ſacris uſas fuiſſe tubis (non verò cornibus ſtrictè ſic dictis) ex ære, canali ad exitum latiori, concedimus; non verò Danos. Hinc Feſtus, Armiluſtrium feſtum, qvo res divinas armati faciebant, non ſine tubarum cantu celebratum aſſerit. Et Calpurnius in Ecclogis,

Inter ſacra tubas, non inter bella ſonare.

Si alios in ſacrificiis uſus habuiſſe rentur, proculdubio liquori aut balſamo excipiendo deſtinabunt, ut quemadmodum Romani *libabant*, hoſtiis integris & ſolidis, vel illarum partibus aræ focoq; impoſitis & in ignem conjectis, è veſtigio liqvores qvosdam, ut vinum aut oleum ſuperfundendo, ita & noſtrates factitaſſe putent. Non animadvertunt noſtratium holocauſta parum aut nihil habuiſſe commune cum Romanorum ſacrificiis. Nec apte aut rationi conſonè quis dixerit, omne qvod Romanis in uſu fuit qvò ad ſacra; noſtratibus convenire. Imo Stuckio de ſacris ſi credas: *Cyatho non utebantur in ſacrificiis neq; cotyla, ſed cratera Diis ſtatuebant, non argenteum, neq; lapillis diſtinctum ſed ex terra Coliade. Hunc qvoties implevisſent, libantes Diis ex phialà, vinum poſtea fundebant, Cymbio nuper miſtum tingentes. Ex Crateris vina in minora fundebant pocula Homero δέπαα dicta.* Vides de cornubus verbum nullum, multo minus de aureis. Negat expreſsè argento aut lapillis ornatum fuiſſe cratera, quantò magis auro. Imò qvis crederet aureum penitus? Crateris, pateris, ſympuviis, ſympulis, catinis, guttis, cyathis, rem divinam faciebant veteres, non verò cornubus, ut doctè probat Stuckius in deſcriptione ſacrorum gentilium pag. 134. Qvin moles & capacitas aurei noſtri

Cor-

Cornu, ab hujusmodi uſu prorſus abhorrere videtur, ut ſi nil aliud eſſet, hæc abundè evincerent eo traduci non poſſe.

Regum inunctionibus illud qui deputarunt, proculdubio permoti ſunt loco à nobis ſupra citato ex 1. Samuelis cap. 16. v. 1. ubi Samuel cornu ſuum oleo implere jubetur, ut Davidem in Regem, more populo Judaico conſveto, inungeret. At nondum à qvoquam demonſtratum, eundem extitiſſe ritum Reges Danos inaugurandi, per uctiones, qvo inaugurabantur Iſraelitici. Aliud nos docet Saxo noſter, vir antiqvitatum noſtrarum, ſi qvis alius, callentiſſimus. *Lecturi Regem veteres*, inqvit libro 1, *affixis humo ſaxis inſiſtere ſuffragiaq́, promere conſueverunt, ſubjectorum lapidum firmitate, facti conſtantiam ominaturi.* Idem totidem fermè verbis repetit Crantzius. Certe non tanta pompa, tanta ſolemnitate, tot adhibitis ſymbolis olim creabantur Reges, ut jam fieri conſvevit. Priſca ſimplicitas paucis contenta, potius egregiis facinoribus quam externa pompâ ſe regio throno dignam reddidit. Ratum igitur nobis eſto, Aureum hoc Sereniſsimi Principis poculum olim buccinam aut tubam fuiſſe, non verò poculum.

POCULORUM GENERA.

Cum verò jam in poculi uſum ſit traductum, variaq́; extiterint veterum pocula, à figura externa & ornamentis appellationem ſortita; qvò commodiſsime referatur, diſpiciendum.

Cælata olim vocabant pocula & vaſa, qvæ ſignis eminentioribus, intus extrave expreſſa erant. A cœlo qvod eſt genus ferramenti qvod cilionem vel celtem vocant, autore Iſidoro. De his Silius Italicus lib. 10.

Non una miniſtri
Turba gregis, poſuiſſe dapes, his addita cura,
His adolere focis, his ordine pocula ferre,
Nec non & certis, ſtruitur ſic aſpera menſa

Eee Pon-

Pondere cælati fulgent antiqvitus auri.

Virgilius 1. Æneidos in eundem ſenſum,

Ingens argentum menſis, cælataq; in auro
Fortia facta patrum.

Ad cælata itaq; pocula cornu noſtrum referendum eſſe exiſtimo; eoq; magis in opinione mea confirmor, quod videam Statium cælatum poculum delineare iisdem ferme angvium & ſerpentum figuris, quibus noſtrum conſtat. Sic ille 1 Thebaidum.

Tenet hoc operum cælata figuras
Aureus angvicomam, præſecto Gorgona collo
Ales habet.

Cælaturam verò noſtri cornu, rudiorem eſſe quid miri? cum Plinii ſæculo *nullus inventus ſit artifex,* qui auri cælatura claruerit. Sic enim ille lib. 33. cap. 12. *Mirum in auro cælando inclaruiſſe neminem, argento multos, maximè tamen laudatus eſt Mentor.*

Inter *Sigillata* etiam locum inveniat. Sigillata enim ea dicebantur, quæ ſimulachra Deorum vel Heroum, vel alterius rei continebant. Græci ἀγάλματα & ἀγαλμάτια, item εἴδη θεῶν appellant. Qvo ſenſu Cicero in Verrem actione 6. *Cum ſederem domi triſtis, accurrit Venerius jubet me ſcyphos ſigillatos ad Prætorem ſtatim adferre.* Qvia hujusmodi ſigilla vaſis & ſcyphis illigabantur cælatorum & vaſculariorum artificio, idcirco ſigillata dicta fuerunt. Statuas enim quæ infra humani habitus ſtaturam ſunt, univerſas omnes *ſigna* vocatas fuiſſe, teſtis eſt Pompon. Gauricus cap. 2. de Symmetria. *Sigilla* verò quæ intra minimam hanc erunt portionem, cubitalis palmarisq; altitudinis, vel etiam quantum fieri poterunt tantilla, hoc eſt parva ſigna.

Ad ἀποδῶν claſſem etiam retulero: ſic dictorum, quod ſiſti & collocari non poſſunt, utpote pedibus & fulcris deſtituta. Ab eo igitur qvi ea capit, liqvore plena, vel manibus ſemper tenenda, vel exſiccanda, ni ſit qui ſublevet.

Hoſpi-

Hoſpitale jam redditum, utpote qvod peregrino & hoſpiti primum advenienti, qvem hoc honore dignatur Princeps, neceſſario exhauriendum proponatur.

Cruſtatum deniq; dixero, eo qvod interior ejus lamina, pluribus cruſtis, annulorum forma exterius tegatur. De talibus Cicero in Verrem: *Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant, qvæ probarunt, iis cruſta aut emblemata detrahebantur. Sic Haluntini excuſſis delitiis, cum argento puro domum redierunt.* Hinc *Cruſtarii* dicti, qvorum artificio vaſa cruſtis illigebantur. Vide Turnebum adverſar. lib. 8. cap. 10. ubi inter reliqva & hæc habet: *Cruſtas & Emblemata nominat Cicero vaſorum ornamenta, inter qvæ videtur interfuiſſe, qvod Cruſtæ tectoria qvædam erant, & tanqvam bracteæ qvædam illitæ, & laminæ inductæ, inaurataeq;: Emblemata precioſiora erant & operis exqviſitioris, exemptiliaq; erant, cum illigata eſſent vel affixa: cruſtæ autem etſi revelli poterant, tamen firmius inhærebant.* Hinc facile qvispiam collegerit ad *Emblematica* referri qvoq; poſſe.

Sed qvid noſtrum cornu cruſtatum, ſuis nobis notet cruſtarum ſigillis, altioris eſt indaginis, nec certò qvis facile demonſtraverit. Nobis in tantis tenebris cæcutientibus, divinare ſi qvid licet, ſalvo meliorum judicio, paucis mentem aperiemus. Inter ſpiſſas antiqvitatis nubes, nuſqvam offendere, felicitas eſt; errare impunitas.

EMBLEMATUM ENODATIO.

Cornua olim dignitatis, potentiæ, fortitudinis, imperii & autoritatis apud omnes gentes extiterunt inſignia, etiam in ſacris ipſis, unde iſta 1 Samuel. 2 v. 1. *Exultavit cor meum in Domino, exaltatum eſt cornu meum in Domino.* v. 10. *Dominus judicabit fines terræ, & dabit fortitudinem Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.* Et apud profanos qvoq;; eodem enim collimat Horat. in Epod. inqviens

Namq; in malos acerrimus
Parata tollo cornua.

Et Plautus in Pſeudolo Act. 4. Sceen. 3. v. 5.

Ne in re ſecunda nunc mihi obvertat cornua:

Hinc non mirum, qvod Reges & Principes cornea ſibi elegerint pocula, vel ex argento & auro in cornu formam elaborari curarint ſcyphos; potentiam, majeſtatem & autoritatem ſuam etiam inter ipſa pocula declaraturi. Eleganter enim Carolus Paſchalius coron. lib. 10. cap. 25. *Cum regum & ſublimium hominum ſit potentia in hoc hominum genere, per effigiem cornu ſignificatur ſumma illa cujus in omnia imperium eſt, potentia & autoritas.* Et paulo poſt. *Nulla cauſa eſt qvapropter qvisqvam miretur ſi cornu cenſetur inter præcipua ſymbola regiæ ſublimitatis. Si ipſum inter Diademata & coronas locum invenit.*

Hæc qvoq; cauſa eſſe videtur cur florentiſsima Reſpublica Veneta, inter alia ſummę poteſtatis inſignia, qvibus Ducem ſuum exornat, ut paludamentum, gladius, ſceptrum, etiam *cornu* eſſe voluit, qvo coronæ loco, caput ejus tegitur, qvoq; tectus in ſolemnitatibus majoribus incedit, lucem divinam & potentiam inſuperabilem denotaturi. Qvamvis videam eruditiſsimum virum Laurentium Pignorium in Originibus Patavinis, qvas in gratiam civium ſuorum ſermone Etruſco conſcripſit ſtatuere, capitis hoc ornamentum Mitram eſſe ab antiqva Trojanorum haud diverſam. Sic enim cap. XII citati libri inqvit: *Ne è ſtata baſtante l'Antichita à levare a queſti paeſi la mitra. Poiche il corno del ſereniſs. Doge della noſtra Republica non è altro che la Mitra de' Trojani.* Ab eodem Pignorio numiſma plumbeum ſe tenere mihi ſcripſit clariſsimus Joan. Rhodius noſter, qvod eandem ſereniſsimi Ducis Veneti Mitram proxime refert, ut ex icone qvam hic damus apparet.



Ærea eſt mihi in Muſæo ſtatua, ſedentis & meditantis imaginem repræſentans, cujus caput Mitra tegitur, figura non prorſus aliena ab ea qvam nummus exhibet: ejus iconem addere

dere lubet, ut qvo referenda ſit, diſpiciant eruditi. Magnam mihi affinitatem (ſitum ſi exceperis) habere videtur cum imagine Atidis, qvam dedit clariſsimus Pignorius in additamentis ad Imagines Deorum Vincentii Cartari, & in Originibus Patavinis capite ſupra citato.



Verum cur qvædam ex iisdem cornubus, in qvo cenſu aureum noſtrum eſt, peculiaribus inſigniverint Emblematis & Hieroglyphicis, diſpiciendum.

Sunt qui arbitrentur *fortuita* fermè hæc eſſe, ab arbitrio artificis dependentia, nihil ſignificantia; ſed ornatus tantum gratia addita, neqvaqvam eo fine, ut reconditum qvid ſapiant, & de myſticis ſpectatores admoneant. Non diffiteor quandoq; talia inveniri in poculis & aliis monumentis ornamenta: ſed de noſtro hoc aureo cornu ſi loqvantur, vehementer falluntur: ita enim ſunt comparata, in eo ſigilla, ut non poſsint non qvidpiam indicare. Cur eædem figuræ bis quandoq; repetitæ? Cur aliter atq; aliter diſpoſitæ? Majoribus noſtris in more poſitum animadverto, cum aliqvid ornatus ſaltem gratia, ſive cornubus, ſive lapideis monumentis mandare voluerunt, plexibus pampineis, gyris, labyrinthis & intricatiſsimis linearum circumvolutionibus id præſtare. Cum verò memorabile qvid ac myſticum, præter literas, ani-

malium & hominum figuras, variè diſpoſitas, appingere ſi.
Qvod evincunt, tot in ſaxis & cautibus inciſa Emblemata,
memoriæ defunctorum deputata; tot in aulæis & cornubus
acu picta & ſculpta Hieroglyphica. Conſule, ſi lubet, ſaxa *Huneſtadenſia*, *Iellingenſia*, aliaq; de qvibus ſupra pluribus diſſeruimus.

Nullam verò gentem, tam barbaram, nullamq; ætatem tam ab omni cultu remotam, tantisq; ignorantiæ tenebris involutam reor, ut non aliqvis ſapientiæ radius, vel per nubes emiſſus, eam vel ſubluſtri refractoq; lumine, illuſtrarit. De reliqvis ut taceam, eaq; non memorem qvæ Iornandes de Zamolxe, Zeuta & Dicenæo, per qvos gentem noſtram, Gothosq; præclaris Philoſophiæ præceptis imbutos docet: qvousq; in rerum Naturalium ſcientia morumq; diſciplina pervenerint noſtrates, abundè teſtantur libri inuſitatæ doctrinæ *Edda* & *Scalda*, tanta ænigmatum, allegoriarum & mythologiarum copia ludentes, resq; præclaras abſtruſis involucris tegentes, ut rarus ſit inde qvi ſe jam extricaverit. Majores noſtros omnium diſciplinarum ignaros qvi ſtatuunt, legant qvæ Runæ, qvæ Scaldri ſaxis mandarunt, aptè ſingula iis annexa interpretentur emblemata: qvin in noſtram faciles ſint conceſſuri ſententiam, non dubito.

Cum verò inter eos qvi ex profeſſo ſe huic ſtudio dedidere, ut non minus rerum Naturalium inqviſitioni, qvam animorum culturæ vacarent, doctrinæ ſuæ propagandæ ſtudio tenerentur multi, illisq; ea defuerint media, qvibus nos, divino favore, jam gaudemus: ſaxa, cautes, ligna, oſſa, metalla, ſuis notis dotarunt; (ut fuſius, à nobis cap. 25, Literaturæ Danicæ oſtenſum) qvæ qvod voluerunt, Religionem in primis, & ſacra ſua ſpectans, animalium aliarumq; rerum figuris exprimerent. Et cum cautes, cum oſſa, cum cornua, cum ligna ejusmodi notis inſignita, adhuc apud nos extent, qvid vetat ſtatuamus, aureum hoc Principis cornu, ſuis emblematis & notis præclaram exhibere Philoſophiam, mores & ſacra concernentem, qva inſtructum eſſe oportet eum qvi tali κεραυ-

λίῳ

λίω digne gaudere diſcupit. Qvemadmodum enim Ægyptii, aliiq; populi, ut ex Philone de vita Moſis, & Clemente Alexandrino Strom. lib. 1. colligere licet; duplicem habuerunt ſcientias tradendi modum; alterum popularem & apertum, omnibus expoſitum, qvo promiſcuè neceſſaria tradebant, puta Geometriam, Arithmeticam, Aſtrologiam, Muſicam &c. alterum verò arcanum & ſacrum, Hieroglyphicum dictum, qvo per ſymbola qvædam, & ænigmata, graviſsima, qvæq; ſuæ Theologiæ, Philoſophiæ & Politiæ myſteria, ac dogmata denotarent. Ita noſtrates qvoq; Runæ, duobus modis populum de rebus neceſſariis erudierunt. Planè & apertè, per literas Runicas, de qvibus fusè in noſtra Literaturâ diſſeruimus: tectè & Hieroglyphicè, per animalium figuras, aliarumq; rerum paradigmata, qvorum veſtigia adhuc, tàm in relictis monumentorum ſaxeorum ruderibus, qvam in lignis, oſsibus, cornubus & tapetibus acu pictis extant. Non igitur abſonè Cauſinus in Horum, *Apud Ægyptios frequentius celebratam eſſe Hieroglyphicorum rationem aſſerit, ſed late deinde in alias gentes manaſſe.* Qvin imò hanc ſcribendi normam, Septentrionalibus populis non fuiſſe ignotam, ibidem oſtendere allaborat, Schytis qvoq; & Æthiopibus. Ne qvis exiſtimet nos paradoxa proponere, dum noſtratibus noſtra tribuimus Hieroglyphica; imagines nempe & figuras ad aliqvid ſignificandum ex hominum arbitrio determinatas.

De Schyticis Hieroglyphicis, memorabile illud eſt, qvod refert Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. ex Pherecyde Syrio. Idanturam nempe Schytarum regem, Dario qvi Iſtrum trajecerat, bellum minantem, ſymbolum miſiſſe, pro literis; Murem, Ranam, Avem, Jaculum, Aratrum. Cum autē de his, ut erat conſentaneum, exorta eſſet dubitatio; Orontopagus Tribunus militum, dicebat eos tradituros imperium; conjectans ex mure qvidem habitationes, ex rana aqvas, ex ave verò aerem, ex jaculo arma, ex aratro regionem. Xiphodres autem contra eſt interpretatus. Dicebat enim niſi tanqvam aves avolaverimus, aut tanqvam mures terram, vel tanqvam

ranæ

ranæ aquam ſubjerimus; illorum tela non effugiemus. Hinc nullo negotio colligere licet ſua alias gentes etiam habuiſſe Hieroglyphica, ab Ægyptiacis diverſa, nec eodem ſenſu ſumpta; ut fruſtra apud eos deſideres Canopum, Iſidem, Oſyridem, aliaq; ejus generis monſtra. Hinc etiam notabis, Hieroglyphicorum non unam eandemq; eſſe interpretandi rationem, ſed ex iisdem diverſa, imò contraria qvandoq; colligi poſſe. Qvod hic Orontopagus & Xiphodres ſuo monſtrarunt exemplo. Si igitur quiſpiam alia aut diverſa ab iis, qvæ nos jam ex Hieroglyphicis aurei cornu eruimus, produxerit, nobis non adverſabitur, modo rebus & imaginibus conſona attulerit.

Qvid igitur vetat quin ſtatuamus imagines, emblemata & ſtatuas in aureo hoc cratere contentas, *Danica* noſtra eſſe *Hieroglyphica*, ad mores informandos, politiam ſtabiliendam, virtutumq; ſtudium excitandum ſpectantia. Qvod ut commodius oſtendamus, ſigillatim ſingulos annulos ſeu circulos luſtrabimus, Hieroglyphica examinabimus, & qvid probabiliter ex iis colligere nos poſſe ſperamus, brevibus indicabimus. Nihil ſine ratione & probatorum autorum evidentibus teſtimoniis producturi.

CIRCULUS PRIMUS.

Circulus primus labro (Svidas κώδων vocat: κώδων, inqvit, καλεῖται τὸ πλατὺ τῆς σάλπιγγος. *Codon dicitur latior pars & os tubæ.* Hinc Sophocles: χαλκοστόμου κώδωνος ὡς τυρσηνικῆς. *Tanqvam ærei codonis in Tyrrhenica.*) vicinus, major eſt & amplior reliquis; duplici qvocirca dotatur emblematum & Hieroglyphicorum ſerie, qvas utrasque eo directas arbitror, ut humanam miſeriem ob oculos ponant, mediaq; oſtendant, qvibus ex ea eluctari; & tutum ſe reddere quivis valeat ab inſultibus illorum, qvi animum variis modis oppugnant, & ad illicita ac minus honeſta pellicere conantur.

I. Emblema. Occurrit homo nudus in anguſtiis conſtitu-

ſtitutus, manibus ac pedibus expanſis, ſuam qvaſi miſeriam deplorans, cum utrinq; à ſerpentibus in ipſum impetum facientibus, virusq; ſuum ejaculantibus petatur. Qvo qvid aptius humanam exprimere poſsit miſeriam, non video. A dextris antiqvus ſerpens Diabolus, aſsiduè hominem vellicat, pravas cogitationes inſpirando, ad mala perpetranda incitando, & in ſummum diſcrimen animi & corporis perducendo. A ſiniſtris, ſerpens hoſtium corporeorum ſpicula ac virus minatur; qvibus utrinq; ita vellicantibus, non poteſt non externo habitu membrorumq; lineamentis, lamentum præ ſe ferre, opemq; implorare.

Serpente veteres pernitiem, malum, terriculamenta, aliaq; ejus generis incommoda indicaſſe teſtis eſt Pierius lib. 16. Hinc Delphis apud oraculum ſerpens extabat, qvi ſingulari certamine Apollinem provocare videbatur: qvò nihil aliud deſignari voluit Plutarchus, qvàm perniciem ſaluti ſemper adverſari. Per *ſerpentem Pythonem*, qvem Apollo, canente Ovidio:

Mille qvidem fodit telis & pluribus.

Veneni ægritudinarii vim & malignitatem deſignant qvidam; qvam ſuſtinere homo in hac mortalitate ſæpius cogitur. Qvidam *Dæmonum genus*, cui, ut ſcribit Adamantius, dracones aliiq; ſerpentes miniſtrare perhibentur. Diodorus Siculus per ſerpentem voluminibus implicatum, *Malum* innui aſſerit. Evmenidum crinibus colubros implicatos fingunt Poetæ, præſertim Æſchilus, (qvi primus fertur hujus fabulæ inventor, teſte Pauſania) ut terrorem hominibus ingenerarent. Hinc legimus Tiberium Gracchum non ſine cauſa timuiſſe, cum in galea qvâ in bellis uti conſveverat, angves offendit ova peperiſſe, fœtusq; jam formatos, paulo ante qvam multitudine Qviritium oppreſſus interficeretur. Serpentes igitur nudum hominem undiq; petentes, miſeriam in qva in hac mortali vita conſtitutus eſt, indicare reor.

II. Beſtiæ humano capite utrinq; aſsidet homo, manibus ad cœlum porrectis. Per beſtiam humano præditam capite,

procul dubio, hominem vitiorum cæno immerſum, & ad beſtialitatem redactum inſinuat, cui opem ferre aſsidentes conantur, à ſuperis petendum auxilium geſtibus docentes. Humano enim licet qvis præditus ſit capite & ratione, eam tamen pravarum cupiditatum appetitu obrui ſi ſinat, reliqvaq; membra, opera homine rationali indigna patrando, beſtiam ſi induant, non tam homo qvam beſtia dicendus. Hinc Adamantius hominem in libidinem pronum, non hominem, ſed eqvum vocat. Homo utcunq; externè comptus & honoratus, ſapientia deſtitutus, jumentum eſt, jumentis enim inſipientibus perqvam ſimilis, qvibus & phaleræ & auratæ non raro imponuntur bullæ. Servator ipſe in Evangelio *generationem viperarum* hominem maligno vocat ingenio, Matth. 3. & 12. Luc. 3. Homo vipera dicendus. Eleganter Joh. Euſebius Nirenbergius in Sigaleone, ſub perſona Antiſtenis. *Cum voluptates compares cum brutis homines cupiunt, compares qvoq; animas ſortiuntur. Per libidinem canes fiunt & eqvi; per gulam ſues vel ſimiæ vel Plantæ.* Et paulo poſt: *Satius eſſet corpus in beſtiam commutatum iri indemni humana mente, qvam retinere hominis effigiem beſtiali anima. Nec gloriandum eſt de forma, gloriari & ſimia poſſet, gloriari & Statua. Præſtaret eqvum aut aſinum eſſe, aut cedrum rationis compotem, qvam hominem mentis inopem.* Vide cætera jucundiſsima.

Qvotiescunq; accidit, ut ferinæ partes tyrannidem in nobis occupent, ardorq; cupiditatis, nobilitatem animi corripiat, opprimat, ſervitioq; addicat ſuo, propter turpitudinem obſeqvii, homo in belluam vertitur, ut recte ait Pierius lib. 4. Grata itaq; ut fiat Metamorphoſis, utq; ad ſanam redeat rationem, ope Superum indiget, qvam indefeſsè implorandam monent aſsidentes, habitu ad precandum compoſito.

III Pravis reſiſtendum inſpirationibus innuit ille, qvi telo vel haſta, irruentem abigit viperam.

Principiis obſta, ſerò medicina paratur:
Cum mala per longas invaluere moras.
Naſcitur exiguus, ſed opes acqvirit eundo;

Qva-

Quaq; venit, multas, accipit amnis aqvas.
Qvem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas,
Sub qva nunc recubas arbore, virga fuit.

Hinc eſt qvod Gregorius in Jobum cap. 20. ad hunc locum: *Caput Aſpidum ſurget, & occidet eum in lingva viperæ,* aſſerat, quod per aſpides, inſinuantur occultæ inſpirationes ſpirituum immundorum, qui primo exiguis perſvaſionibus cor noſtrum pertentant: ſed per linguam viperæ, fortes Diaboli tentationes.

IV. Luxuriæ, ingluviei & gulæ non indulgendum, monet vultur avidius impetum in piſcem (halec Rugianum non facile dixero) faciens, quem inſtigare quaſi videtur à tergo ſerpens, capite & rictu facinus approbans. *Piſces* olim ganeæ & popinæ ſymbolum fuiſſe ex multis liquet. Heraclitus *omnem carnem corpus eſſe ajebat, vel corporis partem, maritimorum verò vis tanqvam anima compacta, gratiam & voluptatem illis comparaſſe.* Hæcq; unica fuit cauſa, quare ſacerdotes Ægypti maritimis abſtinuerint, piè caſteq; ut viverent. Cum enim delicias omnes averſarentur, exiſtimabant piſcem & cibum, & condimentum eſſe.

Aliarum verò gentium ſacerdotes, piſcoſa loca Diis ſuis conſecrata finxerunt, ut ipſi ſoli piſcium deliciis fruerentur, vulgò enim in iis piſcari nefas erat. Hoc de Rhitis Atticæ regionis ſacerdotibus narratur, qui juxta Elevſinorum fines loca quædam delicatiſsimis piſcibus referta, Cereri & Proſerpinæ ſacra ſtatuebant, proinde ſolis ſacerdotibus deberi. Referunt Demoſthenem cum Philocratum cupediariæ impudicitiæq; criminaretur, eum *ex auro proditorio, & ſcorta & piſces commercatum* accuſaſſe. Hoc non ignoravit Horatius, dum Iccium ob frugalitatem commendaturus, cibos omnes delicatiores, per piſces inſinuavit, hæc proferens:

Verum ſeu piſces, ſeu porrum & cæpe trucidas.

Id eſt, ſive lavtiori ſive parciori utaris victu. *Vulturem* verò cunctis avibus voraciorem notat Epiphanius in ſuis expo-

ſitionibus. *Quadraginta diebus cibo abſtinet*, inqvit, *qvem cum invenit, totidem ſe ex illo libris ingurgitat, ut qvadragenariam abſtinentiam, qvadragenaria ingluvie compenſet.* Frugalitati igitur & ſobrietati ſtudendum eſſe, monet Emblema; nec ſvavibus ſerpentis venenati ſibilis, ſe permoveri ſinet qvisqvam, aureæ frugalitatis ut transſiliat limites, & deliciis ac voluptatibus ſe emancipet:

Habet omnis hoc voluptas:
Stimulis agit foventes,
Apiumq́; par volantium,
Ubi grata mella fundit,
Fugit & nimis tenaci
Ferit icta corda, morſu.

Inqvit Boetius lib. 3. Metro 7.

V. Homo admirabundus qvaſi, in medio relictus, eandem fermè repetitam dolet fabulã, coercereq; videtur avem (Milvium puto) piſcem rapaci roſtro petentem. Hoc verò qvamvis eodem dirigi poſſe videatur, qvia tamen, avis figura diverſa & piſcis alius; ſi *fugiendam Rapacitatem* hoc nos moneri dixero, nihil à ratione alienum produxiſſe ſpero. Veteres namq; Philoſophi, Plato ejusq; interpretes, per ejusmodi *aves*, piſces tanqvam tardiores & imbecilliores naturæ devorantes, eos qvi avaritiæ ſtuduiſſent, promptiq; ac parati eſſent ad imbecilliorum expilationes, rapinas & violentas tyrannides non ſolum denotarunt; ſed & talium hominum animas in ejusmodi aves migrare, ſtatuerunt. De qvo Socratem in Phœdone diſputantem conſule. Plinius rapaciſsimam & ſemper famelicam eſſe hanc avem ait lib. 10. cap. 10. unde Poeta,

Qualis famelicoſa ſecta Milviorum
Cujus acuit poſtriduus famem clangor.

Qvò alludit qvoq; Ariſtophanes, qvando eum *ἰκτῖνα* vocat *παντόφθαλμον ἅρπαγα τρέφων.* Inſidiatur avibus domeſticis, maximè pullis gallinaceis, & anſerinis, qvos imbelles & non repugnantes ex inſidiis adoritur, & clandeſtino impetu ſuffuratur. Pueris cibum è manibus in ipſiſmet urbibus, car-

carnes ſcrutaq; abluentibus, & piſces exenterantibus fœminis, ſudaria ſepibus, imò è virorum manibus, & qvod amplius, ſæpius pileos hominum capitibus, eo maximè tempore qvo nidulantur: ut viſum à ſe teſtatur Turnerus, vi audet eripere. Unde lepidè Plautus in Pœnulo,

Tunc ſis me arctè mea voluptas: male ego metuo Milvium: mala
Illa beſtia eſt, ne forte me auferat pullum tuum.

Tyrannidem igitur, rapinas, ſubditorum emunctiones, aliaq; ejus generis vitia fugienda monet Emblema: Nam

Qvi ſceptra duro ſævus imperio regit,
Timet timentes, metus in autorem redit.

Ut pulchrè docet Seneca in Oedipo. Hinc non inſcite Claudianus:

Tu licet extremos latè dominere per Indos
Te Medus, Te mollis Arabs, Te Seres adorent,
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniqvas
Interius leges. Tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui.

CIRCULI PRIMI SERIES ALTERA.

I. Primi hujus annuli ſeriem ſecundam, cum prima convenire, ſtatuarum & imaginum diſpoſitio oſtendit. Homo angvem unum à ſe abigens, imminentem à tergo alterum non ſentit, anteqvam lædatur.

Circumſpectos & in rebus gerendis cautos nos eſſe oportere, monet Emblema. Ita enim nobiſcum comparatum eſt in hac mortalitate, ut non uno premamur incommodo, ſed undiq; hoſtibus cum cingamur, Argos eſſe decet, continuoq; vigilandum tibi eſt, ne cum uni reſtiteris, plures ex improviſo te incautum à tergo obruant. Ferunt Herculem, (per qvem veteres, tam animi qvam corporis viribus præſtantem denotarunt) mox in cunabulis angves trucidaſſe; innuere volentes eum qvi ad magna & præclara natus eſt, mox à teneris voluptates exſtingvere debere; ut per reliqvum vitæ curſum

reliqvis vitiorum angvibus cautius reſiſtere diſcat. Qvo ſpectat illud Silii lib. 1.

Ocyus ite viri & naſcentem extingvite flammam
Ne feræ redeant, poſt aucta pericula, curæ.

Nam ut Plautus ait in Rudente:

Ille qvi conſultè, doctè atq; aſtutè cavet,
Diutinè ei uti benè licet partum benè.

Voluptates & libidines per *angves* notari vel ex Plutarcho conſtat, qvi memorabilem in eum finem allegat hiſtoriam, de fœmina Ætolica impenſius ab angve adamata. Noctu eam adire ſvetus, puellæ corpori circumfuſus, hac atq; illac illabens, illam nunqvam, neq; ultro, neq; invitus lædebat, oportuneq; circa diluculum recedebat. Qvod cum illi, qvibus puella curę fuerat, intellexiſſent, eam alio migrare compulerunt. Serpens per triduum & qvatriduum non adeſſe, ſed diligenter accurateq; circumire, illam qværitans; qvam ubi mox invenit, caſu ſcilicet illi obviam factus, non uti ſolitus erat, mitis & blandus, ſed aſper & horridus in eam inſiliit, manibusq; primum, ſpira ad corpus adſtrictis, caudæ reſiduo fœmora flagellabat, levem qvidem iram præ ſe ferens, qvæ licet indulgentia aliqva permixta eſſet, caſtigationem tamen aperte demonſtraret. Sed hæc obiter, ut cauſa pateat cur per angves voluptates & illecebras notatas voluerint veteres.

II. Seqvitur hominis in anguſtiis conſtituti eadem fermè icon, cum ea qvam in primo expendimus Emblemate. Qvæ procul dubio nil aliud indicabit, qvam id qvod ſupra diximus. Imaginum verò harum repetitio notat ejuſmodi monita nunqvam ſatis inculcari poſſe, propter eorum tum neceſſitatem, tum utilitatem. Δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. Siniſtra caſu an ſtudio amputata num ſit, vix dixero. Qvod ſi hoc, vult homini omnem præciſam eſſe elabendi opportunitatem, niſi maturè ſe expediverit, & manus victas vitiis haud dederit.

III. Repetitur deinde ſecundum primæ ſeriei Lemma: ſed immutatum aliqvantulum alioq; traductum. *Cynocephalus* enim

enim ille, inter duos medius, obtorto collo trahitur, ab aſsidentium altero; ab altero baculus oſtenditur in ſpiras contortus, qvo minitari repugnanti videtur. Hoc autem indicari puto, eos qvos nec recta ratio, nec bonæ leges, nec proborum exempla & cohortationes, in orbita honeſtatis continere poſſunt; juſtitiæ habenis & pœnarum baculo coercendos eſſe. Sic enim Solon apud Stobeum ſerm. 9.

Ἀιεὶ ὔτε λέλιθε διαμπερὲς ὅϛις ἀλιτρὸν
Θυμὸν ἔχει παντῶς δ' ες τέλος ἐξεφάνη
Ἀλλ' ὁ μὲν ἀυτίκ' ἔτισεν, ὅδ' ὕϛερον ει δὲ φύγωσιν.
Ἀυτοὶ μηδὲ θεῶν μοῖρ' ἐπιῦσα κίχῃ,
Ἤλυθε πάντως, καὶ τὰ ἀνάιτια ἔργα τινῦσιν.
Ὅι παῖδες τῦτων ἡγεμόνων ὀπίσω.

Qvod qvidam ita interpretatus eſt: *Cæterum non ſemper latet in perpetuum, qvicunq́ ſceleroſum pectus habet, ſed omnino tandem arguitur. Dat autem pœnas alius ſtatim, alius in poſterum. Et ſi videantur effugiſſe aliqvi, neq́ fatum ipſos Deorum invaſerit, omnino tamen venit, atq́ immeriti facinora luunt, vel liberi primorum authorum in poſterum.* Niſi enim pravi juſtitiæ & pœnarum repagulis coerceantur, *periere mores, jus, decus, fides*, ut Seneca ait in Agamemnone, &

Imminet armorum rabies, ferriq́ poteſtas,
Confundit jus omne manus, ſceleriq́ nefando
Nomen erit virtus, multosq́ exibit in annos.

IV. *Beſtia humano capite*, piſcem pedibus calcans, hominem notat ſuis indulgentem cupiditatibus, qvi licet facie ſit humana, beſtiis tamen annumerandus venit, cum ratione ſanâ neglectâ, libidinibus delitiisq; frena laxat. Per *piſces* namq; luxuriem, ganeam & libidinem notari, ſupra dictum. Vide qvæ ad ſymbolum qvartum, ordinis primi notavimus.

V. Otii incommoda & pericula ultimum monſtrat. Deſes enim & otioſus aſsiduè vitiorum telis petitur, venenatisq; ſerpentis morſibus ſe objicit. *Otium namq́ pulvinar Diaboli* vulgò jactatur.

Otium reges, prius & beatas

Per-

Perdidit urbes, inqvit Horatius,
Ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ ποιεῖ κακά;
Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus:
Vt capiant vitium, ni moveantur, aquæ?

Hoc eſt quod vult imago ſerpentis, brachium & manum deſidis, vellicantis.

E contra: *Labor omnia vincit*,
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Hinc eſt qvod Evripides in Heraclidis, teſte Stobeo ſerm. XXIX. virtutis ſemitam, per quam incedere ſolet, negotium & labores conſtituat; *ἀδ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθον*. Qvod ſequenti Emblemate pluribus docere nititur cornu noſtrum.

CIRCULUS SECUNDUS.

Ut præcipua animi, circa virtutes, exercitia, prima ſymbolorum claſſe exhibuit cornu noſtrum: ita ſecundo hoc annulo ea proponit, in quibus corpus honeſtè & commodè occupari poteſt, qvæq; ignavo otio pellendo in primis conducunt.

I. Lemma primum, *Eqvitationem* ob oculos ponit, quæ tanti ſemper â majoribus noſtris facta, ut fermè omnibus reliquis corporis exercitiis ſit prælata. De *Alanis* ſcribit Raviſius; adeò exercitatos eos fuiſſe equites, ut centum interdum milliaria uno curſu confecerint. *Schytæ*, Hippocrate teſte, libro de Aere, Aqvis & locis, eqvis indeſinenter vehebantur: unde partes generationi dicatæ in ipſis planè fuerunt enervatæ. Herodotus lib. 1. *Lydos* eqvitatu adeò valuiſſe refert, ut Crœſus optaret, Jones equitatu venire oppugnatum Lydos. *Colophonios* equitatu ſtrenuos fuiſſe memorat Strabo Geographiæ lib. XIV. Ubicunq; enim gentium bellum gereretur, qvod aliter confici non poſſet, Colophoniorum equitum ope abſolvebatur. Hinc vulgò natum proverbium *Κολοφῶνα ἐπέθηκεν*. Ad eqvitatum igitur non immeritò hortatur cornu noſtrum, Principes præſertim & magnates, quibus eqvos alendi facultas eſt

Eum

Eum in finem *Salomon* Rex quadraginta præſepiorum millia habebat eqvorum jugalium, & duodecim millia equitum, III Regum IV. mille quadringentas quadrigas, equos præterea ex Ægypto adducendos curabat, III Regum X.

Qvi equitem hunc Svantoviti ſacerdotem eſſe putat, non animadvertit Saxonem aſſerere, ſacerdotem Svantoviti præter comunem patriæ morem, barbæ comæq; prolixitate ſpectandum fuiſſe. At hic barbam quidem habet; ſed non prolixam, & coma planè deſtituitur. Sacerdos tunica ad tibias prominente ſtatuitur: hic corpore nudus. Ille pro inſigni Cornu Svantoviti dotatur: hic haſtam tenet aut venabulum.

II. *Armorum tractatio*, homine utraq; manu gladios ventilante innuitur. Alludit procul dubio, ad priſcum noſtratium armis ludendi modum, quo ita gladios utraq; manu tractabant, ut alter ſemper in aere, quaſi pendulus libraretur, alter dextrâ alternatim exciperetur. Ad legemed Handſaxe vocabant. Alexander ab Alexandro lib. III. Genial. dier. cap. XXI. apud Germanos ludum extitiſſe refert, qvo nudi juvenes inter gladios & infeſtas frameas ſe invicem jactitarent, illasq; ſaltu tranſilirent illæſi. Inſtituti in armorum tractatione, aſſveſcunt non expaveſcere congreſſum hoſtilem, vulnera, ferrum, ſangvinem. Hinc olim Blondo teſte lib. II. de Roma triumphante, *gratuita fuit opera arma tractantium.* Nam alii juſsi à Regulis ſuis, nomina armis profitebantur, ad ſpecimen inſitæ genti virtutis oſtendendum: alii profeſsi ſe pugnaturos in gratiam Ducis. Alios æmulatio, ut provocarent, aut provocati certamen non abnuerent traxit. Qvidam qvi diſceptando controverſias finire neqviverant, aut noluerant, pacti inter ſe, ut victorem res ſequeretur, ferro decreverunt. Majores noſtros ea religione arma tractaſſe legimus, ut *nihil facerent non armati.* Epulabantur armati, concilia armati inibant, pactiones armorum contactu firmabant. Armati etiam jurabant; vel armata dextra, vel ſuper armis interdum honoratioris alicujus,

cujus, vel propriis. Unde & *armorum ademptio*, apud omnes gentes graviſsima habita eſt pœna.

III. *Venationis exercitium* ob oculos ponit ille, qvi arcu & ſagittis inſtructus, feram proſternere nititur. Cum nihil æqvè corpus ad labores & animos ad reſiſtendum hoſti coroboret ac venatio, atteſtante Xenophonte de venatione, non mirum inter ea, in qvibus principem exerceri honeſtè convenit, hic etiam poni venationem. Tali enim modo, non deſidia & compotationibus vires corporis enervantibus; ſed opportunis & pro temporis ac negotiorum ratione, venationis & aucupii exercitiis & oblectamentis, Perſarum Reges in primis, animi corporisq; vires reficere ſolitos accepimus. Hoc nominè commendatur Alexander Macedo, Cyrus & alii, qvi non ad ſaginam: ſed ut vires corporis, caloremq; naturalem, ſanitatis ergò foverent & roborarent, volucrum ferarumq; hiſtoriam & naturam explorarent, agnitamq; poſteris deſignarent, venationi & aucupiis operam navarunt. Apollonius Thyaneus cum Phraotem Indorum regem de victu rogaret, reſponſum tulit; *ſibi exercitationem ſufficere, ſed feras in venatione captas aliorum eſſe, qvibus dabat*: ut tradit Philoſtratus in vita Apollonii. Euſebius de præparatione Evangelica lib. 8 cap. 5. aſſerere non dubitavit, *Atroces illas beſtias exercitationis bellicæ gratia divinitus productas.* Hinc eſt qvod fœminæ bellicoſæ huic etiam ſtudio ſe dediderint. Inter reliqvas celebratur à Silio Italico Hasbites, de qvâ hæc canit lib. 1.

Hæc ignara viri, vacuoq; aſſveta cubili,
Venatu & ſilvis, primos defenderat annos
Non calathis mollita manus, operatave fuſo.
Dictynnam & ſaltus & anhelum impellere planta
Cornipedem, & ſtraviſſe feras immitis amabat.

In noſtro Emblemate notandum; *arcu* & *ſagitta* inſtructũ depingi venatorẽ feras petentem, non verò bombarda aut aliis noviter inventis tormentis bellicis. Qvod de antiqvitate hujus cornu teſtimonium præbet indubitatum.

Apud Romanos venationis qvoddam erat genus, ad ſpecta-

ſpectacula referendum, in qvo poſitæ in theatro feræ, ut Tygres, Elephanti, & Leones, gladiatoribus congrediebantur usq; ad mortem & caſum alterutrius partis. In hiſce autem venationibus, ſoli conducti, aut damnati, aut ambitioſi ad oſtentationem ſuarum virium adhibebantur, qvoniam maximum vitæ diſcrimen imminebat. De his Svetonius in Julio Cæſare. *Venationes editæ per dies qvinq; ac noviſſimè pugna diviſa in duas acies, qvingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis eqvitibus hinc inde commiſſis.* Sed hæ venationes locum hic non habent, utpote qvæ majori venatoris fiunt diſcrimine, qvam commodo. Venatio illa optima habetur, qvæ eqvis, canibus & corporis viribus agitur, ut docet Plato VII. de Legibus, qvamvis piſcationem & aucupium improbet. Xenophon in primo Pediæ, ait venationem Perſis videri veriſsimam meditationem rerum bellicarum; qva etiam aſſveſcunt frigora & calores tolerare. Exeuntes autem in venationem non prandent, donec finita ſit.

Feſta venatricia Dianæ ob venationes Romæ ſacrata XI. Calendar. Septembris, ex Calendario conſtat Romano.

IV. Vir grandævus, barbatus, ſacerdotali habitu, cornu manibus tenens, ad mediocritatem in omnibus ſervandam & hilariori qvandoq; potu curas animi levandas, hortari videtur, dum cornu mulſo repletum eqviti porrigere tentat. Ut enim exercitatio vehementior, corpus frangit, calorem nativum diſsipat, vires exhaurit: ita mediocris & cum modo facta; idem roborat, calorem diſsipatum revocat, vires exhauſtas reſtaurat, omnibusq; commoda & opportuna. Qvies qvocirca qvandoq; laboribus interponenda. Nam ut Poeta canit:

> *Qvod caret alterna reqvie durabile non eſt:*
> *Hæc revocat vires feſſaq; membra levat.*

Cibo qvinetiam & potu exhauſta reſarcienda. Qvod prudens hicce ſenex, Medicum & Sacerdotem agens, ſvadere ſuo cornu videtur.

Athenæus lib. 5. refert Amphiaraum cornu manu geſtaſ-

ſe, ὡς τὰ ἐνύπνια διὰ τῆς ἀληθῆς ἀνάγων, ut vera ſomnia-ſet. Somnia enim vera per cornu: falſa per ebur proficiſci docuerunt veteres. *Audi meum ſomnium*, inqvit qvidam apud Platonem, *ſive per cornu venit, ſive per ebur.* Qvod hiſce expreſſit Virgilius 6. Æneid.

Sunt geminæ Somni portæ, qvarum altera fertur
Cornea, qva veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto.

Hinc vera ſomnia Ariſtides vocat, *commemorationes venientes per cornua, ſplendidiores omni elephanto.* Vide qvæ ſupra de ſomni cornubus à nobis annotata. Hoc ſenſu, innuere forſan vult Emblema; poſt corporis exercitia, aliqvid animo tribuendum, lectioni, ſtudiis, hiſtoriis aliisq; regimini Principum commodaturis, ut ex iis tanqvam ſomniis per cornu delatis, qvid facto opus, erudiamur.

Obſervatu haud indignum, qvod cum omnes reliqvæ hujus cornu ſtatuæ qvæ homines repræſentant, nudæ ſint, ſine veſtibus: nuditatem proculdubio & infirmitatem noſtram in honeſti & virtutis ſtudio ut exhibeant, hæc ſola veſte talari & capitio cum ſyrmate oblongo in humeros propendente donetur. Ut qvales eſſe debeant aliorum Doctores & Magiſtri oſtendat; virtutum nempe, ſcientiæ & pietatis tecti indumentis. Barbata qvoq; eſt, ut ſapientiam & prudentiam in eo reqviri doceat. Cornu verò qvod manibus tenet, cum in apicem acutum terminetur, atq; ita manibus appræhendatur ut liqvorem continere & exhibere poſſit, potius cum poculo, qvo corporis exercitiis defeſſos recreare velle videtur ſenex, qvam cum tuba aut buccina affinitatem habet. Obiter etiam hic nota, qvo habitu tum uſi ſint Runæ, Scaldri & Sacerdotes noſtrates, cum hoc cornu fabricaretur.

CIRCULUS TERTIUS.

Omnia hujus circuli emblemata, eò directa eſſe videntur ut bellorum atrocitatem, fœditatem, calamitatem & incommoda ob oculos ponant; qvò ejus moleſtiis deterriti prin-

Principes, non temerè, ſed gravibus ſaltim de cauſis & coacti ſe ejus retibus implicent. Nam, *cùm primum*, canente Petronio:

Intremuere tubæ, ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperos ſtygium caput: hujus in ore
Concretus ſangvis, contuſaq; lumina flebant.
Stabant irati ſcabrâ rubigine dentes;
Tabo lingva fluens, obſeſſa draconibus ora,
Atq; inter, toto laceratam pectore, veſtem
Sangvineam, tremula qvatiebat lampada dextra.

I. Homo hominem mactans & crebris vulneribus conficiens, immanitatem adverſariorum & hoſtium oſtendit; & neſcio an alludat ad priſcum morem noſtratium, qvo, devictis hoſtibus ut ægrius facerent, eosq; majori ignominiâ afficerent, proſtratis gladium circa ſcapulas ad ſpinam dorſi adigebant, coſtasq; ampliſsimo facto vulnere, utrinq; à ſpina ſeparabant; qvæ ad latera deductæ alas repræſentabant aqvilinas. Hoc genus mortis, vocabant *Aqvilam in dorſo* alicujus *figurare.* Sic Saxo lib. IX. Hiſtor. Danic. de Hella à Sivardo & Biornone occiſo; *Compræhenſi*, inqvit, *ipſius dorſum plaga Aqvilam figurante affici jubent, ſæviſsimum hoſtem atrociſsimi alitis ſigno profligare gaudentes.* Olim etiam ᛒᛚᛘᚦᚱᚼᚠᛁᛚ. ut in Ormſagu: ᛘᚱᛘᚢᛆ ᛒᚱᛆ ᛋᛆᚼᛋᛁ ᛘᛦ ᚱᛁᛋᚦᛁ ᛒᛚᛘᚦᚱᛁᚠᛁᛚ ᛆ ᛒᛆᛦ ᛒᚱᚢᛋᛆ ᛘᛦ ᛋᛦᛆᛅ ᛆᚠ ᚱᛁᚠᛁᚴ ᚠᚱᛆ ᚼᚱᚢᚠᚠᚼᚴᚢᛘ. ᛘᚠ ᚠᚱᛘ ᚦᛆᚱ ᚢᛆ ᛚᚢᚴᚠᚢᛘ. *Ormerus evaginato gladio in dorſo Bruſi Aqvilinam inflixit plagam, ſeparatis à dorſo coſtis, & pulmonibus exemtis.* ᛒᛚᛘᚦᚯᚱᚴ etiam vocatum invenio, in Jarlaſagu: ᚦᛆ ᚠᛁᚼᛦ ᚼᛁᚴᛆᛅ ᛁᛆᚱᛚ ᛆᛁᛚ ᚼᛆᛚᚠᚦᛆᚴ ᛘᚠ ᚱᚼᛁᛋᛆ ᛒᛚᛘᚦᚯᚱᚴ ᛆ ᛒᛆᛦᛆ ᚼᛘᚴᚢᛘ, ᛘᚼᚦ ᚦᚼᚴ ᚼᚼᛆᛆᛁ ᛆᚦ ᛚᛆᚠᚦᚼ ᛋᚢᚼᚱᚦᚼ ᛆ ᚼᚯᛚᚢᛁᚦ ᚼᚱᚢᚠᛁᚢᛘ ᛘᛦ ᚱᚼᛁᛋᛆ ᚱᛁᚠᛁᚴ ᛘᚠ ᚠᚱᚴ ᚱᚢᚠᚠᛁᚴᚢᛘ ᛘᚠᛆᚴ ᛆ ᛚᚼᚴᚦᛆᛅ ᛘᚠ ᚦᚱᛘ ᚦᛆᚱ ᚢᛆ ᛚᚢᚴᚠᚢᛘ. *Tunc comes Einarus in dorſo Halfdani Aqvilinam excitavit plagam, ita ut gladium dorſo adigeret, omnesq; coſtas à ſpina ſepararet, usq; ad lumbos, indeq; pulmones extraxit.* ᛒᛚᛘᚦᚢᚠᛚᛘ in hiſtoria Regneri Lodbrog indigetatur. Scilicet ut ait Seneca in Hyppolito:

Invenit artes bellicas Mavors novas

Et mille formas mortis: hinc terras
Cruor infecit omnes fuſus, & rubuit mare,
Tum ſcelera dempto fine per cunctas domos
Iëre, nullum caruit exemplo nefas.

II. *Centauri* effigiem, hominem moribus ruſticis & furibundum denotare docet Ariſtophanes in Nubibus. Cumq; Centaurus pube tenus humana facie, reliquo corpore equina fingatur; eo denotare voluere veteres, milites & bellorum ardore flagrantes, quamvis humana appareant facie, animum tamen calcitrantis & indomiti eqvi poſsidere; qui nullis frenis & repagulis coerceri poteſt, ubi ſemel bello, furtis, rapinis, & latrociniis aditus eſt patefactus. Non igitur ſine cauſa exclamat Tibullus lib. x. Eleg. x.

Qvis furor eſt atram bellis accerſere mortem?
Imminet & tacito clam venit illa pede.

Centaurorum fabulam vide apud Natalem Comitem libro VI. Ab his tractum Adagium: *νοῦς οὐκ ἔνι κενταύροισιν.* In vecordes & ſtultos qui conarentur quod effici non poſſet: alii in contentioſos & alieni appetentes dictum volunt, propterea quod centauris exitium attulerit rerum alienarum appetentia.

III. Idem volunt duo invicem ſe provocantes lupina aut canina facie, quorum alter gladio falcato armatus, adverſarium ſecuri munitum adoritur, enormitatem, fœditatem & tyrannidem bellorum, & rixarum oſtendit, quæ homines rationales in beſtias convertit, canibus & lupis atrociores: utpote qui in propriam ſæviant ſpeciem, nihilq; infandum patratu, ſibi non licitum eſſe putent. Heu quam

Nulla fides pietasq; viris qvi caſtra ſeqvuntur!

Qvidni igitur exclamemus:

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes!

CIRCULUS QVARTUS.

Pacis commoda bellicis tumultibus opponit. Paſto-

rem

rem enim armenta paſcentem, baculo ad pabula adigentem, & ſecuri Lupos aliasq; immanes beſtias arcentem introducit; ut aureæ pacis jucunditatem & ſvavitatem felicius exprimat. Videtur mihi planè illud Comici delineare voluiſſe.

Εἰρηνὴ γεωργὸν κ' ἀν πέτραις τρέφει καλῶς
Πόλεμ☉ δὲ κὰν πεδίῳ Κακῶς ἔφει.

Alit Colonum vel in ſaxis Pax benè
At bellum in ipſo noxium campo qvoq;.

Qvia olim maximam divitiarum & felicitatis mundanæ partem, in armentorum & pecorum poſſeſsione ſitam fuiſſe, vel ex ſacris docemur Gen. 13, hinc factum ut commodiori ſymbolo pax exprimi non potuerit. *Abrahami* & *Lothi* tanti & tot enumerantur armentorum greges, ut lite de paſcuis inter paſtores orta, coacti ſint ab invicem ſeceſsionem facere. *Iobus* balantum habuit ſeptem millia, camelorum tria millia, boum juga qvingenta, Aſinas qvingentas. Quæ omnia à Deo ſunt conduplicata, ubi ſuæ patientiæ ſpecimen exhibuiſſet. Qvin & alii profani, boum armentorumq; copiâ felicem pacis poſſeſsionem teſtatam reliqverunt. Homerus in Iliade refert *Iphidamantem* Antenoris filium, boves centum ſponſalitium munus ſocero ſuo dediſſe. Ne longè remota qværamus. Inſularum Septentrionalum Islandiæ, Ferroæ aliarumq; opes, in ovium pecorumq; multitudine ſitas eſſe, nemo non novit. Adeoq;

Laudandus hic eſt, qvem prole paratâ,
Occupat in parva, pigra ſenecta caſa.
Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos;
Et calidam feſſo comparat uxor aqvam.

Plutarchus in Numa, refert Numam Pompilium, ne populus otio marceſceret, agros diviſiſſe, Terminum agrorum fines ſeparantem Deum adjunxiſſe, ſigillatim qvi obſervarent, qviq; agros circumirent ſtatuiſſe, ex operibus civium mores conjectans. Hinc factum ut cum Agriculturæ ſtudium diligenter colerent Romani, non tantum Conſules, Dictatores, Senatores ex agris ſæpe per viatores vocaverint, ſed etiam ruſtica plæriq; cognomenta habuerint.

CIR-

CIRCULUS QVINTUS.

Totus dicatus videtur Prudentiæ commendandæ. *Homines duo* ſpeculum variis virtutum gemmis Illuſtre, homini in belluinam formam à vitiis redacto, oſtendunt; ſuam ut agnoſcens fœditatem, ab illecebris malorum, ſe avertat, atq; prudentiæ ope ad ſaniorem redeat mentem. *Serpentum*, majorum & minorum adſunt icones, voluptatum & libidinum *piſces* conculcantes ac coercentes; ut hoc prudentiæ munimine ſeptus, ſecurius curſum vitæ abſolvere qvis valeat. *Speculum* explorationis olim fuiſſe Hieroglyphicum docet Pierius lib. LXI. propterea, qvod nævos maculas & rugas latentes detegat & oſtendat. Pictores eo ſtatuam prudentiæ, eisdem de cauſis ornare ſolent. *Serpentibus* verò ipſe Servator prudentiam tribuit, dum Matthæi x, jubet ut ſimus ſimplices ut columbæ; ſed prudentes ut ſerpentes. Quemadmodum enim ſerpens ſi percutiatur caput ſub reliqvo abſcondit corpore: ſic Chriſtiani licet variis ſubjiciantur tormentis, operam dabunt ut fides tanqvam caput, maneat illæſa, ut explicat Jul. Cæſar Capatius lib. I. dell. impreſe c. 20. Moſes qvoq; Gen. 3. Serpentem inter animalia prudentiſsimum vocat. Vafrum enim eſt, ad ſubſidium defenſionemq; paratum. Sic

Ψυχῆς μέγας χαλινὸς ἀνθρώποις ὁ νȣ̃ς.
Validiſsimum animus frenum habet prudentiam.

Per *piſces*, voluptates & illecebras intelligi ſepius jam inculcatum. Unde & Horus Apollo lib. I. Hieroglyph. XLII. per piſcem nefarium & abominandum indicari ait. Quod horum eſum qvi in ſacris verſantur, horreant & exſecrentur. Eſt namq; ejus naturæ piſcis qvidam, ut qvæ offenderit exhauriat, inq; ſuum ipſe genus ſæviat. Talium itaq; hominum conſortia & technas ut vitemus, conſilio & prudentia opus eſt; qvâ qvi deſtituitur, infœlix admodum eſt.

Crede mihi miſeros prudentia prima relinqvit
Et ſenſus cum re, conſiliumq; fugit.

Ferunt Philippum Macedonum Regem magis de prudentia, aſtu imperatorio & ſucceſſu qvem in conciliandis hominibus

bus habuiſſet, qvam de copiarum & auxiliorum viribus gloriatum eſſe. Svetonius autor eſt dubium fuiſſe, cautiorne an audentior fuiſſet C. Julius Cæſar in obeundis expeditionibus. Adeo verum

Ἀγαθὸν μέγιςον ἡ φρόνησις ὅς' ἀεί.
Prudentia bonum eſt ſemper qvam maximum.

CIRCULUS SEXTUS.

I. *Juſtitiam* mihi adumbrare videtur. *Caput* grande oculis deſtitutum, inter beſtias duas locatum, Juſtitiæ, vel Judicis juſti emblema eſt. Pingitur à multis juſtitia velata facie, ut non tam perſonas litigantes aſpiciat, qvam cauſas auribus percipiat; ut ſuum cuiq; ἄνευ πάθως tribuat. Nam

Juſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente qvatit ſolida: neq; Auſter
Dux inqvieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus Iovis,
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

A capite æqvaliter dependent cirrhi; à collo divaricationes in nullam inclinant partem; qvod jubet Comicus, inqviens;

Βάδιζε τὴν εὐθεῖαν ἣν δίκαιος ἦς.
Recta incede qui juſtus es.

Inter duas verò beſtias locatur, qvarum accuſationes & cauſas audire; tyrannicas verò formas reſpicere non convenit. *Ægyptii* contrario modo Juſtitiam adumbrarunt per *oculum.*

Ὄμμα δίκης καθορᾷ τὰ γιγνόμενα
Juſtitiæ oculus qvæ fiunt videt,

inqvit Poeta. Hinc illud Δίκης ὀφθαλμός. Qvo ſenſu & Plato, juſtitiam ſpeculativam & vindicem vocat. Sed alio reſpexerunt. Ut ſingula rerum momenta, commodius expendat, perſpicacem eſſe oportet judicem, & è nudo Solis throno per cuncta propagare ſuos radios, omniaq; veluti Sol ipſe,

dirigere convenit,ut vult Proclus. Verum cognita re,ne à perſonæ ſplendore obfuſcetur,ſpe,metu,aut donis corrumpatur, cæcum hic oportet eſſe juſtitiæ adminiſtratorem. Juſticiam namq; *Soli* aut *ſplendidæ ſtellæ* aptè comparari, innuere qvoq; videtur *ſtella illa radiis ſeptem* (aliarum virtutum) fulgida qvæ ſupra caput Juſtitiam denotante, ad dextrum conſpicitur latus. Poetæ enim Latini Juſtitiam ſcelera hominum exoſam, terras liqviſſe, & inter ſydera locum obtinuiſſe atq; Aſtreæ titulo cultam fuiſſe fingunt. Unde Seneca in Octavia:

Neglecta terras fugit & mores feros
Hominum, cruenta cæde pollutas manus
Aſtræa virgo, ſyderum magnum decus.

Ovidius 1. Metamorph.

Vltima cæleſtûm terras Aſtræa reliqvit.

II. Fructum & præmium juſtitiæ rite adminiſtratæ promittere mihi videtur *flos* ei comes, qvi *Lilium* repræſentat. Spei ſymbolum lilium eſſe volunt Hieroglyphicorum Magiſtri, qvod cum omnis maculæ ſit exſpers, ac niveo candore conſpicuum,nos bene ſperare jubeat. Id qvoq; docent inſcriptiones variorum numiſmatum, Alexandri, Pii, Auguſti, Æmiliani,Claudii,in qvibus cernere licet Deam lilium dextra tenentem, cum hac inſcriptione. SPES PUBLICA. SPES AUGUSTA &c.

Inprimis nummus Fauſtinæ, in qvo ſub lilio & effigie Divæ, qvæ cornu copiæ manu tenet, additum eſt BONÆ SPEII, per duplex I. Imo non lilio tantum, ſed omni florum genere rectè Spes ſignificari videtur. Quia ut in floribus fructus; ſic ſpebus ſperata ſuccedere ſolent, ut ait Stephanus Zamoſius Annalium Daciæ Antiqvit. cap. XII.

Totum negotium commodiſsimè expreſsit Menander apud Stobæum ſerm 7.

Ὅταν τι πϱάττεις ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα
Πϱόϐαλλ᾽ ἑαυτῷ τȣ̃το γινώσκων, ὅτι
Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμϐάνει.

Cum qvid ſanctum agis bonam ſpem tibi propone, certus quod conatum juſtum etiam Deus adjuvat. Si

Si qua fata aſpera rumpas
Tu Marcellus eris; manibus date lilia plenis.

Celebratur à Saxone noſtro ob juſtitiæ cultum Ericus Rex qvi Nicolao ſucceſſerat, lib. XIV. *Interea*, inqvit, *Ericus quæſitam armis pacem Juſtitiæ ornamentis excolere cupiens, conditas à Majoribus leges, ac tunc pene ingenti bellorum tempeſtate ſubverſas, ad priſtini vigoris habitum revocavit, utq́ fortitudine fuerat, ita juſtitia inſignis apparuit, irrogatas minoribus injurias ſuperiorum ſuppliciis penſabat, nihilq́ familiaritati aut neceſſitudini parcens, aut ferro aut laqveo inconſultam majorum avaritiam caſtigabat.*

CIRCULUS SEPTIMUS.

Ultimus Hieroglyphicis dotatus circulus, ultimum etiam vitæ noſtræ exhibet finem, Mortem: qvæ in omnibus noſtris actionibus ante oculos ponenda, ut qvæ recta ſint faciamus, qvæ injuſta fugiamus, Deumq; ſincere timeamus. *Mors & exilium & omnia quæ in malis habentur ob oculos tibi qvotidie verſentur: μάλιςα δὲ πάντων ὁ θάνατος. Sic nihil unqvam humile cogitabis, nec impenſe cupies qvicqvam*, inqvit Epictetus Enchiridii cap. XXVIII. Nam ut idem ait cap. X. *Mors non eſt malum. Sed opinio de morte eſt quæ malum eam facit.* Hinc rectè eloqventiæ parens Cicero 1 Tuſcul. Quæſt. *Non deterret ſapientem Mors, quæ propter incertos caſus qvotidie imminet, & propter brevitatem vitæ, nunqvam longè poteſt abeſſe.*

Oſſa bina inter duas lacertarum aut angvium combinationes, vermium nos eſcam poſt obitum futuros admonet. Nil jam tritius eodem hoc ſymbolo; Cranio enim humano & oſsibus ſerpentibus implicatis, ſtatum noſtrum poſt fata præfigurare ſolemus.

Omnes una manet nox
Et calcanda ſemel via lethi.
Haud ullus portabis opes Acherontis ad umbras:
Nudus ad infernas, ſtulte vehere rates.

Qvocirca:

Vive memor mortis, memor ut ſis vive ſalutis.

Quidam duo hæc crurum oſſa intermedio qvaſi vinculo juncta, H literam Latinorum exprimere putant. Sed falluntur. Non enim obſervarunt manifeſtiſsimos articulationum nodos; non obſervarunt intermedium (qvod vinculum eſſe volunt duarum linearum) continuum non eſſe; ſed interruptum & certis punctis dotatum. Nec eo ævo qvo hoc cornu elaboratum, ulla apud nos extitit literarum Romanarum notio. Cur præter hanc, nullam præterea addidiſſent? Sed manet qvod:

Mors ultima linea rerum.

Recte Democrates: ὁ κόσμος σκηνὴ, ὁ βίος πάροδος: ἦλθες, ἴδες, ἀπῆλθες. *Mundus ſcena, vita tranſitus: veniſti, vidiſti abiiſti.* Vide Simplicium in caput XXIII. Epicteti.

In qvo ſubſiſtimus, ſi prius monuerimus, *angvium, ſerpentum, draconum & chymerarum variè intricatarum & hinc inde per majores circulos diſpoſitarum imagines, punctulis notatas*; non eſſe vaginam & laxa lora angvillarum formam præ ſe ferentia; ſed innuere cuivis æqvi & honeſti ſtudioſo, latentes vitiorum pungentium & irritantium pertimeſcendos eſſe ſtimulos; qvos à ſe ut abigat, virtutum contrariarum clypeo & armis diligenter animũ muniat neceſſum eſt; ubivis enim locorum

Latet angvis in herba.

Quod duo inferiores annuli ſignis ejuſmodi dotati non ſint, indicat juſtos & in limine Mortis conſtitutos, tentationibus ejuſmodi minus infeſtari, præſertim ubi harum virtutum ſcuto tecti, animosè iis reſiſtunt.

In ultimo circulo extat qvoq; *cordis imago punctulis conſtans*, & novies repetita. Quæ indicat hæcce hieroglyphicorum monita, ita comparata eſſe, ut non oculis ſolum eorum imagines obiter uſurpare conveniat: ſed potius intimis cordis receſsibus, non novies ſolum, ſed & millies, eorum ſtimuli condendi, ut in uſum qvotidianum traduci, ac in tota vita factis exprimi poſsint. *Scita hæc in pectus demittenda ſunt, non memoriæ tantum commendanda*, inqvit clariſs. Salmaſius præfatione in Epictetum. *Non verba hic exiguntur ſed opera.* Ἀπολείπε-

λείπεται χρῆσθαι τοῖς παρηγγελμένοις, τοῦτο αὐτὸ μόνον σεμνόν ἐστι: monet Epictetus cap. LXXIII. *Reliquum eſt uti præceptis. Id quod ſolum præclarum eſt.* Nam *Ἀνδριάντα τὸ σχῆμα, ἄνδρα δὲ ἡ πρᾶξις κοσμεῖ.* inqvit Demophilus. *Statuam figura, virum actio ornat.*

Illorum mihi haud diſplicet ſententia, qvi novem hæc corda, illa eſſe arbitrantur, qvæ in inſignibus Regum Daniæ conſpiciuntur, ac totidem denotant Cimbriæ Ducatus vulgo *Syſſel* dictos. De qvibus Joh. Lyſcander Antiq. Dan. ſerm. III, in hunc modum de Cimbria Boreali diſſerens. *Qvindecim ibi numerantur Cimbrorum Aqvilonarium clariſſimæ Toparchiæ, qvarum novem ſunt cæteris nobiliores, totidem præclaros conſtituentes Cimbrorum Ducatus, qvos interfluente ſuperius ſinu Limerico, oſtendere cæruleum Leonem cum novem cordibus in inſignibus Regum Cimbrorum didicimus.* Horum autem Ducatuum qvatuor complectitur Ripenſis Diœceſis, in qva hoc cornu inventum. Novem igitur hæc corda teſtimonium præbent indubitatum, cornu aureum verè Danicum ac Cimbricum eſſe: non verò Rugianum aut peregrinum, ut qvi contra tam manifeſtum hiſcere audet documentum, rerum Danicarum ignariſsimus non immeritò habeatur.

ÆTAS HUJUS CORNU.

Supereſt ut de *ætate* aurei hujus monimenti noſtram proferamus ſententiam. Malo hic *ἐπέχειν*, qvam inepte multa proferre; cum indicia hic videam rara, vel potius nulla, qvibus conjecturas noſtras firmare licet. Ne tamen nihil dixiſſe videamur: cum inter tot Emblemata, nulla prorſus extent, qvæ Chriſtianos ſapiant ritus aut Religionem, opus qvoq; ipſum, omniaq; ſculptilia & imagunculæ ſummam præ ſe ferant, ut ruditatem, ita antiqvitatem: adducor ut credam ante veri DEI cultum (cujus ſtricturas primulum ſub Rege *Haraldo Blatand* circa annum Chriſti D CCCCXLVIII efficaciter ſenſimus) ad nos delatum, fabricatum fuiſſe. Cumq; non privati cujusvis fuerit eo ſæculo, ex tam nobili

metallo tanti ponderis opus conflare; Regium plane duco; & inter theſauros ditiſsimi cujusdam Regis depoſitum. An vero alius qvis hoc *κειμηλείῳ* dignior extiterit *Frothone Magno*, qvi tempore nati Chriſti imperium in Danos, multasq; alias regiones obtinuit, aliis diſpiciendum relinqvo.

Hoc certe ex Saxonis noſtri relatu lib. v. conſtat: cum ditiſsimum fuiſſe, & *armillam unam in rupe qvam Frothonis petram nominant; alteram apud Wig provinciam, habita cum Norvagienſibus concione defixiſſe, edicto à ſe innocentiæ experimentum daturus; ſubductis eisdem in omnes regionis Præſides animadvertendum minatus.* Itaq; ſubjicit Saxo, *Summo cum Præfectorum periculo aurum absq; cuſtodia mediis affixum triviis magnum avaritiæ irritamentum extabat, oportuna rapinæ præda, plena cupiditatis ingenia provocante.* An vero aureum hoc ejus cornu, ex eorum extiterit numero, qvæ in triviis tractus Ripenſis locaverat, ac demum intactum, luto, pluviisq; liqvefacta, obrutum fuerit, neſcio an aſſerere auſim. Certe ex Rugia allatum audacter negare non dubito, cum nullis argumentis alicujus momenti, aut fide dignorum autorum teſtimoniis probari id poſſe ſciam; utcunq; ſe torqveant Svantovitiani Patroni. Tu Lector cenſe & judica; ego manum de hac tabula.

Præſertim cum intelligam, ſummum Italiæ Philoſophum & Philologum Fortunium Licetum in præclaro de Annulis veterū opere, rem hanc diligentius tractaſſe, ac facto declaraſſe, tanti ſibi hoc eſſe cornu, ut horas qvas illi impendit minime perditas exiſtimet: qvin potius dignū judicet, ut temporis bonam ſibi extrahat partem. Ita namq; Bononiâ Patavium ad eruditiſsimum juvenem Thomam Bartholinum, magni patris æmulum filium, menſe Martio hujus anni perſcripſit. *Ad explicationem vetuſtiorum Emblematum Aurei Cornu Danici quod attinet, equidem in capite XL mei voluminis de priſcorum annulis, hujusmodi rem ago paulo diligentiori diſſertatione. Cujus ſumma eſt: Cornu fabrefactum fuiſſe, juſſu Regis antiqviſsimi apud Cimbros, non in alium uſum qvam ad tentandum Præſidum vigilantiam in regendis provinciis, & populorum integritatem in abſtinentia à furtis;*

ideo-

ideoq́; projectum expoſitumq́; fuiſſe in bivio Ripenſi, ſimulachra vero in eo formata, cenſeo nihil aliud indicaſſe, qvam optimi Regis Danici mores & attributa tum belli, tum pacis tempore, Regnum ſibi ſubjectum benè gubernantis, & Rempublicam prudenter ac juſtè adminiſtrantis. Qvam opinionem ex apta ſingulorum Emblematum explicatione confirmo, diſtinctè qvibusq́; particulis eorum examinatis, inclyti Wormii diligentiam ſuſpiciens, & ab ejus placitis non admodum diſcedens, etſi non ſemper iis adhærens. Hæc vir ille clariſsimus cujus eruditum commentarium indies exſpectamus. Creditu interim mihi valde difficile, uſum cornu hoc alium obtinuiſſe nullum, qvam ut eo Præſidum explorarent vigilantiam. Hoc enim rudi maſſa aurea, aut minori labore in aliam redacta figuram, præſtari æq; commode potuit. Expoſitum fuiſſe in trivio, ad fidem ſubditorum explorandam, facilis largior, at hunc ſolum in finem fabrefactum, mihi perſvadere neqveo. Qvin Autor in opere ipſo, diſertius mentem ſuam ſit expoſiturus, non dubito.

Qvæ de uſu cornuum apud Medicos, & Mitra Veneta ſupra diſſeruimus; qvia erudita Epiſtola (ſerius aliqvantò Patavio ad me transmiſſa) illuſtrare haud dubitavit Clariſsimus vir Joannes Rhodius noſtras, eam hic ſubjungendam duximus, ne qvicqvam qvod ad hujus negotii illuſtrationem ſpectare poſsit, omiſsiſſe videamur.

S. P. Eqvid verò tui cauſa non velim clariſsime vir, cujus me dudum dicavi deſideriis? Naudæi noſtri anceps reditus ne ſuſcepti operis tui moram diu nimis protraheret, Tomaſinum noſtrum Æmoniæ Epiſcopum, jam in urbe menſes aliqvot hærentem, ſollicitavi de Kirckeri judicio: qvod candoris pariter ac meritiſsimæ laudis plenum jure mitto integrum, ex ipſius ad me pridem humaniſsime ſcriptis, qvum intelligam non deeſſe iſtic qvi tuis de cornu cogitatis neſcio qvid attentent. Illudne aliunde illatum cogitent ipſi, qvi ſciunt corda novena, inter alia ſigna minutula, totidem indicare Cimbriæ provincias. Unum addo, qvod num attigeris jam non ſatis occurrit. Publio vegetio Mulomedico familiare eſſe cornu poculi vice. Inde lib. 1. cap. 15. ad cornu accipere. lib. 3. cap. 24. ad cornu digerere. cap 28. verius 41. Item per Cornu dare. cap. 67. & 28. rectius 70. & 81. Qvaliter & Pier. Valerianus lib. 1. cap. 65. ſed & menſuram eſſe patet apud Vegetium lib. 4. cap. 9. ubi cornua bina exiguntur. De Florentinis qvæ à Franciſco Carrocio Medico

dico familiari meo habui, Bartholinus noſter perſcribet: in qvibus notaveris ἐκφαντ qvædam Emblemata. Si qvid porro de iis accuratius novero, protinus id ſcias faciam. Mitræ Venetæ nunc propius animo ſtudium eſt: cui aliqvid acceſſiſſe puto, ſi exqviſita nummi mei adumbratio Tibi in conſpectum venerit, Atys videtur, cujus fert is imaginem, ſed artificis, qvod fieri ſolet, præcipitatione dextro Lunæ cornu mutil, characteribus etiam ſitu detritis. Ei paulo diſſimilem haud dubie vidiſti in expoſitione monumenti Tornacenſis, qvam nobis Pignorius reliqvit. Nec ſignum illud æneum cujus nuper typum miſiſti, ab hoc alienum, ſimiles enim fibulis connexas refert Atys braccas, eandem qvoq; mitram fermè in marmore ſcitiſſimo, qvod Cæſiorum ædes hodieq; exornat Romæ; qvas Ubaldinus Canonicus defuncti Cardinalis frater habitat: unde Cymbali figuram depromſi, qvæ Scribonii Compoſit. 55. non parum lucis allatura. Dextram heic juvenis auri ſiniſtræ objicit, ſiniſtra Cymbalum tenet, dum Cybele tympanum pulſat. Qvid tui verò poſitus innuat, pro ingenio facile conjeceris. Nolo tamen diſſimulare, ejusmodi habitum Phrygibus communem fuiſſe, maximeq; tegmen illud capitis, qvod elegantiſſimus etiam Ganymedes marmoreus habet, qvem Venetiis in atrio Bibliothecæ D. Marci tholo ſuſpenſum meminiſti. Hujus inter cætera mentio eſt cap. 12. Originum Patavinarum Laurentii Pignorii, qvo Trojanorum amictus eruditè dilucidatur. Tuum igitur puerum Cybeles delitium ſi velis, non multum qvidem renuo. Cras meos tamen antiqvarios Romæ hujusmodi rerum notitia claros de ipſo plenius conſulam: qvorum à me ſententiam habebis. Ampliſſimo ſocero tuo plurimum debeo, qvod meas pagellas leniori judicio exceperit. Nepotibus mutuum animi ſtudium teſtabor: jamq; Bartholo intimiorem Scopii & Octavii Ferrarii neceſſitudinem conciliavi, qva nihil ipſius ad politiores literas inſtituto commodius accidere potuit. Reliqvis pro mea ingenuitate advigilo ea fide, qvam mihi de veſtro affectu polliceor. Vale & utrumq; Finckium cæterosq; mei nominis ſtudioſos officioſe ſaluta. Patavii VI cal. jul. CIƆ IƆC XLII. T. H. addictiſſ.

JOANNES RHODIUS.

Quod de cornubus refert Florentinis, id ita ſe habet. Scripſit ad me Patavio, eruditus juvenis Thomas Bartholinus, extare in Florentino Magni Ducis Hetruriæ Ταμεῖῳ cornua quædam ſculpturis & Emblematis decora, quæ noſtro Diſcurſui ornamentum haud leve conciliare poſſe videbantur. Quæ cum ex auro elaborata putaram, ab eo petii ſumptibus ut haud parceret, horum delineatione ac hiſtoria potiri ut poſſemus. Quod pro ſua ingenuitate

præ-

præſtitit, transmiſsis illorum iconibus, quas in minorem coarctatas formam hic damus. Quæ quantum à noſtro diſcrepent ex ipſa Bartholini quam Rhodius citat, epiſtola, melius capies.

Vir excellentiſsime.

Cornuum Florentinorum iconibus tandem potitus, hac levi vetuſtatis externa acceſsione auctiorem Tractatum veſtrum proditurum, non tam meo qvam Reipublicæ literariæ nomine gaudebo. Qvæ ipſo antiqvitatis venerandæ fulcro, niſi ſuſtentaretur, de brevi futura ruina metuerem. Atlante te ſalvam ſpero & auguror, qvi ejus majeſtatem ſolus inter tanti ſeculorum ſilentii tenebras ſuſtinuiſti, eruiſti primus. Loqvetur poſteritas grata, qvod mordet invidentium livor. Novum ſæculo hoc non eſt, omni ævo in Canina familia uſitatum, conatus majorum odiſſe, qvos aſſeqvi per genii infelicitatem vel non poſſent, vel non vellent per ignaviam. Semper tamen inter tam ſordidas mentes, ſublimius evecta virtus, ab aliis vel neglecta, vel deſperata feliciter expedivit tempſitq; invidos, qvorum miſeræ conditionis fatum ſeqvuturum tempus deplorabit. Te virorum maxime, hoc nomine amant omnes & venerantur, qvod ſæculum noſtrum diutius latere non permiſeris, qvæ à majoribus noſtris efficta de illorum pariter & Tuo teſtentur ingenio. Ad teſtimonium non vocabo tot Belgiæ, Angliæ, Galliæq; lumina, qvæ præſens vidi virtute & fama tua obſtupeſcere. Qvid ſentiat de ea Italorum noſtrorum delicata ingenia te non ignorare ſinemus. Loqvantur propriis verbis Kirckerus, Ferrarius, Puteanus Eqves, Licetus, Naudæus, viri ad æternitatem dudum deſtinati, qvorum de cornu judicia publicis typis meditor ſubmittere. Qvid autem ad Cornu tuum hæc Florentina? Ex opere impari dignitatem veſtri æſtimabit orbis. Deeſt enim hic ex auro precium, ex Wormii genio lux, ex antiqvitate veneratio. Utrumq; ex ebore formatum antea ex relatione fida ſcripſi. Autor primus Rex, ut videtur Luſitanicus, qvem ex hiſtoriis accepimus Barbariam reliqvasq; orientis plagas occupaſſe. Figuræ inſculptæ ad venationem omnes tendere videntur, cui forſan primo deſtinata. In Triremibus autem Turcicis à Magno Florentiæ Duce occupatis, vice buccinarum inflata ad pugnam incitarunt. Qvo id tempore ſit factum expiſcari non potui. Cornua ipſa vetuſtatem qvidem oſtentant, ſed multis ſæculis non repetendam, qvippe eqvites venatoresq; hinc inde depicti conſpiciuntur calcaribus eqvos ad curſum incitantes, qvæ qvidem calcaria non niſi poſterorum ſæculorum inventum eſt, cum antiqviores eqvos alio medio concitarint, ut Antiqvarii proponunt. Chriſtianorum vero opus primum fuiſſe ſculpturæ docent, qvas & Mahumetani & Judæi omni ævo abhorruerunt. Crux præterea evincit, ſignum expeditionis Chriſtianæ in orientem. Inſignia in altero cornu eminentia Luſitanorum Regum propria eſſe, illius Terræ gnari mihi retulerunt;


quorum filiis Infantis titulus tribui ſolet ut proprius. Alia ex defectu & Hiſtoricorum & relationum de his referre non poſſum. Magnitudinem juſtam pictura oſtendit, reliqvaq́; fideli opera adumbraſſe pictorem à me pretio conductum; teſtatur amicus Rhodii noſtri, cui id negotii datum fuerat. Licetus noſter humaniſſimus, nunqvam rogare deſiſtit, ut data per literas meas occaſione Wormium officioſiſſime ſalutem, cum prompta affectus oblatione. Abſoluto jam contra Galilæum libro, typis brevi ſubjiciet opus ſuum de annulis; cujus caput XL curſim percurrens, multa egregia in laudem antiqvitatis noſtræ & Authoris Wormii deprehendi, cum doctiſſima Hieroglyphicorum enodatione parum à Tuis diverſa. Corda novem totidem Cimbrici Regni Provincias (Syſſeler dictas nobis) denotari arbitratur; nec conſentit in explicatione Circuli tertii, ubi per hominem alterum vulnerantem, Aqvilinarem pœnam hoc argumento non ſignificare evincit, qvod in abdomine ventrisque parte anteriori pluribus fiſſuris vulneretur, qvum illa Aqvilinaris tergum ejusq́; coſtas duabus tantum divaricationibus diviſerit. Sed dubia res, ut varias admittere ſolet interpretationes, ita unicuiq́; de laude pari contribuit, qvam nullus niſi Diis iratis natus mortalium, Tibi derogabit, authori antiqvitatis noſtræ, & unico defenſori, Cui in æternum debebunt, qvicunq́; patrii amoris ſcintilla vel minima calent. Qvo nomine qvum publicè me quoq́; devinctum teſtabor, domeſticis beneficiis in præſens omiſſis. Id reſtat à favore tuo impetrandum, ut patriam & me lumine & affectu, pro ſolito proſeqvaris. Vale patriæ decus, columen meum & pro meritis ſeneſcentem orbem comitare pari ævo. Scripſi raptim Patavii XXVI Junii CIƆ IƆ CXLII.

devotiſſimus
THOMAS BARTHOLINUS.
Caſp. f.

CORNU FLORENTINUM PRIMUM.



Cornu Florentinum Secundum.



Bina hæc cornua materia, magnitudine, & figura ſiqvidem convenire doceat transmiſſa delineatio; veriſimile videtur ab eodem elaborata fuiſſe artifice, & eundem olim agnoviſſe poſſeſſorem. Qvem Bartholinus noſter ex inſignibus & crucis figura, rectè colligit qvendã ex Regibus aut Principibus Portugalliæ fuiſſe, qvibus hæc propria & familiaria.

Hiſtorias ejus gentis ſi evolverimus, primum cui Regius titulus ab exercitu tributus, fuiſſe Alphonſum ejus nominis I, comperimus. Cum enim anno M CXXXIX cõtra Saracenos feliciter pugnaſſet ac victoriam reportaſſet ſplendidam, hoc titulo eſt decoratus. At hujus non fuiſſe hæc cornua, nec tantam ea ſapere antiqvitatem evincere videtur inſcriptio, qvam alterum oſtentat in hunc modum. DOM. LUIS. IMFAMTE. forſan DON. LUIS, INFANTE, M literâ in locum N ſubrogatâ. Qvod ſonat: DOMINUS LUDOVICUS INFANS. Qvis verò hic extiterit Ludovicus, ex iisdem liqvet documentis. Emanuel namq; Rex Portugalliæ ordine XIV, poſtquam Regnum anno M CCCXCV obtinuiſſet, ſucceſive tres duxit uxores, qvarum prima fuit Iſabella filia Ferdinandi; ſecunda Maria, primæ hujus ſoror, qvæ illi ſex mares & duas peperit puellas; inter mares primogenitus

fuit JOANNES III Portugalliæ Rex xv: Secundo genitus LUDOVICUS, qvi ad imperium non pervenit; ſed qvò ad vixit INFANS eſt ſalutatus. Coneſtagius hunc Ludovicum cælibem vixiſſe refert: at Terzera filium habuiſſe aſſerit ANTONIUM, à Philippo Caſtellæ Rege dignitate Regia exutum. Hunc igitur LUDOVICUM horum cornuum poſſeſſorem fuiſſe mihi perſvadeo, adeò ut ab anno MD fabricata fuiſſe appareat. Titulum INFANTIS qvod ſpectat, is à primis Regni incunabulis Principibus Portugalliæ videtur fuiſſe proprius. Docet namq; Joſephus Terzera in Exegeſi Genealogica Henrici IIII Galliarum Regis; Alphonſum I anteqvam Regio donaretur titulo, Infantis & Principis appellationem obtinuiſſe per annos xxvii, ad inſignem usq; illam in agro Orchenſi pugnam, in qva manum adverſus Iſmarium ſeu Iſmaelem & qvatuor alios Reges Saracenos conſeruit & victoria potitus eſt. Sed EDVARDUM Regem multo poſt filium ſuum primogenitum Alphonſum V, Principem vocari inſtituiſſe; cum antea primogenitus Regum veluti reliqvi fratres INFANS vocaretur.

Præterqvam qvod dicta ſufficienter doceant, cornua hæc Chriſtianum agnoviſſe fabricatorem & poſſeſſorem, argumenta firma deducit Th. Bartholinus à ſigno crucis & Inſignibus Portugallenſium. Crucis illud ſignum eodem plane figuratur modo qvo in magnis iſtis aureis nummis Portugallenſibus viſitur. Qvod qva de cauſa ſibi peculiariter vendicaverint Reges Luſitani, ex hiſtoria Alphonſi primi conſtat. Is enim contra qvinq; Reges Saracenorum pugnaturus anno MCXCIX die Martis qvi xxv erat Julii & D. Jacobo Apoſtolo ſacer, vidit in aere Chriſtum Crucifixum, qvi ei acclamavit: ALPHONSE IN HOC SIGNO VINCES. Qvod & factum, deletis plane & proſtratis hoſtibus Saracenis. Hinc ſibi tanqvam familiare hoc ſignum & ſymbolum retinuerunt poſteri. Priſca vero Portugallenſium inſignia eſſe illa qvæ in altero viſuntur Cornu abunde liqvet. Qvorum rationem reddit Reſendius lib. 4. Antiq. in hunc modum. *Alphonſus novus*

 Rex

Rex conſueto victoribus more, in caſtris triduò permanſit, & conceſſa militibus præda, ipſe qvi eatenus niveo ſcuto utebatur, inſignia commentus eſt, qvæ rem ibi geſtam deſignarent. Ac primum qvia Chriſtum in aere cruci ſuffixum conſpexerat; in argenteo ſcuto cæruleam crucem formavit. Deinde qvod qvinq; Reges viciſſet, ſcuta qvinq; per ipſam crucem diſtinxit. In unoqvoq; triginta nummos argenteos figuravit, qvod totidem mundi Servator venditus extitiſſet. Mutata à poſteris Regibus nummorum figuratio eſt, commodiori ratione, ut in ſingulis qvibusq; ſcutis ſinguli qvinq; nummi poſiti decuſſatim ad figuram literæ X, bis numerato qvod in medio eſt, & cum à ſummo deorſum, & cum à latere ad latus fit ſupputatio, ut numerus triginta expleatur. Hæc tum ibi ſumpta inſignia. In eundem ſenſum Joſephus Terzera; qvi addit; Septem Caſtella ad Portugallenſia inſignia Alphonſi tertii temporibus acceſsiſſe.

Magnitudinem horum cornuum quod pictura expreſſam ait B. de ea intelligendum venit, quam mihi Patavio tranſmiſit qvamq; ego commoditatis ergò in minorem hanc formam traduci curavi. Longitudo verò ad me delatarũ iconum æqualis erat, duorum fermè pedum Romanorum utraq;. Ambitus labri majoris, in una pedem explebat, in altera pollice uno minor. Minoris labri in utraq; ambitus, quatuor circiter erat pollicum. Rectâ non verò curvâ figurâ. De Emblematis & imaginibus iis inſculptis, non eſt quod quicquam addamus, cum unicuiq; pateat, nihil aliud iis denotari, quam venandi morem ac ritum variis modis repreſentatum.

Clariſsimi Liceti ſententiam quod attinet, quâ Aquilinarem pænam per hominem in tertio circulo alterum vulnerantem intelligi non poſſe putat: nequaquam iis quæ protuli refragatur; utpote qui nunquam id firmiter ſtatuerim. Quod res ipſa docebit. Pagina 64. primæ, 421. ſecundæ hujus editionis dico; *Homo hominem mactans & crebris vulneribus conficiens, immanitatem adverſariorum & hoſtium oſtendit.* Hæc mea eſt aſſertio. Subjungo dubium: *Et neſcio an alludat ad priſcum morem noſtratium* &c; Qvod ſi neſcive-

ſciverim an alludat, utiq; certò adſtruere non potui illum alludere. Interim qvæ mihi mens fuerit cum hæc ſcriberem, non diſsimulabo. Legi olim apud Saxonem lib. IX hæc verba. *Ipſius dorſum plaga Aqvilam figurante affici jubent, ſæviſſimum hoſtem atrociſſimi alitis ſigno profligare gaudentes.* At locum non ſatis intellexi, nec qvid ſibi vellet ab aliis qvos conſului, ſufficienter edoceri potui, donec antiqvitates noſtras accuratius evolvens, ea invenerim qvæ huc facere videbantur, qvæq; à me ſunt allata. Cum igitur rem hanc è penitiſsima antiqvitate noſtra eruendam, non omnibus obviam, nec ritè intellectam viderem, non abs re futurum duxi ſi hiſce inſereretur, ſi forſan aliunde major ei lux affulgere poſſet. Hinc dubiè & timidiuſculè hæc produxi, ſperans me æqvos inventurum interpretes, qvi qvo prolata ſunt animo, exciperent. Nec apodictica ex harum imaginum conſtitutione & circumſtantiis depromi poſſe argumenta, exiſtimo: cum iſto ævo, in tanta artificum ruditate, res ut potuerunt, non ut debuerunt expreſſerint. Supinum pro prono, plures pro una atq; altera fingere plagas, ipſis fuit æqva poteſtas.

Pauca hæc ad Bartholini mei notanda duxi epiſtolam, ut qvæ de cornubus ſcripſit Florentinis eſſent clariora; aliis uberiora relinqvens.

CORNU AUREUM
ſuo admiratori.

Corna ſum: cornu non ſum: nec cornibus ullum
Pungo: bina meo Cornua ventre gero.
Buccina ſum, non buccina ſum: vivo ſine pace
Pacis amans: ſapiens abdita multa loqvor.
Eſt matris gremium carcer mihi, libera regno:
Dives ſum vacua, & ſto ſuper aucta manu.
Haut ſto: ſum terra cæloq; domi: ſono mortes
Vivis, atq; viros viribus orba rego.
Ipſa regor digitis hominum, Dea ſervio multis:
Subſunt imperio pectora cuncta meo.
Qvid ſim nunc, & qvid non ſim, docet aurea penna.
WORMIADÆ, *mea laus, gratia, vita, ſalus.*


THOMAS BANGIUS.

Cum

CUm ex documentis antiqvitatum, mihi à Reverendo & Clariſsimo viro Dn. D. Johanne Burchardo, Dioeceſis Ripenſis Epiſcopo vigilantiſsimo transmiſsis, collegiſſem extare ibidem plura literis noſtris Runicis conſignata Monumenta, à me ſuperius inſinuata, commodum accidit, ut ingenuus juvenis Dn. Laurentius Bordingius, ut ſacrarum literarum, ita rerum naturalium ſtudioſiſsimus, picturæ haud imperitus, eò in patriam tenderet. Ei igitur hoc dedi negotii, ut qva poſſet induſtria hæc inveſtigaret, & accuratè delineata ad me trasmitteret. Qvod etiam promptiſsimè exſecutus eſt. Qvæ igitur hic vides ex Ripenſi Dioeceſi, ei accepta fero; in qvibus ſi qvædam occurrant, qvæ & meam, & ipſius effugiant diligentiam, non eſt qvod miretur is, qvi qvas clades venti, imbres, tempeſtates, & ætas ipſa noſtris attulerint Monumentis expertus eſt. Interim qvalia accepimus offerenda duximus.

SEPTIMUM *LEBURGENSE.*

IN Provincia Malteherrit dicta, Parochia Leborg, à plaga templi ſeptentrionali, in campi planitie elegans extat monumentum, in qvo penitus eruendo, apte me deſudarunt in caſſum viri magni, rei difficultate præpediti. Præter minores qvi ibidem reperiuntur lapides, duo extant, qvi noſtrum ſpectant propoſitum. Minor horum coloris griſei, maculis qvibusdam rubris & albicantibus conſperſus, rudis, oblongus, qvinq; ulnarum longitudine, latitudine qvibusdam in locis, unius cum ſemiſſe, craſsitie incerta; capi enim exacte non potuit, qvia terra ea parte obruebatur moles. Figurâ hic vides.




Latus qvod Auſtrum ſpectat hæc jam exhibet: ᚱᚼᛅᚠᚿ: ᚢᚴᛁ: ᛏᚢᚠᛁ. ᚼᛁᛅᚢ: ᚱᚢᚿᛅᛦ: ᚦᛅᛋᛁ: ᛁᚠᛏ, Ad Aqvilonem inverſis literis hæc leguntur: ᛏᚱᚢᛏᚿᛁᚴ: ᛋᛁᚿᛅ.

Rafn uki Tufi biau Rúner deſi eſt Trutnig ſine.

RAFNO ET TUFI HAS RUNAS SCULPSERUNI IN MEMORIAM DOMINÆ SUÆ.

ᚱᚼᛅᚠᚿ. Freqvens fuit veteribus; ut & jam Islandis, literæ R addere aſpiratam, qvam ut plurimum præponebant, ut ᚼᚱᛅᛚᚠ ᚴᚱᛅᚴᛅ Hrolf kraka, ᚼᚱᛅᚦᚢᛅ cito, ᚼᚱᛅᚴᚴᛅ ungula, ᚼᚱᛁᛁᚿᚿ purus & alia infinita. Qvod medii ævi ſcriptoribus in Latinis, præſertim propriis, non admodum inſolens. Sic Ludovicum Imperatorem Hludovicum vocarunt. Bina mihi ſunt numiſmata argentea, hic apud nos prope Lethram effoſſa, in qvorum altero crux viſitur qvam ambit hæc inſcriptio ✠ HLVDVVICVS IMP. parte averſa figura templi, circa qvam ✠ XPISTIANA RELIGIO. Nummus alter pariter in ambitu crucis, ✠. HLVDVVICVS IMP. ab altera parte majoribus characteribus, non ambientibus aliqvam imaginem, ſed à ſiniſtra in dextram legendis ✠. VENECIAS, hoc pacto:



Qvandoq; in medio aliis literis aſpiratam addidere, & id qvidem in eadem voce, in formula fœderis inter Ludovicum pium & Carolum ſecundum initi, à Lipſio & Goldaſto Tom. I Conſt. Imper. pag. 190 propoſiti. In verbis Ludovici inter reliqva: *Et ab LVDHER nul plaid nunqvam prindrar* &c. Mox in reſponſo Caroli: *In thiu thaz er mig ſoſo maduo inde med LVTHEREM inno theinni thing* &c: Item in ſacramento populi: *Si LVDHVVIG ſacrament qve ſon fradre &c.* verba integrè adducta & repetita vide in Literatura noſtra Runica capite 27.

ᛏᚢᚠᛁ. Nomen hoc in aliis qvoq; occurrit hujus libri monumentis. Duos fuiſſe qvi hoc monumentum elaborarunt, indicare videtur. ᚱᚢ-

ᚱᚢᚿᛅᛦ. De hac voce conſule Literaturam noſtram, in qua fuſe oſtendimus Literas Septentrionalium ita vocatas.

ᛏᚱᚢᛏᚿᛁᚴ. Alia olim hujus vocis videtur fuiſſe ſignificatio quam hoc ſæculo. Jam enim uſitatè Reginas hoc titulo ſolemus inſignire, ſed genuina ſua indole Dominam notat. ᛏᚱᚢᛏᛁᚿ enim dominum deſignat, ut videre licet lib. III. hujus operis in monumento Boringholmico V. ᚠᚢᚦ ᛏᚱᚢᛏᛁᚿ ᚼᛁᛅᛚᛒᛁ &c. conſule monumentum XIV Scanicum ejusdem libri. Hinc ᛏᚱᚢᛏᚿᛁᚴ Domina. Videntur igitur hi duo qvi Monumentum hoc poſuere, clientes aut ſubditi fuiſſe ejus Dominæ cujus non exprimitur nomen. Non eſt quod exiſtimemus Dominam hanc Reginam fuiſſe, Rafnonem verò & Tufi Reges hujus maritos, ſiquidem Gormo Rex in Monumento Jellingenſi Reginam conjugem ſuam non ᛏᚱᚢᛏᚿᛁᚴ; ſed ᚴᚢᚿᚢ, vocabulo qvo uxores plebejas etiam jam appellare ſolemus, vocet.


Viſuntur præterea in hoc lapide duobus in locis mallei effigies, quæ an duorum horum extiterint inſignia, diſpiciant alii. Foramina tam per rectum, qvam transverſum corporis lapidei excurrentia, cum recentiora appareant ipſis literis, à qvodam ei impreſſa credo qvi molem hanc findere tentavit, ſtructuræ ut accommodaret commodius. Singulari igitur fato ab interitu vindicatum eſt hoc monumentum.

Huic aliud adjacet oblongum, politius, duplo majus, cui etiam inſculptas literas, latere quo terram tegit, cum ſuſpicaretur Magnif. Dom. Cancellarius Chriſtianus Friſius de Kragerup. B. M. vicinos convocari curavit colonos, ut operam ei transferendo locarent. Qvi ingentem qvidem foveam circa ſaxum foderunt, ut ab opprimente illud liberarent terra, ſed molem tantam nulla vi dimovere potuerunt, ut omnis ſpes in ulteriorem hujus monumenti cognitionem perveniendi præciſa videatur. Suſpi-

cantur quidam hoc illud eſſe ſaxum, quod in Jutico littore repertum, ad Monumentum matris ut pertraheret Haraldus, totam claſſem, junctis boum hominumq; copiis, ei applicuit, ut libro X narrat Saxo noſter.

OCTAVUM.
FEULINGENSE.

IN cœmeterio Feulingenſi ejusdem Provinciæ, aqvilone verſus, cippus conſpicitur in terram projectus, ab occaſu in ortum protenſus, figura pyramidali, è ſaxo rudi, griſei coloris, ea parte qua characteribus inſignitur plano natura, longitudine trium ulnarum cum ſemiſſe, latitudine juxta baſin unius, craſsitie quartæ unius circiter. Per ejus medium à baſi in apicem excurrentem habet ductum unicum, characteribus ſatis intricatis inſignitum, quorum ſenſum inveſtigabimus, ubi ejus iconem dederimus.



Qvæ ſic lego:

ᛒᛅ: ᛋᛒᛁᚱᚾᛁᚴ : ᛚᛅᚴᚾ : ᛋᚢᛘ : ᚴᚢᚦ : ᛁᚾ : ᚴᚱᛁᛋᛏ ᚱᛅᛋᛁᛁᛋᛁᛏ

Pa Spirnik Lagn ſum gud, in Chriſto reqvieſcit.

IN MEMORIAM BONI SPIRNIKI LAGN. IN CHRISTO REQVIESCIT.

Ex vernaculo & Latino miſtum Epitaphium variis literarum combinationibus & intricationibus interpretationem nobis reddit difficilem, præſertim in vernaculis:

Prima vox Bᛅ unica conſtat litera B cui implicatur obliqua ex ᛅ ut vocem Bᛅ nobis præbeat.

ᛡ in voce ſeqventi pariter ex B poſtremos ductus curvos implicat.

Tertium vocabulum in *Y* tres exhibet literas, ᛅ nempe *Y* & ᚴ; ex prima & poſtrema ductus obliqvi nectuntur recto in *Y*. Cognomen ſepulti includere arbitror, forſan è nobili Langorum apud nos proſapia.

Qvæ reſtant per ſe patent. *Y* enim pariter R includit, & in ultima voce R vocalem E. ᚢ qvod omittatur in voce RIYIHuIT, condonandum ſculptori ejus ævi, & forſan *Y* poteſtatem QV obtinere voluit.

Remotioris ævi non eſſe hoc monumentum liqvet, qvia Chriſtianum & Latina habet admixta. Qvæ ab accolis narrantur de eqvite aurato, à tribus ruſticis occiſo & hic ſepulto omni non carent probabilitate, quamvis circumſtantiæ videantur dubiæ.

NONUM.
VANDRUPENSE.


Provincia Andſtherrit inter reliqva templum tenet Wamdrup dictum. Hic pone duo conſpiciuntur literis noſtris exornata ſaxa. Alterum in macerie qvæ cæmeterium cingit orientem verſus, inter portam qva in templum itur & angulum orientalem, terræ vicinum; ulnæ unius cum ſemiſſe fermè longitudine & latitudine. Qvod antiqvitatem non usq; adeò magnam præ ſe fert. A Chriſtianis enim ſculptum, & imago Agni Crucem geſtantis, & inſcriptio Religioni noſtræ conſona teſtatur. Adeò ut exiſtimem aut templi ipſius ſtructuræ, aut ſepulchro cujusdam olim aptatum fuiſſe. Rude quidem ſaxum, colore griſeo ad purpureum inclinante.
Ei inſculptus anaglyptice eſt agnus, pede altero crucem oblongam tenens, ut ſupra ſaxi emineat ſuperficiem, hoc pacto.



Inſcriptio Latina hæc eſt ᛆᚴᚢᛋ ᛏᚼI. AGNUSDEI. Non te moveat, qvod in peregrinis orthographiæ limites qvandoq; tranſiliant noſtrates, cum in vernaculis iis ſe coerceri haud paſsi ſint. Pro ᛆᚴᚢᛋ legendum ᛆᛉᚴᚢᛋ. Litera ᛏ in voce ſequenti, forſan punctata fuit; quod non obſervavit Anagnoſtes. Qvamvis non diffitear in vetuſtioribus qvandoq; occurrere ᛏ non dageſſatum pro D.

DECIMUM
WAMDRUPENSE ALTERUM.

ATrii ejuſdem templi fores occupat alterum qvod qvadratum & planum eſt, illorum inſtar qvæ ſepulchra claudere ſolent. Ex vulgaris ſaxi conſtat materie, longitudine duarum ulnarum, latitudine fermè unius, craſsitie qvartæ unius. Ortum ſpectat inſcriptio qvæ duobus characterum conſtat ordinibus, reliqvo ſine ſulcis exiſtente; hoc pacto.



ᚼᛁᚱᛅ: ᛘᛁᚴᛁᚱ: ᚦᚱᛁᛏᛅᚴ: ᛁᛒᛒᛁᛋ: ᛋᚢᚾ:

Hera liger Dritag Ebbis ſun


HIC JACET DRITAG EBBONIS FILIUS.

ᚼᛁᚱᛅ. Angulus abruptus primam nobis hujus vocis invidit literam, qvam tamen rite reſtitutam ſenſus evincit.

ᚦᚱᛁᛏᛅᚴ. Hic hæreo, nam vocabulum hoc nobis infreqvens, ut de mendo ſit ſuſpicio, præſertim cum duæ primæ hujus vocis literæ in primo; reliqvæ in ſecundo extent ordine. Videan legendum ᚢᚾᛏᚱ, ſub, ut hic ſit ſenſus: ſub hoc lapide &c: Ut ſepulti nomen ſit ᛁᛏᛅᚴ. qvod tamen nobis non minus inſolens. Reliqva plana ſunt.

UNDECIMUM
LANDERUPENSE PRIMUM.

DUcatus Almidſyſſel inter reliqvas qvas tenet Provincias Bruskherrit recenſetur, ſed rectius meo judicio Broeherrit, undiq; enim amnibus & rivulis cingitur, ut ad eam non niſi per pontes pateat aditus. Hæc præter oppidum elegans & nitidum, arce regia & præclara inſignitum Coldingam, in vicinia curiam tenet ruralem in Parochia Wilſtrup, quam Landerup vulgo nominare ſolent, Regiis olim recreationibus dicatam, de qva varia narrant accolæ, qvæ hujus non ſunt loci. Ab hac aqvilonem verſus, grande conſpicitur ſaxum, figuræ inæqvalis, acuminatum aliqvantum, longitudine ulnarum trium cum ſemiſſe, latitudine duarum, craſſitie unius circiter, jam in latus inclinatum. Qvatuor oſtentat characterum ordines, ſed vetuſtate & tempeſtatum injuriis adeò exeſos & corruptos, ut nihil memoratu dignum ex iis elici poſsit. Figuram qvalem accepimus hic cape.



Vides omnia adeò confuſa, detrita & perturbata, ut hinc ſe nemo facile extricaverit. Ex ſecundo ordine qvi hæc diſcretè exhibet: ᚢᚱᚢᛅ ᚼᛅᚱᛅᛚᛏᚱ: ᚱᛉ ſeqventia non inepte colligi poſſe videntur: ᚢᚱᚢᛅ ſi præfixeris literam ᚦ, emerget ᚦᚢᚱᚢᛅ qvod nomen eſt Reginæ Thyræ totidem literis in Monumento Jellingenſi II expreſſum. Vel ſi lubuerit ejus loco ſubſtitue ᚴ, habebis ᚴᚢᚱᚢᛅ, qvod facere aut ſculpere notat: qvod ſi jungatur cum ſeqventibus, docebit Haraldum Gormonis filium hæc ſculpenda curaſſe.


Seqvitur expreſſe nomen Haraldi ᚼᛅᚱᛅᛚᛏᚱ ut in primo Jellingenſi. Literæ ᚱᛉ reſiduæ mihi videntur ex voce ᚴᚢᚱᛉ, totidem enim extat in Jellingenſi primo. Reliqua eruat qvi poteſt.

Referunt Haraldum Regem klak dictum, memorabile qvid huic ſaxo mandari curaſſe, qvod qvi detexerit, magno antiqvitatum ſtudioſos beabit beneficio.

Prope locum hunc occaſum verſus, fons exſilit limpidiſsimus, calculos, arenulas una cum aqvis violenter & continuè extrudens, qvæ amnem aqvilonem verſus labentem conſtituunt perennem, lymphis ſalubribus exundantem. Fons Regius, Kongens Kilde vulgo appellatur: qvod Reges, loci

loci ſalubritate & jucunditate allecti, qvandoq; divertere ſoliti ſint, defeſſum corpus hujus ſcatebris abluentes & refocillantes. Qvin imo non deſunt hodie qvi vim medicamentoſam ei tribuant. Qvidam ab ulceribus malignis & depaſcentibus, ophthalmiis qvoq; periculoſis, ſe ejus ſcatebris ſanatos deprædicant.

DUODECIMUM.
LANDERUPENSE II.



AD auſtralem Landerupii jam dicti tractum in colle, (unde nummos & alia eruta ferunt) olim viſebatur lapis priori minor, characteribus inſignitus, ſed diverſis plane à priſcis noſtris Runicis. Jam verò translatus in ipſam cu-

riam Landerupenſem, ubi inter alios qvibus via ſtrata eſt conſpicitur. Longitudine ſuperat ulnam Selandicam, latitudine tres qvartas, craſsitie ulnam attingit dimidiam colore ex griſeo purpuraſcente, figura qvadrata fermè ut ſupra oſtenſum.

Monumentum hocconſtare mihi videtur literis iis qvas oſtentat Alphabetum qvod Trithemius Polygraphiæ lib. 6. ultimo loco proponit inter ea qvorum titulum fecit. *Ex Grammaticis Otfredi Monachi Wiſſenburgenſis* &c: De eo verò hæc narrat: *Reperi & aliud cujusdam Alchymiſtæ confictum noviter Alphabetum, qvo in ſuis arcanis uti conſvevit occultandis, æſtimationem faciens artis ſuæ magnam, qvæ parum in ſe continet præter verba. Alchymia enim à pluribus amatur, & caſta eſt.* Dum ſingulos apices ad has Trithemii confero notas, hunc elicio ſenſum.

GUD. AIE. K.
ONGEN. DEN
IIII. CHRES
TEAN. ON. H
ANS. DRONI
NG. ANNA. K
ATRINA. N
ADE. HVS. HVD.
N. N.

DEUS SERVET REGEM IV CHRISTIANUM ET REGINAM EIUS ANNAM CATHARINAM, DOMUS HUJUS PATRONOS.

Binæ qvæ ſubſunt literæ detritæ adeo ſunt ut ritè excipi haud potuerint, Autoris aut ſculptoris, procul dubio continent nomen, qvod nos hac de cauſa præterire cogimur. Si ſe prodat ipſum modo in vivis ſit (ſiqvidem ab anno MDXCVII, qvo nuptias cum illuſtriſsima Regina Anna Catharina P. M. celebravit Rex noſter pientiſsimus, hoc ſculptum eſſe neceſſum eſt) ſua apud me non deſtituetur lau-

de,

de, qvamvis politioris Literaturæ ſtudioſum non admodum fuiſſe doceat Orthographiæ neglectus, priſcis familiaris.

Qvid de ætate hujus monumenti ſtatuendum ſit, facile hinc qviſpiam collegerit. Novitium videlicet eſſe ab anno Chriſti MDXCVII ſcilicet exaratum, antiqvitatem præ ſe ferens nullam, ut mirer non exiſtere in iſto tractu qvi autoris nomen & inſtituti rationes reddere valeat. Qvid ſperandum de vetuſtioribus cum recentia tantis obruantur tenebris? In notis ipſis diſcrepantiam qvandam invenio ab iis qvas tradidit Trithemius. G enim pingit noſter ut Trithemius I & vice verſa I ut G. character præterea qvi S notabit, ſitu & figura diſcrepat à Trithemiano, modo eum probè exceperit Bordingius noſter.

AIE, pro *eje* poſsidere, ſervare, cuſtodire. Rogat enim, ut Deus poſsideat, regat, tueatur ſereniſsimum Regem noſtrum Chriſtianum IV. CHRESTEAN pro Chriſtian. ON pro *oc* vel *ond* Germanico.

HVS HVD. Domus cuſtos & patronus. *Hud* enim cuſtodiam & patrocinium priſcis notabat.

Hiſce annotata manus idea nil aliud indicare arbitror quam ſeqventia eſſe notatu digniſsima & ab omnibus perluſtranda. Haud ſcio an in æmulationem prioris Monumenti hæc ſculpſerit autor, ſperans fore, ut inter vetuſtiſsima, à nemine extricanda, reponeretur. Mihi non alio quam meretur dignum videtur loco. Qvæ de Carolo hujus prædii domino *Carl Bonde* referunt vicini, eorum relinqvo fidei, ad certiora feſtinans.

GOTLANDICA.

Gotlandica qvædam, eâ qvâ ad nos devenerunt fide eoq; modo ſubjungemus: nec enim accuratè ſatis debitisq; munita circumſtantiis accepimus, nec eam qvam deſideramus ſapiunt antiqvitatem. Quia tamen literis noſtris priſcis, ſeu Runis conſtant & hic locum habeant, talem qvalem merentur. Gotlandia olim celebris Gothorum Amalorumq; familiâ Regiâ, mercimoniorum copiâ, in orientali oceano, maximè famoſa; arce gaudet unicâ civitate item unicâ Visbya, olim emporium confluxu omnium nationum & mercium copiâ illuſtre. Rurales eccleſiæ ibi ſunt centum, qvibus à Friderico II. laudatiſsimæ memoriæ Rege, præfectus Epiſcopus, cujus autoritas progreſſu temporis aliqvantulum collapſa, confirmata & reſtaurata nuper eſt à Sereniſs. Rege noſtro CHRISTIANO IV. cui Deus benedicat ex alto, & diutiſſime hiſce Regnis incolumem ſervet

Eam more ſuo eleganter depingit Lyſcander noſter, „qvem audiamus: Dani Gotlandiam tenent maximam & „ampliſsimam è conſpectu Viſtulæ Inſulam in Sarmatica ſitam „palude. Hanc non alio hic adornare encomio (cum ſit no„biliſsima) duximus, multò dignam honore prædicantes, qvam qvod in ea multi Cimmeriorum, Dacorum, Getha„rumq; Monarchæ regiam ſedem habuerint, præcipuè Impe„ratores Amiraldici, qvi oceanum rexerunt, & in numero Go„thicarum Provinciarum, primas poſt Scandiam partes ha„buerit, gloria & æſtimatione inſignis. Siqvidem & agnum Amalonium (ſic enim Gothorum inſigne, qvod in clypeis o„lim fuit, nominamus) huc usq; incolumem conſervavit, & „in hanc omnis Aqvilonaris regio jam parturiens & tot po„pulis fœcunda, Getas & Cimmerios orientem ingreſſuros ex Scandia emiſit. Habuit autem Gotolandia poſt magnæ „Vinetæ diſſolutionem, urbem amabilem, & opulentiſsimam Viſe-

Viſepolim ſive Viſebyanam, omnium gentium commerciis " celebratiſsimam, & generale totius orientis emporium, cu- " jus fuiſſe tunc in Boreali Europa parem, aut divitiis, aut or- " natu, aut incolarum freqventia nullam, fama certiſsime præ- " dicat. Tantam verò gloriam nunc amiſit; principatum ta- " men terræ nunc qvoq; conſervat. Cujus ſunt Provinciæ tres, " territoria numero viginti, qvorum hic ſola aſſcribemus no- " mina. Dedenſis, Endrenſis, Beronenſis, Lummana, Foreſve- " denſis, Rudenſis, Beloenſis, Lynenſis, Haldenſis, Chreglima- " na, Gardenſis, Burenſis, Hemeſana, Egenſis, Hobrigenſis, " Iſchenſis, Heidamica, Bandamica, ultimaq; omnium Sten- " chelienſis,

Primum.
KORPEKLINTE.

Non procul ab Emporio Visbyenſi ſaxea rupes eſt præ- grandis **Korpeklinte** dicta, ſeptentrionem verſus urbem reſpiciens. In ejus parte politiori hanc extare ferunt inſcri- ptionem.

ᛅR ᚼᛅᛚᚠ ᛏRIᚦIᚢᛘ ᛏᚢᛋᛅᚿᚦᛅ ᚢᛏᚦRᛅᚠ ᚼᛂᛚᚴᛂ ᛘᛂᚦ ᚠᚢᛏᛅᚿᚢᛘ ᛋIᚿᚢᛘ

Aar halfstridium tuſanda utdrog Helge med Gutanum ſinum.

ANNO BIS MILLESIMO QVINGENTESIMO EXIIT HELGO CUM GOTHIS SUIS.

Ferunt Helgonem hæc ſculpenda curaſſe ante obitum ſu- um; qvod tamen mihi vix videtur probabile, cum eo ſeculo non annos ſed hyemes computaverint, ac tunc temporis E- pocha conditi mundi, à qva hic fit computatio, noſtratibus planè fuerit incognita. Ab aliqvo igitur medii ævi hæc exa- rata arbitror.

De hoc Helgone qvid in antiqvitatibus Gotlandicis extet, brevibus dicam, qvo hujus inſcriptionis pateat ratio. Gothi qvi Gotlandiam occuparunt, eiq; de nomine ſuo nomen dederunt, auctis rebus & populis, ad eas redacti ſunt rerum neceſſariarum anguſtias, ut alimenta ſufficientia tantæ mul- titu-

titudini non ſuppeteret patria. Unde inito conſilio, decernunt tertium qvemq; nullo vel ætatis, vel ſexus, vel dignitatis diſcrimine, novas qvæſitum ſedes ablegare, atq; ita patriam tertia incolarum parte exonerare, ſatius rati fortunæ experiri aleam, qvam dira fame perire. Illis qvos ſors patria exſulare juſsit, Princeps datus eſt Thoro qvidam, qvi ſpreto decreto, aſcitis qvibusdam ſociis munitiora patriæ occupare loca, atq; ex iis excurſionem in reliqvos facere aggreditur, & rapinis victum qværere potius qvam exſulare ſtatuit. Multis itaq; in ſuam perductis ſententiam, Rupem occupat excelſam, eamq; pro lubitu ubi muniiſſet, vicinos furtis, rapinis, omnique hoſtilitatis genere vexare non deſiit, donec victu & alimonia eos exuiſſet. Coacti igitur ſunt patriæ patres, conſcripto exercitu, rebelles hoſce vi opprimere tantisq; malis obviam ire. Occiſo eorum Duce Thorone (à qvo Rupes etiamnum nomen retinet Thoreborg) alius ſubſtitutus Helgo nomine, qvi convocatis iis, qvibus exeundum eſſet, claſſe inſtruit, atq; itineri ſe accingit circa annum mundi MML. Qvas poſt abitum occupaverint Inſulas, pluribus exponunt antiqvitates Gotlandicæ à Nicolao Petreo collectæ, qvibus & hæc accepta ferimus. Alioqvin & facili carmine elegiaco hæc perſecutus eſt N. Porta Trygonius, qvem ſi lubet conſule, cum alter ille adhuc ſit ἀνέκδοτος autor. Hujus inſcriptionis meminiſſe videtur P. Bertius lib. III. Comment. Rerum Germanic. de urbe Visbya agens; ubi inter reliqva & hæc habet. *Haud procul ad urbe ſpectantur immanes qvædam rupes, qvibus Epitaphia inſculpta ſunt literis Gothicis, qvæ curioſorum hominum ingenia hactenus exercuerunt. Et audio eſſe nunc qvi & legere ea poſſint & explicare.*

De Thorone ſupra memorato refert I. Strelovius in Chronico Guthilandorum, qvod parens, ejus juxta tumulum haſce notas arbori vicinæ mandaverit.

ᛂᛋᛆ: ᛚᛆᚿᚴ: ᛆᚴ: ᚢᚴᛆ: ᛒᚱᛁᚦ: ᚠᛁᚿᚦᛁᛋ: ᛋᚴᛆᛏᛆ: ᛘᛁᚿᛆ:

Eſo lang ok uko breid findis Skato mino.

Id eſt, ut ipſe interpretatur; Filius meus (qvem ᛋᚴᛆᛏᛆ

ſeu

ſeu theſaurum ſuum vocat) erat ulnarum ſex longitudine, latitudine quinq; pedum. Qvidam theſauri, hic ut putabant latentis cupidi, tumulum ſæpius, ſed irrito conatu, perfoderunt, nihil invenientes.

Inſcriptio alioquin per ſe ſatis clara, cum antiquitatem non usq; adeo grandem præ ſe ferat,ut nec reliquæ quæ ſeqvuntur.

SECUNDUM.

EISTANENSE.

IN templo Eiſtanenſi ante valvas chori, lapis extat hac inſcriptione notatus.

BᛆᛏᚢᛆRÞR I ᛋᚾᛆÞᚢ ᚼᛆᚴ ᛚᛁᛏ-ᚠIᛆRᛆ ÞIᚾᛆ ᛋᛏᛆIᚴ ᚢᚠIR ᛋIᚾᛆ ᚼᚢᛋᚠRᛆIᚢ BᚢᛏᛆIÞᚢ ᛏIᚴ ᛆIᛋᛏᛆ·

Butvardr i Snedu han lit giara dina ſtain yfir ſina husfroiu Butaidu til Aſta.

BUTVADERUS DE SNODU LAPIDEM HUNC FIERI CURAVIT IN MEMORIAM UXORIS SUÆ BUTAIDU DE AISTU.

Nec hæc inſcriptio ævi eſt remotioris,quod arguunt tum literæ punctatæ,tum ſtylus.

IᛋᚾᛆÞᚢ Dominum ſe fuiſſe prædiii aut arcis **Snodu** dictæ, his indicat.

ᚼᚢᛋᚠRᛆIᚢ Germaniſmum redolet hæc vox, Teutones enim uxorem ein **Haußfraw** vocant, quo ſenſu & jam matronæ nobiles nobis **Hußfruer** ut aliæ **Huſtruer** dicuntur. Sed nobili ſatam hanc fuiſſe proſapia, indicant ultima verba, quæ aſſerunt eam dominam fuiſſe de Aiſta, illius ſcilicet territorii in quo hæc extat inſcriptio, hoc enim volunt voces ᛏIᚴᛆIᛋᛏᛆ.

TERTIUM.

SILTENSE I.

TEmplum quod pagus **Silte** ſibi vendicat, etiam ſa-

 xum

xum qvoddam habet ſepulchrale in quo pæter crucem haec viſuntur.

✠ ᚠᛆᚱᚴᛆᛏᚱ ᛚᛁᛏ ᛘᛁᚴ ᚴᛁᛂᚱᛆ ᚢᚠᛂᚱ ᚠᛆᚦᚢᚱ ᚢᚴ ᛘᚢᚦᚬᚱ, ᛒᚬᚠᚱᛁᚱ ᚬᚴ ᚱᚢᚦᚢᛁ ᚬᚴ ᛆᚢᚦᚢᛆᛏᚱ ᚬᚴ ᛘᛁᚴ ✠ ᚴᚱᛁᛋᛏᚱ ᛘᛆᚱᛁᚢ ᛋᚢᚿ ᚿᛆᚦᛁ ᛆᛚᚢᛘ, ᚼᛁᛂᚱ ᚼᚢᛁᛚᛆᛋ ᚢᚿᛏᛁᚱ ᚢᚴ ᛆᛚᚢᛘ ᚴᚱᛁᛋᛏᚿᚢᛘ ᛋᛁᛆᛚᚢᛘ.

Fargatr lit mig giera yfer Fadur ug Mudur, Bofrir og Rudui og Audvatr og mig ✠. Kriſtr Mariu ſun nade alum hier huilas untir ug alum Kriſtnum ſialum

FARGATR ME FIERI CURAVIT IN MEMORIAM PATRIS ET MATRIS BOSFRIRI ET RUDI ET ADVATERI ET SUI. CHRISTE MARIÆ FILI MISERERE OMNIUM SUB HOC SAXO QVIESCENTIUM, ET ANIMARUM OMNIUM CHRISTIANORUM.

Et hoc medii eſſe ævi certum, præterquam quod Chriſti & Chriſtianorum faciat mentionem, literas obtinet punctatas ᚵ & ᚤ, crucis qvoq; notam. Epitaphium eſſe conſtat integræ deſtinatum familiæ, utpote quod nomina recenſet eorum qui hic ſepulti; imò autor ſibi ipſi quoq; deſtinatum hoc eſſe voluit.

ᚢᚴ Hæc copulativa diverſimode hic notatur, quandoq; ᚢᚴ quandoq; ᚬᚴ.

Conjugatæ hic plures. Eſt enim ᛆᚿ ex ᛆ & ᚿ, item ᛆᚱ ex ᛆ & ᚱ, ᛆᚦ ex ᛆ & ᚦ, ᛆᛚ ex ᛆ & ᛚ, ᛆᛋ ex ᛆ & ᛋ.

ᚼᚢᛁᛚᛆᛋ, Quieſcentium: verè Chriſtianum ſapit, qui mortem quietem à mundi hujus importunis negotiis eſſe ſtatuebat.

QVARTUM.

SILTENSE II.

IN eodem hoc templo, ſupra ſellam quandam parieti inſculpta hæc leguntur.

ᛒᛁᚦ ᚼᛁᚿ ᚠᚢᚱᛁ ᛒᚬᛏᚢᛁᚦᚼᛆ ᛋᛁᛆᛚ, ᚱᛆᚿᚴᚢᛆᛚᛋ ᛆᚱᚢᛆ

Bid hin furi Botvidha ſial Rangvals arva

ORA PRO ANIMA BOTVIDHÆ HÆREDIS RANGVALTI.

Hic

Hic non habeo qvod addam cum omnia clara ſatis. RᛅᚴᚠᚢᛅᛚI! Notetur ſaltim literæ S character diverſus à conſveto, hic ſcilicet!, qvo in vocum fine utuntur. Haud ſcio an Ragnvaldus hic ille ſit qvi hiſtoriæ Norvagicæ autori dicitur Ragnvald Jarl, qviq; Provinciæ Norvagicæ More dictæ imperitabat, apud qvem devictis regulis cum divertiſſet Haraldus Harfager/ ab eo cæſariem ſuam, qvam multis jam annis aluerat, tonderi voluit; unde ab eodem cognomento hoc Harfager donatus eſt, de qvo fuſius conſule Hiſtoriam Norvagicā in Haraldo Pulchricomo primo Norvegiæ Monarcha. Quod circa annum Chriſti D CCCLXX contigit. Quia verò Botvida hic ſe hæredem Ragnvaldi profitetur, non qvidem ejus fuit filius, nomina enim eorum expreſsè in hiſtoria ſunt conſignata: ſed vel nepos, vel ex nepotibus ortus, ut ita hæreditas per tertiam aut qvartam manum ad ipſum ſit derivata. Quocirca multis annis poſt Ragnvaldi ævum hanc poſitam fuiſſe inſcriptionem ſatis liquet.

QVINTUM.

LIENSE.

IN Lienſe cœmeterio, ſaxum ſepulchrale exornant hi literarum ductus:

IᛅᛉᛅᚢBR I ᛚᛁᛏᛅᛚRᛅᚴᚢᛘ ᛚᛁ ᚠIᛅRᛅ ᚦIᚴᚴᛅ ᛋᛁᛅIᚴ
ᚢᚠIR ᚠᛅᚦᚢR ᛋIᚴᛅR ᛅᚠ BRᛅᚦR ᛋIᚴᛅ ᛚᛉᚴᛅRIᚦ ᛅᚠ ᛋI-
ᛘᛅᚴ BIᚦIᛘ ᚠIR ᚦᛅIᛘ ᛅᚠ ᛅᛚᚢᛘ ᚠRIᛋᚴᚢᛘ ᛋIᛅᛚᚢᛘ ᛅᚠ
ᚦᛅ ᚢᛅR ᛚᚦIᛁ ᛅᚠ ᚠᚢ! BIRᚦ ᚠIᚢRIᚴ ✻ᚢᚴᚦRᛅᚦ ᛅR ᛅᛉ
ᛅIᚴᚢ ᛅR ᛘIᚴᚴᚢ ᚦIᚴ ᛯ ᛁI✻I ᛅR IᚦI ᛅRI BRIᛘᛅᚦI ᛉ ᛅᚠ
R ᛋᚢᚴᚢᛐ✻✻ᛅR I ✻IRᚦᚢ

Iacaupr i Litelronum lit giara dinna ſtain yfir Fadar ſinor og Brodr ſina Lignarid og Simon. Bidim fir dain og alum Kriſtnum ſialum. og da var lidit aff Guds bird fiurin hundrad ar og einu ar minna den tibi ar. Idi ari Primadi ᛉ *och* R *ſunadhar I Hirdu.*

JACOBUS IN LITERONUM FIERI CURAVIT LAPIDEM HUNC IN MEMORIAM PATRIS SUI ET FRATRUM SUORUM LIGNARIDI ET SIMONIS. ORA-

ORATE PRO EIS ET OMNIUM CHRISTIANORUM ANIMABUS. TUM ELAPSI ERANT A NATIVITATE DEI QVADRINGENTI ET NOVEM ANNI. TUM VI ERAT NUMERUS AVREUS ET E LITERA DOMINICALIS. IHIRDU.

Et in hoc monumento variæ occurrunt literarum combinationes, quas commode exprimere neqvit Typographus ob notarum penuriam. Plæraq; enim hic ſunt quæ in ſuperiori viſuntur.

ᛅᚠ ᚠᚢᛁ BIRÞ. A natali Chriſti. Nota hic primò characterem qui S exprimere debet in ᚠᚢᛁ peculiarem eſſe ab ᛋ & in fine maxime in uſu apud Gotlandos, ut ſupra monuimus. Annus quo hoc monumentum poſitum, videtur eſſe MCCCCIX qvi variis ambagib⁹ exprimitur, ut in paraphraſi videre licet. Niſi millenarium ſubintelligas, incidet tempus hoc in craſſam apud nos Idolomaniam. Tunc enim volunt apud noſtrates imperium obtinuiſſe Butlum Sivardi filium, qvi ſacrorum Chriſtianorum erat ignariſsimus. Gothi verò extra patriam Valentem Imperatorem peremerunt, qui ad Arrianam Sectam eos pertrahere totis viribus annixus eſt. Rectius igitur anno MCCCCIX regnante in Dania Regina Margareta.

BRIᛉᛅÞI Verbum eſt à BRIᛉ qvod aureum numerum ſignificat ut fuſius in Faſtis noſtris Danicis explicavimus. Conſule lib. 1. cap. 20. *Primadi* id eſt aureum numerum conſtituebat.

ᛡIRÞᚢ Qvid hæc vox ſibi velit non ſatis capio.

Qvia hæc exiguam ſpirant antiquitatis fragrantiam & tamen non dubitemus quin majora & rariora in tam celebri Gothorum provincia Heroum & Principum extent trophea, benè de patria meritus cenſebitur, qvicunq; ea publico bono aliis communicaverit. Qvod mihi non licuit, aliis haud invitus concedo.

LIBER

LIBER SEXTUS
NORVAGICA
continens.

IN Norvagia copioſam & uberem eſſe ſegetem Monumentorum Literaturâ noſtra priſca exornatorum, minus ambigo: tum qvod in magno precio ſemper ibidem extiterint Runæ; tum qvòd ſcrupuloſiores in iis abolendis fuiſſe videantur aliis. Regio præterea per ſe ſaxoſa & petroſa ſatis eſt, ut lapidum penuria, in alios uſus monumenta ſaxea transferre eos haud cogat. Interim cum pauca ac rara ejus generis ex iis locis ad nos devenerint, eadem qvaliacunq; tandem ſint, non gravabor his ſubnectere.


BERGENSIA.

E Ex Diœceſi Bergenſi Reverendus & Clariſsimus vir D. Nicolaus Paſchaſius S. S. Theologiæ Doctor, Epiſcopus olim loci ejusdem vigilantiſsimus, inter alia præclara antiqvitatis ſpolia, hæc qvæ hic damus & enucleamus, ultro communicavit, qvo nomine, gratiæ ab antiqvitatum ſtudioſis ipſi debentur magnæ.

PRIMUM.
GIERDISENSE.

IN Provincia Sundhorlehn/ parochia Ethnes in aditu cœmeterii templi Gierdis/ liminare ſaxum conſtituit monumentum qvoddam rudioris petræ, longitudine trium ulnarum,

rum, latitudine dimidiæ, qvod utrumq; latus politius & latius lineamentis & characteribus obtinet inſignitum licet alterum, pronum nempe, ita terra tegatur, ut non niſi loco remotum legentibus ſe objiciat, ejus hæc eſt idea.



ᛅᚱᛚᛅᚾᛏᚱ: ᚱᛁᛁᛏ: ᚱᚢᚾᛅᚱ: ᚦᛁᛋᛅ
ᚾᛁᛋᛏᛁᚱ: ᛅᛚᚢᛘ: ᚴᛅᚦᚢᚱ:

Arlantr riit Runar diſa
Neſtir Alum gadur.

ARLANDUS RUNAS HASCE INCIDIT IN MEMORIAM ALUMI BONI.

Certum eſt aliundè translatum hoc ſaxum. Vivunt adhuc qvi ex muro qvi cœmeterium cingit tranſportatum referant. Qvod ſi verũ, crediderim ita fuiſſe aptatum ut utrinq; literæ conſpici potuerint. Sed ſuſpicor in colle qvodam, aut campo ſitum fuiſſe antequam cœmeterio inſervire coactum ſit, cippi aut pyramidis modo, atq; ita qvidem locatum, ut ſine impedimento ad utrumq; latus legendum acceſſus fuerit liberior: licet crux addita poſt abrogatam idololatriam exarata hæc eſſe teſtetur.

RIIT, *At riite* priſco vocabulo, ſcribere, exarare & in duriori materia incidere notat.


ᛅᛚᚢᛘ Forſan legendum ᛅᛚᚢᚠ ut Olaum denotet.

ᚴᛅᚦᚢᚱ ſuſpicor eſſe ᚵᛅᚦᚢᚱ, ut indicet hunc Olaum patrem fuiſſe Arlandi qvi hoc monumentum pietatis cauſa fieri fecit.

SECUNDUM.
GRINDEMSENSE.

In

IN eodem tractu, utpote parochia eadem, ſed templi Grindenſenſis cœmeterii muro occidentali, ad ſiniſtram aditus occidui, ſaxum longum inſitum cernitur, qvinq; ulnarum cum dimidio, latitudine ulnæ unius, craſsitie unius quartæ cum ſemiſſe, qvod hac parte ejusdem menſuræ obtinet literas in hunc modum depictas.



ᚾᛁᚱᛁᛅᚦᚱ: ᚱᛅᛁᛋᛏᛁ: ᛌᛏᛁᚿ: ᚦᛁᚿᛅ: ᛅᚠᛏᛁᚱ: ᚦᛁᚱᛘᛅᚦ: ᚢᛁᚦᛅᚿᛏᛅ: ᚠᛅᚦᚢᚱ.

Neriadr raiſti ſtin dena eftir Termod vidanta fadur.

NERIADER LAPIDEM POSUIT IN MEMORIAM THERMUNDI PATRIS VIDANTÆ.

Idem de hoc lapide ut ſuſpicer, qvod ſupra de Gierdiſenſe dixi, figura ejus facit, cippo aut obeliſco ſimillima. In ipſo cœmeterio antea poſitum fuiſſe, quidam volunt accolarum. Qvod forſan vero non abſimile: verum ut ego arbitror, erectus ſtetit, apice cœlum reſpiciens Mendoſius aliquantò deſcriptæ ad me pervenere ejus literæ, quæ tamen hac ſerie quin legi debeant non ambigo.


Nota qua literam S exprimit, peculiaris & diverſa eſt ab aliis. Ita enim pingitur ᛌ quæ in errorem eum traxit, qui primo deſcripſit.

ᚦᛁᚱᛘᛅᚦ Primam literam hujus vocis per Th. expreſsimus, ejus namq; eſt valoris; idq; ut commodius doceant Juniores, ventrem ejus ponunt dageſſatum ſeu punctatum, qvod cum hic factum non ſit, ævi vetuſtioris videri poteſt.

TERTIUM.

STRANDBARNENSE.

Ejuſdem provinciæ eſt parochia Strandbarnes/in cujus templo columna viſitur in qva Eleemoſinæ reponendæ olim ita inſculpta erat crypta; ut ejus partem qvalemcunq; conſtitueret. Hæc columna inſcriptionem obtinuit ita comparatam, ut per columnam & cryptæ tranſiret operculum ſeu januam, qvæ cum jam ſit ablata, literarum ſeriem nobis qvoq; reliqvit mutilam & mancam, hiſce ſaltim ſuperſtitibus elementorum notis.



ᛅᚠ ᚢᛁᛚᛁᚱᚱ ᛭

ᚠ ᛅᚱᛏᚢᚱ ᛅᛘᚢᚾᛏᚱ: ᛋ

Viler Artur Ommuntr S.


Senſus procul dubio hic erat: HIC JACET ARTURUS OMUNDI FILIUS.

Combinationes literarum hic occurrunt plures ᛅ & ᚠ ᛅ & ᚱ, ᛅ & ᛘ

QVAR

QVARTUM.
HOUSENSE.

PArochia qvædam in diſtrictu **Norhorlchn** dicto extat **Hous** nomine,hic in ſeptentrionali cœmeterii plaga ſaxũ conſpicitur ſepulchrale gradatim in faſtigium aſcendens, longitudine ulnarum duarum cum ſemiſſe, latitudine totidem qvartarum, in hunc modum inſcriptionis tenorem exhibens,



ᛅᚱᛘ : ᛁᛅᛏᛁ : ᛘᛁᚦ : ᚴᛁᚦᚱᛁ : ᚦᛁᛋᚢ : ᛏᚢᚴᛏ : ᚦᛅᚱᚱᛅ : ᚴᛅᚾᛅ :


Orm Iati lit gidri diſu euſt Thorra Kona.

ORMERUS JETI HOC FIERI FECIT IN MEMORIAM UXORIS SUÆ THORÆ.

ᛁᛅᛏᛁ qvamvis **Jætte** ſeu gigantem notet appellative ſumptum, attamen hic cognomen Ormeri eſſe reor ᚴᛁᚦᚱᛁ forſan legendum ᚴᛁᛏᚱᛁ, à verbo **Jeg gior** facio ᛏᚢᚴᛏ vitioſè hæc vox legebatur, ut & ultima, qvas conſideratis ductibus notarum confuſis, reiq; circumſtantiis ita ut vides reſtituimus.

QVINTUM.
HOPPERSTANDENSE.
Primum.

TErritorium **Sogn** inter reliqvas Parochiam continet **Wigi** cui alia annectuntur templa. Inter qvæ & **Hopperſtad** dictum,juxta qvod bina occurrunt ſaxa ſepulchralia noſtris elementorum notis condecorata. Prius prope templi valvas occidentales conſpicitur, rudioris materiæ, griſei coloris,trium ulnarum longitudine, latitudine qvartarum qvatuor cum ſemiſſe, hanc habens inſcriptionis ſeriem.



ᚴᚢᚦ: ᛏᚱᚢᛏᛁᚾ: ᚼᛁᛅᛚᛁ: ᛋᛅᛚᚢ ✶ ᚴᛅᛏᛁᛚᛅ.

God Trotin bialli ſalo katila.

BONE DEUS SERVA ANIMAM KETILLI.

Saxum hoc ante annos aliqvot effoſſum eſt in ipſo templo prope aræ pedium, & inde translatum ad eum, in qvo jam viſitur, locum. Chetilli cujusdam eſt Epitaphium, qvi ſine dubio, aut templum fundavit, aut peculiari munificentia ditavit, qvo locum hunc tam honoratum, prope aram ſcilicet, pro tumulo obtineret. Inſcriptio licet Chriſtiana videatur, antiqvitatem tamen ſapit haud vulgarem.

ᛏᚱᚢᛏᛁᚾ Priſca lingua Deum & Dominum notat, unde etiamnum **Drotning** qvod Reginam nobis ſignificat.

ᚼᛁᛅᛚᛁ Servare, Sanare vel ſanctificare notat. Quid ſi ᚼᛁᛅᛚᛒᛁ **Helpe**. Juva? animam &c:


ᛋᛅᛚᚢ Qui deſcripſit ᛁᛅᛏᚢ poſuit errore manifeſto, ex primæ literæ qvæ magnam affinitatem cum I habet, ignoratione proveniente, animam notat.

SEXTUM.

HOPPERSTADENSE.

Secundum.

IBidem loci, ſed ab orientali templi plaga, aliud ejusdem ferme longitudinis, latitudinis & figuræ ſepulchrum tegit, rude, paulatim ad pedes anguſtius coarctatum & his notis inſignitum. ᚼᛅᚱ



ᚼᛅR: ᚼᚢᛁᛚᛁR: ᚢᚾᛏᛁR: ᛅRᚾᚠᛁᚾᛏR: ᛁᛅᚢᛅRᛏᛋ ᛋᚢᚾ

Her huiler undir. Arnfindr Iavarts ſon

HIC QVIESCIT ARNFINDUS JAVARDI FILIUS


Inſcriptio nullam fermè ſapit antiqvitatem, interim lapidis ruditas ejusq; vitiata integritas hujus non eſſe ſæculi, arguere videtur. Qvem Latini Edvardum, majores noſtri Javardum vocarunt.

SEPTIMUM.

QVAMMENSE.

EJusdem Sognenſis provinciæ eſt hoc qvod ſeqvitur. Prædium qvoddam in promontorio maris hujus tractus extat,

tat, QVAM dictum, hic columna qvædam cylindrica ſeptem ulnas longa, in circumferentia duas cum ſemiſſe conſpicitur, collapſa jam, ſed ita locata ut latus inſcriptionem continens ſeſe oculis objiciat, atq; hæc exhibeat.



ᚴRᚢR: BIRIᛆ: ᛌᚢᛆR: RIᛌTI: ᛌTIᚿ: ᚦIᚿ: ᛆᛐ: ᚿᚢR ᚴᛆTIᛚ: ᛌᚢᚿᛆR: Iᛌ: ᚿIR: ᚢᛆR: ᚿᛆᚿᚴᚢIᚿ: Iᛌ: ITIᚿ: ᛌIᛆ: ᛌTIᚿR

Grur Biria ſunar riſti ſtin din at Nurkatili ſunar is, Nir var nangvin is itin ſiá ſtinr.

GRE-

GREGORIUS BERGERI FILIUS LAPIDEM HUNC POSUIT MEMORIÆ NUR KETILLI FILII. IS FUIT INTIMUS EJUS ET E PROGENIE DOMINI STENONIS.

Hujus ſenſum planum nobis invidet tum lacuna, tum idiomatis peregrinitas. Dubium non eſt qvin columna hæc, olim erecta ſteterit, qvod vel vox RIſTI indicare videtur. Si ex ſitu qvem jam obtinet qvid colligere liceat, literarum notæ auſtrum ſpectabant. Accolæ qvidem ferunt tres hic tumulatos olim fuiſſe fratres, (qvod inſcriptioni conſonum) ſed qvi aut qvorum filii, nullus eſt qvi doceat. Addunt tamen hoc in loco prælium acre commiſſum, in qvo ingenti facta hominum ſtrage Duces hi cum aliis multis occubuerunt. Quibus (cum illuſtris fuerint familiæ et rem fortiter geſſerint) hic præ reliqvis habitus eſt honos, ut memoria eorum hoc ſaxo ad poſteros propagaretur.

ᚱᚢR Huc uſq; inſcriptio clara ſatis, ſed lacuna nobis qvædam ſubtrahit, ex qvibus totius inſcriptionis magna ex parte dependet ſenſus.

I! eorum vel ejus.

ᚱR hujus ſenſum non planè aſſeqvor, legendum puto ᛋᛆᛘ *ſom* qvi.

ᚢᛆᛋ: legendum ᚢᛆR, in toto enim hoc monumento, nuſpiam occurrit hæc nota ᛋ, ſed ejus loco ſemper ponitur ᛦ ejusdem valoris. Pro ᛋ igitur ponendum R

ᛁᛆᛁᚴ, ætt jam dicimus, progeniem, tribum & familiam.


ᚴᛆᚢᚠᚢᛁᚴ. ᚢᛁᚴ, amicum notat, ᚴᛆᚢᚠ neceſsitudinem, ut indicet ſummo neceſsitudinis et amicitiæ vinculo ſe conſtrictum fuiſſe aut demortuis, aut eorum parenti.

OCTAVUM.

STEDIENSE.

OBeliſcus viſu dignus extat in eodem territorio in parochia Sogneдal juxta prædium Stedie in editiori

montis clivo erectus, longitudine trium ulnarum, latitudine juxta baſin, trium qvartarum; boreali ſuo latere inſcriptionem hanc habens:



ᚮᛚᛆᚠᚱ ᚴᚢᚾᚢᚴᛦ ᛚᛁᛏᛆ ᚢᛏᛘᛁᛚᛁ ᛋᛏᛆᛁᚾᛆ ᚦᛁᛋᛆ

Olafr Kunug lita utmili ſteina diſa.

OLAUS REX LAPIDEM HUNC ERIGI CURAVIT.

Inſcriptio hæc diverſa planè eſt ab aliis. Non enim in memoriam ullius poſitum aut erectum hunc fuiſſe cippum perſpicuis docet: ſed Olaum Regem Tryggonis (ni fallor) filium, cum hoc in loco poſuiſſe veriſimile, ut nautis hac tranſeuntibus indicio eſſet, qvo in loco verſarentur; vel qva declinandum, ad portum aſpirantibus. Regem namq; quondam

dam hoc in loco freqventer verſatum eſſe ac ſubditorum qverelis aures præbuiſſe, ex hiſtoriis conſtat.


Qvod ſi huic Regi adſcribenda ſit ejus ſtructura, ante annum Chriſti milleſimum poſitum fuiſſe probabiliter colligimus.

Notarum ſeries clara ſatis, ut illuſtratione non indigeat uberiori, niſi qvod pro ᛙᛁᚠᛦ legendum ᛙᛁᚿᛦ.

ASLOENSIA.

PRIMUM.

DYNENSE.



IN Provincia **Hadeland** ſeptem fermè milliaribus Aqvilonem verſus à Chriſtiania (olim Aſloa) diſtante, parochia eſt **Gran**, qvam freqventat inter reliqvos, is qvi prædium

Dynna colit. Juxta qvod occidentem verſus, in colle ſaxum qvadratum fermè & oblongum, coloris purpurei conſpicitur, qvod alterâ ſua facie varios oſtentat eqvites armis inſtructos, ac inter eos qvendam proſtratum, arcum tenentem ac victas qvaſi manus porrigentem: alterâ verò hanc inſcriptionis ſeriem.

ᚴᚢᚿᚿᚢᚱ + ᚴᛁᚱᚦᛁ + ᛒᚱᚢ + ᚦᚱᚢᚱᛁᚴᛋᛏᚢᛏᚢᚱ +
ᛁᚠᛏᛁᚱ + ᛆᛋᛏᚱᛁᛏᛆ + ᛏᚢᛏᚢᚱ + ᛋᛁᚿᛆ + ᛏᚢᚢᛆ + ᛂᛏᛁᛆᚱ +
ᚼᛆᚿ + ᛂᚱ + ᛆᚢ + ᛆᚼᛁᚦᛆᛚ + ᛁᛏᛏ.

Gunuur girdi bru Thrurigſtutur eſtir Aſtrita tutur ſina, Tuva Etiar han er au Ahidali itt.

GUNILA THRURICI FILIA PONTEM (LAPIDEM) FIERI CURAVIT IN MEMORIAM ESTRITÆ FILIÆ SUÆ, E TUONIS PROGENIE. HIC VERO E FAMILIA AHIDALI.

ᛒᚱᚢ qvid per pontem in monumentis intelligant veteres aliàs dixi, conſule monumentum Tulſhoi. Lapides enim tam qvi tumulos cingunt, qvam qvi eos alioqvin exornant & inſcriptiones continent, hoc nomine venire arbitror, κρηπῖδαι καὶ περιοικομίδαι græcis.


ᛂᛏᛁᛆᚱ Jam *ætte* dicimus, Slecht/ progeniem, familiam; autor eqvitibus ab adverſa parte ſculptis nobilitatem familiæ indicare voluiſſe videtur, ut notum faceret eqveſtris dignitatis fuiſſe majores hujus virginis.

SECUNDUM.

GRAMMENSE I.

Dicta parochia Gram Hadelandiæ ita eſt conſtituta, ut in eodem cœmeterio duo obtineat lapidibus eleganter conſtructa templa, ſibi ferme contigua, qvorum ſeptentrionalius D. Nicolao dicatum. A cujus orientali plaga, quæ chorum conſtituit, rudior cippus viſitur longitudine ſex ſpitamarum, latitudine ad baſin duarum, qvadrati oblongioris figura, cujus apex paulatim acuminatur. Inſcriptionis tenor

tenor à dextra aſcendit & ſaxum paulatim ambit, donec in baſi terminetur hoc pacto:



ᛋᛅᚾᛁᚱ : ᛁᚢᛚᛅᚱ : ᚱᛅᚴᛁᚢ : ᚱᛁᛋᚦᛁᚢ !ᛏᛁᚴ ᚦᛁ!ᛋ ᛁᚠᛅᛁᚱ : ᛅᚢᚠᛅ : ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ : ᛋᛁᚴ : ᚼᛁᛅᛚᛒᛁ : ᚴᚢᚦ : ᛋᛆᛚ : ᛆᚢᚠᛅ.

Synir Iular rykiu riſdu ſtin diſe eftir Auſa Brudur ſin, hialpi Gud ſol Auſa.


FILII JULII DIVITIS LAPIDEM HUNC POSUERUNT IN MEMORIAM FRATRIS AVONIS. DEUS ANIMÆ AVONIS MISEREATUR.

Ex contextu & collatione cum aliis ejusdem generis monumentis, non eſt difficile hanc ſupplere lacunam, eo modo qvo in interpretatione latina fecimus, hæc enim deſiderantur, ᛋᛏᛁᚴ ᚦᛁᛋᛁ ᛁᚠ & veſtigia qvidem ᚠ adhuc ſatis manifeſta ſunt in lapide.

TERTIUM.

GRAMMENSE II.

SUpra januam ejuſdem templi auſtralem, qva ad chorum patet aditus, purpureus cernitur lapis, qvadratus, pedis longitudine, qvatuor digitorum latitudine, qvem (niſi qvis ex ſaxo duriori avulſum eſſe fruſtum animadvertat) laterem facile dixerit. Hic nobis combinationis literarum & intricationis mirum præbet exemplum, noſtrum planè fugiens captum: lineamenta hic à me cape ab aliis interpretationem.




QVARTUM.

GRAMMENSE III.

ADhuc in eodem D. Nicolao ſacrato templo, in pavimenti medio mox infra chorum, ſepulchrale cernitur

ſaxum

ſaxum cæruleum, maculis albis conſperſum & crebro pedum attritu politum, qvadratum; ſex pedum cum dimidio longitudine, latiori & ſuprema parte ſuperat pedes tres, & qvia paulatim acuminatur, inferiori ſua parte, vix duos attingit. Hoc qvamvis mendoſum valde ad nos delatum ſit, credo qvod crebro attritu lineamenta literarum qvibusdam in locis detrita & abolita fuerint: qvid tamen inde colligam non reticebo, ſi prius iconem perluſtraveris.



Ita lego: ᚼᛅR. ᛚᛁᚴᚴᛅRᚢ. ᛋIR. ᚴᚢᚿᚿᛆRᛆ. ᚼᛆᛚᛆ. ᛋᚿᛆᛏᚢᛋᚮᚿ. ᚢᛅᚿᛁᚢ: ᛋIᚿᛆ. ᚢᚿᚿᛆR. ᛆᛚᛏᛆR. ᚦIᛋ. ᚴRIᛋᛏR ᚼᛅRRᛅR. ᚴᚢᚦ. ᛋᚢᚿᛅR. ᛋIᚿᛆR ᛋIᛆᛚᛅ ᚴᛚᛅᚦᛅ ᛅᚢᚴ ᚼIᛚ-BI ᚴᚢᚿᛅRI.

Her ligger ſir Gunnara hola Snatuſon venniu ſin, unnar altar dis: Kriſtr herrer Guds ſuner, ſinar ſiala glæde, aug hilpi Gunnari.

Hic

HIC JACET DOMINI GUNNARI DE HOLA SNATI FILII AMASIA SUB ALTARI: CHRISTE DEI FILI ANIMAM EJUS GAVDIO PERFUNDE ET JUVA GUNNARUM.

Principium deeſſe ſuſpicor, qvocirca ſupplevi & in tanta obſcuritate qvod potui præſtiti, meliora docenti cedere paratus. Antiqvitatem qvidem usq; adeò magnam præ ſe non fert inſcriptio, notarum tamen apices crebro calcantium attritu aboliti, ut lectionem, ita interpretationem reddunt arduam.

QVINTUM.
KIUSENSE.

IN eodem Hadelandenſi diſtrictu curia eſt Kius dicta, propè qvam è lignó exſtructum cernitur ſacellum in cujus choro vetuſtiſsimis literarum ductibus hæ leguntur notæ.



ᛚᛅᚦᛁᚾᛅ. ᚴᛁᛅᚾ. ᛚᛁᛏ. ᛒᛁᚾᛏᛏᛅ. ᚦᛁᛏᛏᛅ

Ladena kion let pentia detta.

LODENA PULCHRA HOC EXORNARI CURAVIT.

Exiſtimare licet hanc curiam, qvam jam ruſticus qvidam inhabitat, olim nobilis aut primatis cujusdam Hadelandiæ fuiſſe palatium; qvod ſacello hoc ſuis ſumptibus exornavit, atteſtante inſcriptione. Sed qvia literæ de pulchra qvadam Lodena teſtari videtur, proculdubio illa erit de qva ſermo fit in ſeqventi Monumento.

ᚴᛁᛅᚴ etiamnum pulchrum nobis indicat, vel formoſum.

ᛒᛅᚴᛏᛏᛦ, ornare notat jam *pynte* dicimus, mutata paululum priore vocali. Sacellum hoc collapſum forte reſtauravit, & ornamentis auxit.


SEXTUM.

BILDENSE.

Est & alia curia ejusdem provinciæ dicta *Bilden*; qvæ etiam adjunctum habet ſacellum jam ferè collapſum.

In eo aulæum conſpiciebatur priſca arte acu pictum & aræ exornandæ deſtinatum, in qvo & ſeqvens legebatur inſcriptio, qvæ licet ſaxo non ſit, ut pleraq; alia, inſculpta, locum tamen non immerito & hic inveniet. Iconem ejus exhibeo, ſed aulæum ipſum inter rariora mea, in Pinacotheca ſervo, cujus, ubi lubet, contemplandi dabitur facultas. Longitudine eſt trium ulnarum Selandicarum, latitudine unius cum una qvarta: ex panno ſubcæruleo confectum, cui variæ figuræ filo diverſorum colorum laneo, ſunt acu appictæ. Ab altera enim inſcriptionis parte, eqves cernitur eqvo albo inſidens, chlamide rubicunda veſtitus, manu lanceam tenens quâ cervum lutei coloris in mediis aqvis conſiſtentem, acriter perſeqvitur, inſeqvente cane luteo. Dum aqvila, pennis verſicoloribus procumbentem virum roſtro petit. Ad pedes Cervi fluvius conſpicitur in qvo qvidam viridi toga, inſtrumento globoſo piſcatur: piſces videre licet virides, luteos, rubicundos, maculoſos, angvilliformes. Alterum inſcriptionis latus occupat animal, capite leonino, collo eqvino,

ſqvammis verſicoloribus prædito, ſed reliqvo corpore leonem repræſentans, niſi qvod colore corpus ſit viridi, cauda rubicundo. Monſtrum hoc ambiunt varii gyri & anfractus, qvorum truncus viridis, rami rubicundi & lutei. Literæ inſcriptionis, diverſis etiam pictæ ſunt coloribus.



ᛚᛆᚦᛁᚿ ✠ ᛘᛁᚱᚴᛁᚦᛁ ✠ ᚢᛆᚱ ✠ ᚱᛆᚴᚿᛁᛚᛏᛁ ✠ ᛋᚢᛋᛏᚢᚱ ᛏᚢᛏᛁᚱ ✠ ᛋᛁᚿ.

Löden merkede, var Ragnilti ſyſtur totir ſini.

LODENA NOTAVIT, CUJUS SORORIS FILIA ERAT RAGNILTA.

ᛚᛆᚦᛁᚿ. Hoc in loco nomen eſt proprium: ſed appellative ſumptum, villoſum ſeu hirſutum denotat. Hac de re extat ænigma Islandicum cujusdam, qui interrogatus à Rege qvod ſibi nomen eſſet? Illud variis rebus obſcure deſcripſit, ita tamen ut Lodenum eum dictum fuiſſe deſignarent. Relatio ita habet. *Kongur ſan man à veige, og ſpurde han ad heite. Hand ſuarade: Kalladur var eg à kongs hollu, Akur alvaxin og oprunnin Reir. Hin hevaxit og humal à qvi-*

ſte;

ſte; Feldur af borne og Jagrur Sleygiur. Id eſt: viro cuidam obviam factus Rex, de nomine eum interrogabat. Qvi reſpondens ait: In aula Regiâ vocor Ager maturus, Arundo novella, Domus graminibus obſita, Lupulus in ramuſculo, Pellis urſina & virens Pratum. Senſus eſt, ſe dictum fuiſſe LODIN. Lodin verò appellative ſiqvidem hiſpidum, ſeu hirſutum, ut dictum, notet, ac tales ſint, ager frugibus maturis obſitus, arundineta, domus ceſpitibus tecta viridibus, lupulorum ramuli, pellis urſina ac virens pratum, ſingulis hiſce nomen ſuum commode exprimi poſſe putabat. Hoc verò nomen qvia tam viris, qvam fœminis tributum invenitur, difficile dictu erit qvid hoc in loco notet.

In tractu Norvegiæ Vigenſi, vir qvidam erat opibus & arte militari præſtans LODEN dictus, qvi cum negotiorum cauſa Eſthoniam navigaſſet, atq; ibidem ASTRITAM filiam Erici Regis, matrem S. Olai captivam & venum expoſitam offendiſſet, eam emit, ſibiq; matrimonio junxit. Suſtulit demum ex ea filium unum Torchillum Nefle dictum & filias duas, de qvibus conſule Chronicon vernaculum Snorronis ſturlæ, à nobis editum, in hiſtoria Olai Tryggonis.

Alterius LODENI meminit idem Chronicon in hiſtoria SVERRI Regis, qvi dictus fuit *Loden de Mandvig.* Hic cum Magno Erlingio occubuit anno M CLXXXIV, inter primarios Regni proceres habitus. Nullum horum indicari arbitror, ſed fæminam nobilem, qvæ in monumento ſuperiori dicta fuit ᛚᛆᚦᛁᚿᛆ ᚴᛁᛆᚱ: Pulchra Lodena, cujus ſororis filia erat Ragnilta, qvæ ſuis manibus hoc elaboravit Aulæũ.

ᛘᛆᚱᚴᛅᚦᛅ. Signavit, acu pinxit. A verbo **Jeg mercker/** ſigno & noto. Hinc ᛘᛅᚱᚴ & **farmerk** ſigna & ſigilla dicuntur qvibus mercatores & alii res ſuas notant, ut ab aliis diſcernantur. Subintelligi hic videtur pronomen ᚦᛅᛐᛐᛅ hoc.

ᚱᛆᚴᚿᛁᛚᛁ. Cum plures hujus nominis in hiſtoriis occurrant, quænam illarum ſit, cujus hic fit mentio non minus dubium eſt. Saxo Hiſtor. Danic. lib 1. refert Haqvinum Regem Nidroſienſium filiam habuiſſe RAGNILDAM no-

mine, quam Haddingus occiſo gigante proco, in uxorem duxit. Verba referam. *Cumq; forte gigantem, qvendam Nitherorum Regis Haqvini filiam Regniidam pactum animadverteret, indignam rei conditionem peroſus, per ſummam futuræ copulæ deteſtationem, ingenuo auſu nuptias præcucurrit, Norvagiamq; profectus tam fœdum Regiæ virginis amatorem armis oppreſſit.* Sed hæc remotioris ævi eſſe videntur quam ut huc quadrent. Chronicon Norvagiæ ſupra allegatum, in hiſtoria Haraldi Pulchricomi, refert prædictum Regem in uxorem duxiſſe filiam Erici Cimbriæ Regis RAGNILTAM, ex qua ſuſtulit Ericum Blodøxe Regni ſucceſſorem. Obiit autem illa circa annum Chriſti DCCCLXX, qvo tempore Chriſtianæ pietatis nulla in Norvegia extitit cura. Alia itaq; nobis inquirenda reſtat. Hiſtoria M. S. Regum Daniæ *Knitling ſagu* dicta, priſca noſtra lingua exarata, inter res geſtas Svenonis Eſtritii, qvam Norvegi filium Ulfonis vocant, refert Svenonem hunc filiam habuiſſe RAGNILTAM nomine, (cujus noſtri Hiſtorici non meminere) quæ nupta fuit Svenoni filio Eſchilli Erlingſonii: hæc propius ad ea tempora accedere videtur, qvo hoc aulæum confectum. Hiſtoria ita habet. ᛆᚢᚿᚢᛆ ᚢᛆᚱ ᚱᛆᚴᚿᛡᛁᛚᛏᚢᛆ ᛆᛆ ᛆᛏᛏᛁ ᛋᚢᛂᛁᚱᚿ ᛋᚢᚿ ᛆᛋᚴᛁᛚᛋ ᛂᚱᛚᛁᚿᚴ ᛋᚢᚿᛆᛆ. Secunda (ſcilicet filia) erat Ragnhilta quæ nuptui data Svenoni filio Aſchilli Erlingſonii. Obiit verò pater hujus Ragnhildæ circa annum MLXXIV. Invenio qvoq; in Hiſtoria M. S. Sveciæ, conſignata ab Olao Petri concionatore Holmenſi, in rebus geſtis Ingelli, eum filiam qvoq; habuiſſe RAGNHILDAM nomine, quæ ob vitæ integritatem inter Divas relata fuit poſt obitum & ſepulta in Telge. Harum alteram huc referri poſſe arbitror.

ᛋᛆᛋᛏᚢᚱ. Soror Ragnhildæ Svenonis filiæ fuit Ingera, quæ Olao Kyrre Norvegiæ Regi nupſit, an verò illa filiam habuerit Lodenam nomine, certò non conſtat. Altera verò Svetica, ſororem habuit unam Chriſtinam nomi-

nomine, quam S. Ericus; alteram Margaretam quam Nicolaus Rex Daniæ in uxorem duxit: qui ex ea duos ſuſtulit filios, Ingonem de materni avi nomine & Magnum quem Malignum cognomento, ob flagitia appellarunt, teſte Joan. Meurſio Hiſtor. Danic. lib. IV.

Cæterum qvod aulæis & veſtibus literas ſuas mandaverint noſtrates, in eo imitati mihi videntur Parthos de quibus Plinius lib. 13. cap. 11. refert, qvod *etſi in Euphrate naſcatur circa Babilonem Papyrus, tamen adhuc malint Parthi veſtibus literas intexere.* Noſtrates & ligna & cortices, & oſſa & quævis obvia, cornua, lapides, ærea machinamenta &c. ſuis characteribus olim inſigniviſſe aliàs docuimus.

Emblemata & ornamenta hiſce addita qvod concernit, eorum enodatio difficilis eſt admodum. Si quid conjecturis noſtris tribuendum, Leonem illum ſolitarium, inſignia Regni Norvegici præ ſe ferre arbitror, ut indicet ſe ex Regia familia ortam. Nec obſtat qvod ſecurim ſeu bipennem pedibus non geſtet, cum illam Leoni à temporibus S. Olai demum acceſiſſe referant. Eques verò ille haſtatus cum cane cervum inſequens, & piſcator piſcès in aqvis captans, ingenua exercitia quibus ſe oblectare ſolent magnates & terræ marisq; dominium præ ſe ferunt. Sed Aquila proſtratum hominem roſtro & ungvibus laniantem bellicas artes, (ut in ſaxo Tottenſi aquila, canes, equi, equites & alia ejus generis) denotabit. Nihil enim tritius apud priſcos, quam ubi in bello cæſos deſcribere conantur, eos vulturibus & aquilis in eſcam datos canant. Hinc illa in Epicedio Regneri Lodbrog verſu 2.

ᚢᚴᚦᛅᚱᛘ ᚠᚱᛅᚴᚢᛘ ᚢᛅᚱᚠᛅ
ᛅᛉ ᚠᛅᛅᚠᚢᚴᚢᛘ ᚠᚢᚴᚠᛅ
ᚠᛅᚴᚠᚢᛘ ᚢᛁᛅᚱ.

Vulnerum amnes avidæ feræ
Et flavipedi avi
Accepimus.

Per avem flavipedem vulturem aut aquilam intelligens.

Item v. 3. ᛦᛆᚱᛆ ᚠᛆᛁᚴᚠᚢᛘ ᚦᛆ ᚠᚴᛆᚠᛆ
ᚠᛁᛋᛆᛁᚴᚠ ᛆᚦ ᚦᚢᛁ ᚢᛁᚠᛆ

Aqvilæ tunc impetravimus ſufficientem
Hoſpitii ſumptum in illa ſtrage.


Et verſ. 3. ᚼᛆᚠᛆ ᚠᛆᛆᚢ ᚦᛆ ᚱᛆᚠᚴᛆᛅ
ᚠᚢᚱᛁᛅ ᛁᚴᚴᚦᚢᚱᛁᛋ ᛆᛁᚢᛘ
ᛆᛁᚱᚴᛆ ᛒᚱᛆᛆᚦ ᛆᚦ ᛋᚴᚢᛆᛆ.

Habere potuerunt tunc corvi
Ante Indirorum inſulas
Sufficientem prædam dilaniandam:

Vide totum illud Epicedium ad calcem Literaturæ noſtræ Runicæ, & plura huc ſpectantia invenies.

Septimum.

TUNENSE.




PRovinciæ **Borgeſyſſel** dictæ caput olim erat civitas opulenta & ſplendida **Sarpsborg**/ aulâ Regum Norvegicorum imprimis nobilitata. Hinc non procul extat templum Tunenſe, in cujus cœmeterii occiduo latere ſaxum conſpicitur rude utrinq; literatum, quadratum fermè, duabus ulnis ſupra terram eminens, cujus latus alterum olim muri coagmentatione tectum erat, ſed jam remotis obſtaculis oculis obvium. Ejus delineationem exhibere placuit, etſi de interpretatione planè deſperem.

Ejus in Literatura noſtra Runica capite decimo mentionem fecimus, atq; inter ea retulimus quæ rariora & intricatiora dicuntur. Si quis Dædalus ex hoc nos expediverit labyrintho, magnum à me inibit gratiam: cum amicis hujus literaturæ peritis, qvotqvot inveni, ſæpius de eo contuli, ſed fruſtra. Vide ejusdem cenſus Leragrienſe in Blekingia.

OCTAVUM. *HOVGERENSE.*

EJusdem tractus eſt Parochia **Tegneby** quæ inter templo **Staale** adſcriptos colonos unum fovet, qui curiam **Houger** dictam incolit. Hic non procul ab ædibus, in loco uliginoſo monumentum extat ſaxo inæquali, rudiuſculo, ſubcinereo inſculptum, longiori ſua parte ulnas circiter ſex habens, circa baſin in latitudine unam. Disjectum jam jacet & quadam ſui parte terra obductum; quin tamen olim apice elevato erectum ſteterit non dubito. Inſcriptio non ſatis liquida: hæc tamen percipere utcunq; mihi videor.

ᛁᛚᛅᚢᛦ



ᛁᛚᛅᚢᚱ. ᛁᛅᛘᛏᛅ. ᛋᛅᛏ. ᛋᛏᛁᚾᚢ ᛅᚠᚢᛏ.

Ilaur Iamta ſat ſtinu afut

ILAUR JEMTUS LAPIDEM POSUIT IN &c.

Fragmentum eſſe arbitror, nec omnia plenè exarata quæ huc ſpectabant.


Nonum.

HOLMENSE.

Primum.

NEc minus obſcurum illud eſt fragmentum qvod muro templi Holmenſis inſeruerunt architecti. Hoc autem templum propè Friderichſtadium eſt, in territorio Borgeſyſſel/membrum parochiæ Borge. Mox in ejus aditu

ditu ſaxum occurrit oblongum gryſeum binis characterum ſeriebus ita inſignitum, ut ſibi obverſæ eſſe videantur, quidam eorum muro occultantur, quidam unà cum ſaxi particula abſciſsi ſunt, qui reſtant hac formâ ad nos ſunt delati.



ᛅᚢᛉ. ᛁᚼᛚᚠᚢᚠ. ᚼᚱ. ᚼᚢᚠᚼᛚᚢ. ᛉᛁ. ᛏ ... ᚼᚱᚠ, ᚼᛏᚴ. ᛏᛁᛚ ᚠᛏᛅᛉ, ᛁᛅᛏᛅ:

Aug. Iolgug er oukolu ki t ... erg etn til ſtag iata.

Literas hic habes, ſed ſenſum nullum. Exiſtimo inſcriptionem uno continuo ſe inflectente & recurrente tractu conſtitiſſe. Unde factum ut capita notarum ſibi invicem obverſa jam conſpiciantur. Sed certi quid vix inde datur colligere, ni integrum exhibitum fuerit.

DECIMUM.
HOLMENSE
SECUNDUM.

IN tractu eodem alia eſt Ruſtici curia 𝔥𝔬𝔩𝔪 dicta, in qua ſaxum cernitur ovale, purpureum, in circumferentia quatuor ulnas cum dimidia continens, ac ambitu ſuo hanc oſtentans epigraphen.



ᛅᛁᛚᛅᛋᛅᚱ : ᚴᛅᚱᚦ. ᛘᛁᚴ. ᚱᚢᚿᛅᚱ. ᛅᚴ. ᚱᛁᛋᛅᛚᛁ. ᚱᛁᛋᚦᛁ: ᛋᛏᛁᚿᛅ. ᚦᛁᛋᛁᚱ.

Oilaſtr gerd mig Runar oc Riſali riſdi ſtina diſa.

OILASTR MIHI RUNAS FECIT ET RISALI HUNC LAPIDEM SCULPSIT.

UNDECIMUM.

TOSSOGONENSE.

TOſnes parochia eſt propè Fridrichſtadium, ei adjacet colonus in 𝔗𝔬ſſ𝔬𝔤/ cujus horreum ſaxum fulcit itidem purpureum & ovale, minus tamen aliquanto quam prius delineatum: Ejus namq; peripheria tres habet ulnas Selandicas cum quarta una. Rude eſt & ſabuloſum, inſcriptio crucis inſtar decuſſatim ſe ſecat in hunc modum.

ᛘᛁᚴᚢ-



+ ᚿᛁᚴᚢᛚᛅᛋ ᛏᛅᛁᛚᚿ ᚴᚱᚢᛅ ᚱᚢᚿᚱ ᛅᚠᛏ.ᚠ.ᛅᚴ.ᛘ.ᛋᛁᚿ

Niculas Tailn grua Runr eſt f. og M. ſin.

NICOLAUS TAILN RUNAS INCIDIT IN MEMORIAM PATRIS ET MATRIS SUÆ.

Certum eſt ſaxum hoc ſepulchrale fuiſſe, & aliunde translatum ut horrei hujus fundamentum conſtitueret. Sed de genuino ejus loco accolarum nemo certiores nos reddere valuit. Ante ſexaginta circiter annos exſtructas fuiſſe ædes quibus jam inſervit, ferunt quidam. Addunt in hoc diſtrictu & tertium fuiſſe, hiſce planè ſimilem, qvod in lacum vicinum ſit projectum, ibidemq; undis tranquillis & cœlo ſereno adhuc conſpiciatur.

ᚴᚱᚢᛅ à verbo at graffue/ fodere, incidere.

ᚠ. ᛅᚴ. ᛘ ob ſaxi anguſtiam coactus eſt autor contractione uti in vocibus familiaribus, & ex prima litera cuivis obviis: ᚠ enim ᚠᛅᚦᚢᚱ. ᛘ. ᛘᚢᚦᚢᚱ denotant Lectori varie obverſandum eſt ſaxnm ut ſenſum aſſequatur, à tranſverſali ductu cruce ſignato incipiendum, qvo finito, obvertendus lapis & à centro ad circumferentiam

 utrin-

utrinq; pergendum; obſervato ellypſeos jam dictæ tenore. Moris olim fuiſſe ut eorum inter qvos ordinis aut dignitatis prærogativam nullam eſſe voluerunt, nomina orbi inſcriberent ut nullus eorum primus, nullus ultimus, ſed par omnibus honor, eleganter docet Joh. Seldenus in notis ad Marmora Arundeliana. Inter qvæ & unum depingit orbiculare, Libero, Sylvano & Herculi dicatum, qvod pari modo inſcriptionem delineatam oſtentat. Citatur & elegans hoc Auſonii in ludo ſeptem Sapientum, ubi Solonis inter reliqva hæc ſunt verba.

Recte olim ineptum Delphicus luſit Deus.
Qværentem qviſnam primus ſapientum foret.
Vt in orbe tereti nomina eorum inſcribens
Ne primus eſſet, ne vel imus qvisqvam.

Urbanum & hoc Urbani Pontificis celebratur. Qvi cum ſodalitio Franciſcanorum injunxiſſet, ut ei nomina exhiberent ex ipſis tria, qvorum unum in Cardinalitiam dignitatem eveheret; illi circulari figura exhibuere, ne à loci nominis prærogativa, qvis dignior eis cenſeri videretur. Sed ille, *ordinem*, inqvit, *pervertiſtis, & ego ordinem pervertam.* Omiſisq; ſodalibus ita deſignatis, præfectum ordinis, qvem Generalem vocant, Cardinalem creavit. Sed in noſtris hiſce monumentis, nulla talis ſubeſſe poteſt cauſa, cur rotundæ vel ovalis potius figuræ ſaxis, qvam aliis inſcriptiones ſint mandatæ. Unius enim ſingula præ ſe ferunt autoris & defuncti nomen, in qvo non poteſt non is eſſe ordo, qvi exhibetur. Ab arbitrio igitur fundatoris, figuram dependere neceſſe eſt.

DUODECIMUM.
TOTTENSE.

SUb Hadelandiæ præfectura cenſetur Totten. Hic in curia coloni cujusdam, elegans cernitur obeliſcus qvatuor ulnarum altitudine, latitudine juxta baſin, trium quartarum, tribus ſui lateribus partim literis partim Iconibus &

ductibus intricatis exornatus. Quanta fieri potuit curâ ſingula hic ob oculos ponere tentavimus.

Latus 1. Latus 2. Latus 3.



Primum latus hæc habet à baſi in apicem excurrentia.

ᛁᚢᚱᚢᚴ: ᚱᛆᛁᛌᛐᛁ: ᛌᛐᛆᛁᚴ: ᚦᛁᚿ: ᛆᚠᛐᛁᚱ: ᛆᛁᚢᛁᚴ: ᚢᛆᚿᛁᛌ: ᚼᛆᚿᚿᛆ: ᛆᚼᛐᛆ: ᛆᚢᚴ: ᚴᚢᚱᚦᚿ: ᛆᚠ: ᚼᚱᛁᚠᛆᚱᛁᚠᛁ: ᚢᛁᛆᚴ: ᚢᚱᚢᛚᛆ: ᛆᛁᚢᛁᚴ:

Iurun reiſti ſtain dini eftir Eivin venis, hanna ehta aug Gurdn af Grigariki vien urula Eivin.

JURUNM LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM EIVINI AMICI SUI, IS MATRIMONIO SIBI JUNXIT GURDN E GRÆCIA, EIVINI AMICA ETIAM ERAT URULA.

Quantum ex his colligo, monumentum hoc Evino poſitum eſt ab amaſia aut concubina ſua Juruna, qvæ refert hunc Evinum matrimonio legitimo ſibi junxiſſe GURDAM forſan Gunaram qvandam è Græcia, & adhuc dilexiſſe aliam Uralam nomine.

ᛁᚢᚱᚢᚿ nomen fœminæ eſt etiamnum in Norvegia & Islandia familiare multis. Invenio qvandam hoc nomine In hiſtoria Haraldi Pulchricomi, cognomento Skaldmøe eo qvòd in Pòëſi priſca, felix & celebris extiterit, cujus etjam in hiſtoria Norvagica citatur carmen qvod conſcripſit de diſsidio inter Ericum Blodøx & Haldanum Svarte fratres, Haraldi Pulchricomi filios, feliciter compoſito. Et certè indiciis haud levibus adducor ut credam eandem hanc fuiſſe qvæ hoc monumentum poſuit, tum qvod Poetria in hac arte verſatiſsima fuerit, tum qvod eodem ſæculo vixerit Evindus Skaldaſpillere dictus, qvi omnium tum exiſtentium Poetarum princeps habitus. Cui hanc Jurunam, vel ob communia ſtudia, in amoribus fuiſſe verò videtur ſimile.

ᛅᛁᚢᛁᚿ arbitror, ut dixi, hunc eſſe Evindum qvi ob carminis præſtantiam dictus eſt Skaldaſpildere vel ſpildſkald. E regia natus erat proſapia & magnæ autoritatis vir, eius enim avia erat filia Haraldi Pulchricomi. Tenerè admodum dilexit Haqvinum Adelſtanum in cujus laudes varia cantavit, & econtra in Ericum Blodøx ejusq; filios qvi Adelſtanum vita & regno privarunt, diras evomuit. Unde ab Haqvino Grafelder ad necem qvæſitus, amicorum interceſsionibus veniam obtinuit, hac lege, ut Grafeldero aureum qvem poſsidebat annulum, Molde dictum, dono daret, ac in aula ejusdem poſthac, res bene geſtas verſibus ſuis decantaret. Variæ ejus citantur in hiſtoria Norvagica cantilenæ; inter reliqvas & qvandam commendant in honorem Islandorum compoſitam, ob qvam (collato viritim argenteo nummo) pugione argenteo affabre elaborato eum remunerarunt. Hunc in eorum honorem aſsiduè geſtabat, usquedum ſumma ingruente neceſsitate & annonæ caritate, ur-

gen-

gente (tempore Haraldi Grafelderi circa annum Chriſti D CCCCLXVI) eo ut & arcu ſuo præſtantiſsimo, ſibi ad vitam neceſſaria comparare coactus fuerit. Miles fuit eximius, aliqvot regum conſiliarius intimus. Plura in Hiſtoria Haraldi Pulchricomi, Erici Blodøxi, Haqvini Adelſtani, Haraldi Grafeldii & aliorum de eo leges; eorum namq; temporibus floruit & res geſtas cecinit.

ᚢᛆᚴ amicus. Concubinas ſuas olim etiam amicas vocabant.

ᚼᚱᛁᚠᛅᚱᛁᚴᛁ nota ᚼ pro G poſita qvandoq; occurrit ut hic legendum videatur Grikarigi ſeu Græcia, quaſi innuat legitimam ejus uxorem fuiſſe Gurdn de Græcia. Sed qvia non invenio Evindum hunc unqvam in Græciam navigaſſe. Suſpicor legendum eſſe ᚼᚱᛁᚴᚴᛅᚱᛁᚴᛁ Ringariki. Totus enim iſte deſtrictus in qvo Hadelandia & Totten; olim vocabatur Ringerike. Hodie vicina provincia etjam hoc obtinet nominis: familiare verò fuiſſe priſcis R literam in vocum initiis aſpiratione ditare alibi docuimus.

ᚢᛁᛆᚴ: ut ᚢᛆᚴ maſculinum, ita ᚢᛁᛆᚴ fœmininum amicam ſeu amaſiam notat, qvas plures habuiſſe videtur Evindus; ex qvibus unica Jurund utpote Poetria, hunc ſupremum ei exhibuit honorem, in ejus memoriam monumentum ponendo, qvod factum colligo circa annum Chriſti D CCCCLXX.

In ſecundo latere præter aqvilam extenſis alis in ſummitate conſpicuam, eqvos qvatuor, eqvitem ſuis inſtructum armis, & eqvo inſidentem, hanc invenies literarum ſeriem.

ᛘᛁᚦᛚ ᛁ ᚢᛁᛐᛅᚢᛚᛘ ᛅᚢᚴ ᚴᛅᚱᚦᛅ ᛌᚢᚴ ᛌᛁᚿ. ᛌᚢᛅᚱᚦᛅᛐᛅᚢᚦᚱ
ᛁ ᚢᛁᛐᛅᚼᛅᛚᛘ. ᛁᚠᛚᛁ. ᚱᛆᛁᛋᚦᛁ. ᛌᛐᛆᛁᚴ. ᚦᛅᚴᛅ ᛆᚠᛐᛁᚱ ᚦᛅᚱᛅᛚ
ᛅᚢᚠ ᛘᚢᚴᛐᛅ ᛋᛐᛆᛁᚴ ᛁᛆᚠᛐᛁᚱ ᚦᚢᛋᛁ

Midl i Vitaulm aug karda ſun ſini Svartaude i Vitaholm. Igli reiſti ſtein dena eftir Thoral aug munti ſtein jeftir duſi.

MIDELUS DE VITAHOLM ETIAM FILIUM SUUM DEPLORAT SVARTAVDUM IN VITAHOLM. EGILLUS SAXUM HOC POSUIT IN MEMO-

MORIAM THORALDI ET MEMORIALE ILLIS EST HOC SAXUM.

Ut liberè dicam qvid de hoc monumento ſentiam; arbitror hanc inſcriptionem qva Egillus in Thoraldi & aliorum, qvorum hic fit mentio, memoriam, hoc ſaxum poſuiſſe fertur, antiqviorem eſſe priori & cippum ipſum hiſce primitus exornatum atq; hic locatum fuiſſe: ſed temporis progreſſu collapſum ac denuò â JURUNA ſitui priſtino reſtitutum noviſq; characteribus in memoriam Evindi exornatum; vel junctim ab Egillo & JURUNA collatis operibus id factum fuiſſe.

ᛉᛁᛏᛁ. Magni æſtimii virum fuiſſe oportet, qvi prædii ſeu arcis ſuæ *Vitcholm* mentionem hic ſimul fieri curaverit; ſed ubi aut qvale hoc *Vitcholm* mihi non conſtat.

ᚦᛅᚱᛅᛚ. Thoraldi ſæpius fit mentio in hiſtoriis. Saxo noſter lib. 1. qvendam nominat Thoraldum Sveciæ regis Hadingi filium qvi à Noverca cum fratre, ut variis periculorum generibus implicaretur, regio tandem pecori præfectus eſt. Alterius Thoraldi meminit idem lib. 10. mox in principio, qvem forſan non abſurdè huc traxerim. Refert enim Haraldum Grafelder contra Haqvinum Adelſtanum, auxilia à Danis petiiſſe & impetraſſe, & in bello iſto qvo Haqvinus occubuit Thoralvum rem ſtrenuè adeò geſsiſſe ut *cum ad exturbanda hoſtium terga in inſidiis eſſet collocatus ſuperveniens, edito in aciem impetu, Karlſhoſto mortem; Danis fugam inflixerit.* Huic autem Thoralvo commilito fuit Egillus qvi in hoc monumento ᛁᚠᛁ dicitur, de qvo refert hiſtoria Norvagica in Haqvino Adelſtano, qvod cognomine dictus fuerit **Ulfſerck**/ qvodq; juvenis dum eſſet, miles extiterit fortiſſimus & Haraldi pulchricomi ſignifer, qvodq; eo in prælio, qvod Haqvini Adelſtani præceſsit interitum (circa annum Chriſti CMLIX) occubuerit ac ex puppibus hoſtium confectâ, poſt obitum magnificâ pyrâ, à Rege ſit tumulatus, additis cippis & ſaxis grandibus rei geſtæ memoriam in perpetuum conſervaturis. Pulchrè adeò hæc mihi cohærere videntur-

dentur, & hiſtoriæ tám Danicæ quam Norvagicæ conſentanea eſſe. Probabile namq; videtur Egillum 𝔙𝔩𝔣𝔣𝔢𝔯𝔠𝔨 hujus monumenti primum authorem, eodem memoriam commilitonum ſuorum Thoralvi, Midlii & filiorum ejus ad ſeram poſteritatem propagare voluiſſe. Idemq; deinde à JURUNA locupletatum & memoria amaſii ſui Evindi Scaldaſpilleri illuſtrius redditum.

ᛉᚢᛗᛅᛅ ᚺᛅᛅᛁᚴ id eſt memorialem lapidem ſeu cippum, qui horum memoriam ad poſteritatem propagare poſſet.

DECIMUM TERTIUM.

TEMPLUM MIRABILE.

IN hujus Diœceſis Provincia *Telemarchica*, parochia *Hollen* dicta, templum mirabile extare à fide dignis, qui viderunt & luſtrarunt, accepi, utpote qvod in tecto cœmeterium tenet, in qvo Mortuos ſepelire conſveverunt accolæ. Rem brevibus perſtringam. Lacus quidam aquæ dulcis *Nordſoe* dictus qui per varios anfractus tandem in mare dilabitur in Tellemarchico cernitur diſtrictu, ſeſquimilliare circiter ab urbe *Sceen* diſtans, huic adjacet rupes miræ altitudinis & vaſtitatis, quam accolæ *Vear* vocant. Hæc circa medium ita arte excavata eſt, ut templum olim conſtituerit nullis columnis, nulla teſtudine, adventitia ſpectandum, ſed è vivo ſaxo excavato elaboratum, altari aliisq; ornamentis Eccleſiaſticis decorum, ac D. Michaeli dicatum; jam verò incendio miſerè defædatum. In concamerationis meditullio, altius aliquantò excïſum conſpicitur foramen, cui ex ferro adhuc aptata anſa, campanulæ, ut volunt, ſuſpendendæ deputata. Unicus per januam ſatis amplam ad illud patet aditus, ac per eandem lumen admittit. Qvi eo tendebant, aut per lacum rupem navigio petebant, quam deinde mediantibus trabibus ligneis ac ſcalis penſilibus aſcendere cogebantur, donec ad januam perventum; aut ab alia mon-

tis parte per ſcalas rupi inciſas deſcendere ad eandem ſolebant. Scalæ ligneæ qvæ á janua deorſum tendebant ante aliqvot annos incendio correptæ, templo qvoq; ruinam intulerunt, combuſtâ arâ & reliqvis ornamentis, unde carbonibus & cineribus adhuc conſperſum pavimentum, reliqvum verò fumo denigratum apparet.

In ſummitate Rupis ſupra templum hoc, coemeterium adhuc extat, cruce inſigni dotatum, tumulisq; freqventibus conſpicuum; in qvo accolæ qvæ cis montem habitant, mortuos ſepelire ſolent; ab altera parte per lacum ad illud non datur aditus, qvi plures ſimul incedentes admittat. Magnus hic olim in feſto D. Michaelis (in qvo encænia ibidem celebrare conſveverunt) hominum confluxus; ritus ac ludi varii, qvi jam aboliti.

De origine & fundatione hujus templi, certi qvid non conſtat. Suſpicor fanum fuiſſe Idololatricum in Chriſtianos uſus tandem converſum.


STAVANGRIENSIA.

MOnumenta qvæ in Dioeceſi Stavangrienſi extant, ſuis ſumptibus & labore non exiguo colligi curavit vir Reverendus & clariſsimus Dn. M. Thomas Vegnerus hujus provinciæ Epiſcopus vigilantiſsimus, qvi ut non ſecus ſua induſtria in priſcarum inſcriptionum ruderibus colligendis, Stavangrienſi Diœceſi famam conciliaret, ac ejus anteceſſor Topographica ejusdem delineatione, nihil intentatum reliqvit. Qvod verò eventus in omnibus votis minùs reſponderit, variis tempeſtatum imputandum injuriis, qvæ cautium ſoliditati parcere neſcia, multos literarum abſtulerunt ductus; ſaxa ipſa corruperunt, vel ſolo impacta fregerunt, magno venerandæ antiqvitatis detrimento. Nec parum laudabilibus ejus conatibus obſtitit penuria eorum qvi priſcæ noſtræ literaturæ ſcientia inſtructi, ſuam hiſce impendere operam potuerint. Grato interim animo viri Religioſiſsimi excipienda

enda eſt opera, qvam alii ut imitentur, patriæ amor & publicum bonum merito ſtimulare deberent. Qvæ accepimus limâ noſtrâ aliqvantulum polita, fide haud ſubleſtâ hic offerimus.

PRIMUM.
BOENSE.

A Metropoli Diœceſis Stavangrienſis vix unius milliaris intercapedine diſtat Curia *Bó* dicta, Parochiæ *Ranneber* ſubjecta. Hic cippus, à baſi latiori in apicem acutum ſurgens, reperitur, materiæ ſolidioris, coloris cinerei, longitudine ſeptem ulnarum, latitudine duarum, craſsitie unius qvartæ, notas haſce exhibens.



ᚴᛅᛚᛒᛁᚬᚱᚾ: ᛋᛅᛏᛁ: ᛘᛁᚴ: ᛁᚴᛁᚾ.

Kalbiorn ſeti mig igin.


KALBIORNUS ME REPOSUIT.

ᚴᛅᛚᛒᛁᚼᚱᚾ ex voce ᛒᛁᚼᚱᚾ qvamplurima extant veterũ nomina compoſita, cujus ſenſus & hoc, forſan à *Kal* vitulo, vel frigido & *urſo* conflatum. Freqventius eſt *Halbiorn*, & neſcio an ſuſpicari liceat hic ita exaratum fuiſſe, & reliqvos ᚼ literæ ductus transverſos obliteratos fuiſſe, remanente unico illo. Pro ᛒᛁᚼᚱᚾ in aliis ᛒᛁᚢᚱᚾ lego. Extat & in hac voce obſervanda coalitio duarum literarum in unam: nam pro ᛅ & ᛚ unam habes compoſitam ᛅᛚ.

Seqventium vocularum ductus multum depravati; verum ita ut ſcripſi commode reſtituti poſſe videntur.. In ultima ᚴ ᚾ dubius adhuc hæreo; ſuſpicor plures in hoc lapide fuiſſe notas, ab eo qvi notavit non animadverſas. Hic tamen inſcriptionis ſenſus eſſe poteſt. Kalbiurnus ſaxum ab alio poſitum, temporum verò injuria collapſum ſuo ſitui reſtituit, ne tam præclari monumenti memoria obliteraretur.

SECUNDUM.
SORBOENSE.

IN *Rennerſoè* cœmeterium qvod templum cingit *Sórboenſe* lapidem tenet qvadratum, rudem, cinereum, qvatuor ulnarum longitudine, duarum cum ſemiſſe latitudine, pollicum trium craſsitie, hæc oſtentantem.



ᛏᚢᚱᛘᚢᚦᚱ: ᛅᚢᚴ: ᚦᚢᚱᚴᛅᚱᛚᚾ: ᚢᛁᛋᚦᚢ: ᛋᛚᛅᛁᚾ: ᚦᛁᛋᛅ: ᚴᛁᚱᚴᛁᚢ.

Turmudr aug Turkarln visdu ſlain diſa Kirkiu.

TURMODERUS ET THURKILLUS LAPIDES HUIC TEMPLO SACRARUNT.


ᚢI-

ᚢᛁᚦᛋᚢ Mendum hic eſſe res ipſa docet, vox alioqvin ex qva totius inſcriptionis ſenſus dependet; qvod ſi *vidſu* à verbo **Jeg vier** deducatur, ſacrare, dedicare notat, ut indicetur, duos hoſce in monumento nominatos, aut templum dedicaſſe, aut lapides ex qvibus templum conſtructum, eidem conſecraſſe & dediſſe, aut primum fundamentalem lapidem, more priſco, poſuiſſe, templiq; ſtructuræ præfuiſſe. Qvæ haud abſurdè dici poſſunt.

Extat in eadem inſula *Renneróe* ſub templi primarii ſtrúctura, lapis Runicis notis inſignitus, cujus neq; lineæ omnes, neq; magnitudo haberi poteſt, eo qvod maxima parte templi parietibus tegatur, qvædam ex eo excerpta ſunt literæ; qvas hic ſubjungere libet, ut ex iis conſtet, qvam difficile ſit ex ejusmodi pravè deſcriptis lineamentis certi qvid colligere. Hac ſerie eas accepi.

ᚢᛆᛁᚦᛆᚱᛆᛆᚼᚢᛆᛁᛆᛚᚠᛁᛋᚼᛁᛚ ᚼᚦᛦ ᛚᛆᚴᛩᛁᚱᚠᛏ ᚱᛆᛦᛦᛆ.

TERTIUM.
EVIENSE.



IN Præpoſitura *Røbygdelag* dicta, cataracta aqvarum magno impetu ſe de cautium præruptis præcipitantium extat, vernaculè *Fennie ſos* dicta. Huic ex adverſo in parochia *Evie* ſaxum poſitum reperitur, oblongum, qvadratum, cinereum, trium ulnarum menſuram in longitudine habens, trium qvartarum ulnæ in latitudine, qvà Evronotum ſpectat literis grandibus exornatum in hunc modum.

ᚴᛆᚦ ✠ ᛆᚱᚴ᛬ᛋᛏᛁᚾ ✠ ᚱᛁ᛬ᛋᛏᛁ ✠ ᛬ᛋᛏᛁᚾ ✠ ᚦᛁᚾᛆ ✠ ᛁᚠᛋᛏᛁᚱ ✠
ᛒᛁᛆᚱ ✠ ᛬ᛋᚢᚾ ✠ ᛬ᛋᛁᚾ ✠ ᛬ᛋᛆ ✠ ᚢᛆᚱ ✠ ᛏᚢᚦᛁᚱ ✠ ᛁ ✠ ᛚᛁᚦᚾᛚ᛬ ✠
ᚴᚾᚢᛏᛁᚱ ✠ ᛬ᛋᛆᛏᛁ ✠ ᛁᚴᛚᛆᛏ ✠

God Arkſtin riſti ſtin dina iſtir Bior ſun ſin ſa var tudr i Lidnlis, Knuter ſati iklot.

BONUS ARKSTINUS SCULPSIT LAPIDEM HUNC IN MEMORIAM BIORNONIS FILII SUI, QVI OBIIT IN LIDNLIS, CANUTUS POSUIT ORNAMENTA.

Plæraq; hujus monumenti per ſe ſatis clara. ᛆᚱᚴ ᛬ᛋᛏᛁᚾ duabus vocibus ſcriptum habuit Apographum, ſed non dubito quin unica ſit vox, nomen habens ejus qui hoc monumentum poni curavit.


ᛒᛁᛆᚱ, forſan deeſt litera ᚾ Biornonem intelligit.

ᛁᚴᛚᛆᛏ. Aut mendum hic eſſe neceſſum eſt, aut quidpiam nobis jam minus tritum hac voce indicari, arbitror, ſuſpicor quidpiam innui qvod ad hujus monumenti complementum aut ornamentum ſpectet, qvocirca per *ornamenta* reddidi, donec ſit qui commodius quid inde eliciat.

QVARTUM.
BYGLANDENSE I.

CUria paſtoris *Byglandenſis* lapidem tenet planum, quadratum, trium ulnarum longitudine, unius latitudine, craſsitie quartæ unius. Sepulchralem fuiſſe & figura & inſcriptio docet. Sed ad alios uſus traductus, jam disjectus jacet. Inſcriptionis hic tenor.

ᚴᚢᚦ



ᚴᚢᚦ ᚼᛁᛅᛚᛒᛁ ᛋᛁᛚ ᛘᛅᛁᚿᛁᛚᛏᛅᚱ

Gud hialpi ſil Mainiltar.


DEUS IUVET ANIMAM MAINILTRÆ.

Chriſtianum eſt, nec usq; adeò magnam præ ſe fert antiqvitatem. Votum Chriſtiano dignum locum fuſioris encomii occupat.

ᛘᛅᛁᚿᛁᛚᛏᛅᚱ, ſuſpicor legendum eſſe ᛦᛅᚴᚿᛁᛚᛏᛅᚱ, ita enim aliæ habent inſcriptiones, & tritum ſatis hoc nomen in hiſtoria Norvagica.

QVINTUM.
BYGLANDENSE. II.

EJusdem cenſus & alter lapis eſt, qvi in eadem extat curia: ſed minor aliqvanto, trium utpote ulnarum cum dimidia longitudine, totidem qvartarum latitudine, craſsitie dimidia qvartæ. Jam eo ſitu ut pedibus omnium teratur. Hæc autem habet:



ᚦᛁᛏᛅᚠᚱ ᛋᛅᛁᛅ ᛋᚢᚴᚱ ᚱᛅᛁᛋᛁ ᛋᛅᛁᚿ ᛅᚠᛏᛁᚱ ᛅᛏᛅᚠ.

Cate-

Cætera depravatè adeò ſunt notata, ut ex iis certi qvid colligere non detur.


Dolafr Siaia ſun raiſti ſtain eſtir Alaf.

DOLAFUR SIAJÆ FILIUS LAPIDEM OLAO POSUIT.

Reliqva qvidem ibidem extantia, ut à qvodam Literaturæ noſtræ perito exactius annotarentur, operæ foret precium. Incertis conjecturis nos hic non defatigabimus.

SEXTUM.

OMLIDENSE.



FRagmentum eſt qvod portam templi *Omlidenſis* exornat, licet qvatuor ulnarum attingat altitudinem, trium qvartarum latitudinem & unius ſuperet craſsitiem. Id enim evincit tam principium qvam finis inſcriptionis, qvæ in ea deſiderantur, niſi in aliis ejusdem lapidis lateribus, qvæ de-

deſunt extare qviſpiam oſtenderit. Latus templi auſtrale occupat monumentum, ſed literarum notæ occidentem ſpectant. Aliunde huc tranſlatum eſſe conſtat, uſibus hiſce ut inſerviret.

ᛋᛆᛁᛏᚢ: ᛋᛏᛆᛁᚿ: ᚦᛁᚿ: ᛂᚠᛏᛁᚱ: ᛒᛁᚴ

Saitu ſtain deni eftir Pik.

LAPIDEM HUNC POSUIT PIK.

Deſideratur tam integrum nomen ejus qvi lapidem poſuit, qvam particula ejus cui poſitus eſt, ex qvo tres tantum ſuperſunt literæ, qvæ de aliis qvas non accepimus teſtari poſſunt.

SEPTIMUM.
AVELSNESENSE.



DOlendum temporum ac tempeſtatum injuriis adeo obliterata eſſe ea, qvæ grande illud ſaxum occuparunt, qvod

qvod prope templum ſpectatur *Avelſneſenſe*; ut ex iis certi qvid colligere non detur. Ipſa ſaxi facies pyramidem referens, & Magnitudo ſuſpicienda majeſtatem præ ſe fert, & de inſcriptionis teſtari poteſt momentis. Longum eſt ulnas decem cum dimidia, latum unam cum ſemiſſe, craſſum qvartam ulnæ, occidenti reſiduos notarum tractus obvertens. Qvi qvamvis ſenſum nullum ſuggerant, annotandi tamen hic ſunt, ut ſi qvis tandem accuratiori indagine eos luſtraverit, collatis omnibus, aliqvid eruat poſteritate dignum.

Inter ea qvæ magnam ſpirant antiqvitatem ſuo merito repono: dignum qvippe cui plus operæ impendatur, cum dubium non ſit, qvin de re memorabili teſtetur.

OCTAVUM.
TUNSTADENSE.

D*Aliorum* præpoſitura inrer reliqva *Tunſtadenſe* tenet templum, nuperè renovatum. Hic ubi campanæ ſuſpenſæ detinentur, cernere licet aſſerem ex veteris templi ſtructura adhuc aſſervatum, qvi juxta longitudinem haſce notas cultro inciſas oſtentat. Duo verò in eo continentur literarum ductus; qvorum prior hæc habet.

B᛭ᛦRᚢᛋ: Bᛦᚢᛚᛚᚢᛋ: ᛦᚴᚦR᛭ᛦᛋ: ᛘᛦRᛉᚢᛋ: ᛘᛦRIᛦ: ᛘᛦᛏᚼ᛭ᚢᛋ. ᛚᚢᛉᛦᛋ: Iᚯᚼᛦᚴᚴ᛭ᛋ: ᛏ᛭ᛦRᛦ: ᛉRᛦᛘᛦ: ᛏᚯᚴ: ᛦᚹᚴᛦ: ᛦᛉIᚯᛋ: ᛦᚴᚴᛦIᛚ: ᛘIᛋᛋᛦ᛭ᛚ: I᛭ᛋᚢᛋ: ᛉᛋIᛋᛏᚢᛋ: ᚹᚢ reliqva hujus ductus deſiderantur, ſiqvidem aſſeris particulam abſtulit temporis injuria: ſenſus verò horum hic eſt:

PETRUS, PAULUS, ANDREAS, MARCUS, MARIA, MATHEUS, LUCAS, JOHANNES, TETRAGRAMMATON, AGNA, AGIOS, ANNAIL, MISSAEL, JESUS, CHRISTUS GU.

Literatum ſeries altera hæc habet.

ᛘᛦRIᛦ. ᛘ. ᚼIᛚᛦ: ᚼIᛚᛦ: I᛭ᛋᚢᛋ: ᛉRIᛋᛏᚢᛋ: ᚼIᛚB ᚼᛦᛉᚯᚴ

MARIA. M. hila bila Ieſus Chriſtus hilp Hakon.

MA-

MARIA MATER SANCTA SANCTI JESU CHRISTI JUVA HAKONEM.

In ſerie prima contextus literæ qvædam haud probè ſatis erant exceptæ, qvæ tamen ponderata ſenſus vi & emphaſi, facilem admiſerunt limam. In prima voce BᚼᛆRᚢ! pro ᚼ & ᛆ poſitum erat ᛉ. In ᛆᚴᚦRᚼᛆ! poſt ᚴ punctum notavit, loco ᚦ & R hanc notam ᛉR exhibuit, ſed forſan ᛆR ſcribendum erat. Vocem Tetragrammaton in tres diſtinxit ſeparatas claſſes hoc pacto: Tetra. Gramma. Ton, tribus punctis qvamvis ſeparantibus, Græcæ linguæ imperitiâ. Minora ſphalmata non annotabo. In altera ſerie rariores aberrationes, ſed vox penultima plane erat depravata. Poſt primam vocem, loco puncti poſita erat I. Hanc ſeqvitur ᛘ litera ſola etiam cum puncto, qvæ an MESSU, an MAGDALENA an MODUR denotare debeat, non adeo liqvidum, in poſteriorem tamen ſententiam inclino, ut ſenſus ſit. Maria mater ſancta ſanctiſsimi Jeſu Chriſti juva Haqvinum.

ᚼᛆᚴᛆᚿ Haqvinum notat. Exiſtimant accolæ vetus templũ ab Haqvino Rege Norvagiæ exſtructum fuiſſe in honorẽ D. Mariæ matris Chriſti, unde etiamnum templum D. Mariæ vocatur. Olim verò hic qvotannis magnus celebrabatur conventus, qvem MARIU MESSU indigetabant, Enceniis, miſſæ celebratione, aliisq; tum conſvetis ritibus nobilitatus.

NONUM.
LUNDENSE.

Lundenſi parochiæ annexa eſt *Tuneſtadenſis* de qva ſupra dictum. Ea verò ſuis etiam non deſtituitur priſcæ literaturæ notis. In hoc enim Lundenſi templo janua eſt carie & vetuſtate fermè conſumpta, cui notæ qvædam tribus in locis inciſæ conſpiciuntur, qvarum ſenſum non adeo facile aſſeqvetur is qvi majorum varios literas intricandi modos non obſervaverit.



ᚱᛆᛚᚵᚿᛂᛋ, RALGNES forſan Agnes: ſecundum legendum cenſeo ᚱᛆᚿᚢᛚᚠ *Ranulf*, nomen proprium ſatis frequens. Infima inverſim ni ponas nihil colliges, pro ᛁᛚᚦᛆ forſan ᚴᛁᛚᚦᛆ ponendum. Hoc pacto ſequentia elicies ab ultimo auſpicando ᚴᛁᛚᚦᛆ ᚱᛆᚿᚢᛚᚠ ᛋᚢᚿ ᚴᛚᛆᚱ; conventus Ranulfi filii Glari. Hic forſan januam iſtam ſuis ſumptibus templo dedicavit. Olim ſocietates & conventus quibus à Divis appellationes tribuebant, *Gilde* vocabant ut S. *Olafs* gilde &c. De his ita Henricus Spelman in Gloſſario. *Gilda (exteris Gildoria) eſt ſocietas quorundam puta charitatis, religionis vel mercaturæ gratia confœderatorum, bona quædam interdum & prædia, necnon aulam ſocietatis prætorium, habentium communia. Latinis collegium, fratria, fraternitas, ſodalitium adunatio. Hincmaro confratria. Ariſtoteli, Plutarcho & Græcis* Φρατρία, *quod communi puteo (qui Græcè* Φρέαρ *poëticè* Φρεῖαρ *appellatur) uſi ſunt. Inde nomen quod ex conjectis pecuniis ſodalitii impendio ſubminiſtratur; nam geld & gild pecunia, ſolutio, gildan ſolvere tribuere.* Docet ibidem Gildarum nomine contineri

non

non ſolum minores fraternitates & ſodalitia; ſed ipſas etiam civitatum communitates.

DECIMUM.
OLDGARENSE.

IN *Soghedalia* curiam quandam *Oldgard* dictam exornat ſaxum cinereum duas ulnas longum, dimidiam latum, ſemiſſem quartæ craſſum, cui hæc ſunt commiſſa.




ᛋᛅᚼᛋᛁ ᚱᛁᛋᛏᚦ ᛋᛏᛁᚴᚦᛁᛘ.
Sachſi riſtd ſtin dina.
SAXO LAPIDEM HUNC POSUIT.

Valde depravata excepta erat hæc inſcriptio, in primis vero vox prima autoris nomen continens, collatis tamen omnibus hæc quæ poſuimus lineamentis maxime reſpondebant.

UNDECIMUM.
FLIKEFIORDENSE.

CAmino Præfecti in *Flikeſiord* inſertus eſt lapis duarum circitur ulnarum longitudine, latitudine quartarum duarum cum ſemiſſe, craſsitie dimidiæ. In *Liſtria* ſitus eſt hic locus, Parochia *Lundenſi* prope NESSE. Præterquam qvod literis exornatur Runicis, dimidiati canis oſtentat lineamenta. Sepulchro olim adaptatum fuiſſe docet inſcriptio: quæ talis.



ᚠᚢᚾᚱ : ᚱᛁᚠᛅᛋ : ᛋᚢᚾ : ᛚᛁᚠᚱ ᚼᚱ.

Gunar Rifas ſun ligr her.


GUNARUS RIFÆ FILIUS HIC CUBAT.

Peculiare hoc habet, qvod R finale non literam ſed ſed ſyllabam ER exprimat, qvod in aliis qvoq; obſervatur. Inde ᚠᚢᚾᛅ per *Guner* exprimendum, ᛚᛁᚠᚱ per *liger*, ᚼᚱ per *Her.* Apparet alienos in uſus traductum eſſe lapidem, qui antiquitatem usq; adeo magnam præ ſe ferre non videtur.

DUODECIMUM:

SCALEVOLDENSE.

IN eodem diſtrictu Liſterenſi prædium eſt **Skaalevold** dictum, cui adjacet ſaxum pontis vices tranſeuntibus præbens, quatuor ulnas cum dimidia longum, ſeptem qvartas latum, unam craſſum, colore ad cinereum vergens, cujus circum ferentia hac literarum ſerie exornatur.



ᚱᛆᚿᚢᛆᚢᚴ: ᚱᛆᛁᛌᛐᛁ: ᛌᛐᛆᛁᚿ: ᛆᚠᛐᛁᚱ: ᛆᚴᛘᚢᚿᛐ: ᚼᚱᛆ-
ᛒᛁ: ᛌᚢᚿ ᚢᛆᚱ: ᛌᛁᚿ ᛌᚴᛆᚴᚱᛒᛆᚱᚦᛁ.

Ranvaug raiſti ſtain eftir Egmunt her Ebi ſun var ſin Skokr-bardi.

RANVAUG POSUIT LAPIDEM AGMUNTO FILIO DOMINI EBERI IS ERAT SKOKER-BARDI.

Plæraq; hujus monumenti per ſe clara ſatis ſunt, excepta voce ultima, cujus ſenſum non aſſeqvor. Aut nomen officii, aut loci eſſe videtur, de qvo videant alii.

TRE-

XIII.

FRAMVARDENSE.

HUjus monumenti meminit Petrus Claudii Undalenſis in Deſcriptione Norvegiæ ante annos aliqvot vernacule à me edita. De Liſterenſi Præfectura agens hæc habet. Ad Boream (Liſteræ) inter ſcopulos lacus extat aqvæ dulcis FRAMVARDE dictus tantæ profunditatis, ut qvibusdam in locis fundus nulla arte inveniri poſsit. Hic in ſcopulo ſupra aqvas eminente, hi leguntur characteres:

ᚢᛦᛁᛅᛁᛁᚱᛁᚦᛁᛚᛅᚺᛁᛅ.

Qvi adeò ſunt conſpicui & clari, ac ſi ante annos non adeo multos fuerint exarati, licet ante centenos aliqvot poſitos credibile ſit. Hi autem characteres ferro inciſi non ſunt, ſed qvaſi alio lapide ſcopulo affricti, qvod mirum.

Ejus delineationem talem transmiſsit Reverendus Dn. M. Thomas Vegnerus loci Epiſcopus:



Rem ipſam qvod attinet, exiſtimo plures hujus generis notas, huic ſaxo mandatas, qvæ vel tempeſtatum injuriis periere, vel non animadverſæ ab iis qvi has deſcripſerunt,

qvod

qvod vel ex copulativa ᚢᚴ qvæ primum locum hic occupat, colligere datur, qvæ antecedens aliqvid ſupponit. A diverſis hanc inſcriptionem nactus ſum, ſed ne unica litera auctam. Qvidam primam literam non ᚢ, ſed R legunt; & pro ᛘ ᛘᛁᚿ hoc pacto: ᚱᚴᛁᛅᛁᛁᚱᛁᚦᛁᛘᛁᚿ, ᛋᛁᚿ, Ab accolis à literis Runicis hic conſpicuis *Runefield* vocatur; qvò propius te ſcopulo admoveris, eò minus apparent characteres.

Conjecturæ ſi locus aliqvis detur, ego ſic legendum arbitror.

ᚢᚴ ᛁᛅᚢᚱᛁᚦᛁ ᛘᛁᚿ ᛋᛁᚿ.

ET JAVRIDI CORCULO SUO

In ᛁᛅᛁᛁᚱᛁᚦᛁ duæ lineæ neceſſario conjungendæ ut ᚢ conſtituant, nuſqvam enim in monumentis noſtris geminatum I occurrit, & majores noſtri magis ellypſi qvam Ploenaſmo ſtudebant literarum. JAVRIDI igitur proprium erit nomen, fæminæ forſan, cui hæc dicata inſcriptio.


ᛘᛁᚿ. Vox diminutiva amorem importans, ut Hierte lil corculum, &c. Sed de hiſce viderint illi, qvibus accuratius ſingula rimari conceſſum fuerit.

Qva verò arte characteres hi ſcopulo ſint impreſsi, monere paucis lubet, cum non ubjvis ſit obvia; ſed ut multa veterum præclara inventa, deperdita ferme. Conficiebant majores noſtri, ex pice, ſangvine Phocarum & aliis ejus generis atramentum qvoddam, qvo literas & characteres, lapidibus, oſsibus, aliisq; rebus durioribus mandabant, nulla tempeſtate, aut temporis injuria delebiles. Hoc *ſeltiere* vocabant, à præcipuis hujus miſturæ ingredientibus, pice nempe liqvida & ſangvine Phocarum. Tali magmate exaratos eſſe hoſce characteres autumat vir clariſsimus Arngrimus Jonas in Apologetici hiſtorici & chorographici contra Pontanum parte ſecunda, ubi addit, ad Iſthmum occidentalis Islandiæ *Hyttars*, ſcopulos eſſe *Biſcops Bode* dictos & paludem in eodem ſtagnantem littore *Liika Tiorn*, qva ſubmerſorum nautarum corpora abluebantur (qvaſi funerum aut funeſta palus) ibidem dentes Balenarum precioſos vel potiores (for-

ſari vulgare unicornu) naufragio ſubmerſos, ac ſubinde maris æſtu omnia turbante funditus, & converrente, in littus ejectos, repertos eſſe, literis Runicis inſcriptos vel ſignatos (ut ſuos nautarum qvilibet agnoſceret) glutine indelebili, coloris rubeſcentis. Ubi nota, non nigri ſaltim, ſed rubicundi, imò & cinerei aut alterius coloris fuiſſe hoc qvod Arngrimus gluten; nos Atramentum veterum vocamus, eò qvod eundem uſum habuerit cum noſtro, qvo vulgò ſcribimus, aut literas prælo Typographico premimus.

XIV.

ANDERNESENSE.



MAndalenſis provincia Parochiam inter reliquas tenet *Aadernes* dictam, in cujus cæmeterio, qua plagam templi orientalem ſpectat, grande ſaxum erectum conſpicitur octo ulnarum longitudine, tres quartas latum cum dimidia, craſſum unius quartæ partem dimidiam. Auſtralis ejus plaga craſsitiem lapidis conſtituens, hæc continet à parte ejus infima, terræ infixa, ſurſum verſus progrediendo, legenda.

ᛅᚱᛁᚿᛏᚱ. ᚴᛅᚱᚦ. ᚴᛁᚱᚴᛁᚢ. ᚦᛁᛋᛅ: ᛒᛅ. ᛋᚢᚿᚱ: ᚯᛚᛅᚠᛋ. ᚼᛁᚿ. ᚼᛅᛚᛅ. ᛅᚯᚦᛅᛚ. ᛋᛁᚿᚢ.

Arintr gard kirkiu deſa pa ſunr Olafs hin hala aodali ſinu.

ARINTERUS STRUXIT TEMPLUM HOC SUPRA FILIUM SANCTI OLAI SUI COGNATI.

HiſtoriamS. Olai, cujus hic fit mentio fusè alii deſcripſerunt; rerum ab ipſo geſtarum ſeriem ſuccinctè perſequitur Regum Norvegorum Chronicon lingua vernacula à nobis editum Hafniæ anno MDCXXXIII. Breviarium Arhuſienſe Anno Chriſti MDXIX, pontificatus Nicolai Clauſon XXIX, Arhuſiæ editum per Melchiorem Blume, aſſerit. *Sanctum Olaum occubuiſſe in calendis Auguſti feria quarta, milleſimo & XXVIII anno ab incarnatione domini, pro fidei defenſione ab inimicis fidei crudeliter interemptus.* Qvis verò ſit ejus filius in cujus memoriam templum hoc exſtructum non adeò liquet.

Magnus namq; Rex qui demum ad imperium pervenit, in Cimbria mortuus eſt & ab Einero Tambeſchelver Nidroſiam translatus, ut apud parentem in templo D. Clementis ſolemni pompâ ſepeliretur. Memorat quidem Chronicon Norvagiæ pag. 343. hunc Magnum fratrem habuiſſe *Tore af Stegen* dictum, qui forſan is fuit, cui poſt obitum, hi honores ſunt delati.

ᚯᚦᛅᛚ *Odal* bona hæreditaria notat, ſeu prædia libera nulli ſervituti obnoxia; quibus Feuda opponuntur ſervituti ſubjacentia. Convenit hæc vox cum ALLODIO, qvod notat hæreditatem qvæ nobis à parentibus obvenit,

à familia inſeparabilem. Hinc *Allodiarii* qui Allodia tenebant & de prædiis ſuis ſtatuere poterant inconſultis dominis, Noſtratibus *Odals godtz.* Eſt igitur *à odali ſinu*; ſuorum prædiorum & bonorum hæres, ſeu ejusdem familiæ vir. Occidentem quà ſpectat ſaxum hoc, etiam literis exornatur, quæ non eadem dexteritate exceptæ, nobis ſcrupos injiciunt haud exiguos. Sic enim accepimus.


IᚢᛉIRI ᚼRIÞIᚢᚴᚼᚠ: IIBᛋ.

Davus hic ſum, non oedipus.

XV.

FROELANDENSE.

FRoelandiæ templum, in Præpoſitura Nedenes ſitum, oſtentat in cæmeterio cippum in apicem acutum deſinentem, quinq; pedum longitudine, latitudine unius, craſſum pedem circiter, cujus notæ à baſi in apicem excurrunt hac ſerie:



ᛡIRᛚᚢᚠ RIᛋᛏ ᚼᚠᛏR ᛋᚢᚴ ᚴᚢᚾᚢ ᛆᛋBIRᛏᛆ.


Herluf riſt eftr ſuu kunu Asbirtr

HERLUFUS NURUI SUÆ ASBIRTÆ POSUIT.

HEL-

.IXVI.
HELLELANDENSE I.

SEqvens inſcriptio extat in prædio qvodam dicto HEL-LELAND, Parochiæ *Haalandiæ*, Provinciæ *Iederenſis.* Saxum oblongum eſt qvinq; ulnarum, latum pedem unum cum ſemiſſe, craſſum qvartam cum dimidia; Literarum hic tenor:



IÞRÞI. RIᛋÞI. ᛋᛏIᚿ. Þᛅᚿᛅ. IÞᛏIR. ᚿIᛅᚴᛅ. ᛋᚢᚿ. ᛋIᚿ. ✱ᛅRÞᛅ. ᚴᚢÞᛅᚿ. ᚴᛅᚿ.


Igerdi riſti ſtin dena iſtir Niaka ſun ſin herda guden kan.

INGERDIS LAPIDEM HUNC POSUIT NIAKÆ FILIO SUO, DOMINO DEO NOTO.

Qvid de ultimis in hoc monumento ſtatuere debeam verbis, vix adhuc conſtat. Vide qvæ de formulis fermè ſimilibus diximus in monumentis Scaniæ, conſule Monumentum VIII & XIV Scanicum libri III.

XVII.
HELLELANDENSE II.

IN prato qvodam ad idem ſpectans prædium & aliud reperitur ſaxum, ſed minus; longitudine decem pedum cum ſemiſſe, duorum cum ſemiſſe latum, craſſum dimidia qvartæ; cui hæc clara & expedita ſatis ſunt commiſſa.



ᚦᚢᚱᚠᚢᚦᚱ: ᚱᛁᛋᛏ: ᛋᛏᛁᚴ. ᚦᛆᛘ. ᛆᚠᛏ. ᚦᚱᚢᛘᛏ· ᛋᚢᚴ. ᛋᛁᚴ.

Thurgudr riſt ſtin dena eft Thrunt ſun ſin.

THORGUDERUS LAPIDEM HUNC POSUIT THRONDONI FILIO SUO.


ᚦᚢᚱᚠᚢᚦᚱ. Qvod ſi vox diviſa eſſet, legi poſſet Thor guder. Deus Thoro, magna devotione ab ethnicis ſeptentrionalibus olim cultus; de qvo vide librum primum cap. VI. ſed probabilus, hoc in loco nomen eſſe viri, à Thorone qvi appellationem mutuaverit. Sic dictus qvaſi bonus Thoro, nam ᚠᚢᚦᚱ adjective bonum notat, jam *god.*

ᚦᚱᚢᛘᛏ. *Thrunt.* A qvodam hujus nominis, appellationem ſumpſit celebre Norvegiorum emporium *Trontheim*, qvaſi domicilium Thrundonis diceres; Nidroſiam vocant alii, à præterlabente flumine Nidda.

XVIII.
NIERUMENSE.

PRope cæmeterium *Nierumenſe* ad ſeptentrionalem templi plagam, in colle ſaxea extat moles, crucem ferme referens,

ferens, ſculptura literarum orientem verſus ſpectante, & per corpus ipſum duplici ſerie à baſi ad apicem perreptante, in hunc modum.



ᚴᛅᚢᛏᛅᚱ ᚱᛅᛁᛋᛏᛅ ᛋᛏᛅᚾ ᚦᛅᚾᛅ ᛋᚱᚴᚦ ᚴᚢᚱᚴ ᛅᚠᛅ ᛋᛏᛅᛁᚾᛅᚱ ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ ᛋᛁᚾ ᛁᚾ ᚢᛚᚠᚱᛁᚴᚱ.

Gauter roisdi ſtan dena ſergd kurk afa Stainar Brudur ſin in Vlfrikr.

GAUTERUS LAPIDEM HUNC ET TEMPLUM POSUIT IN MEMORIAM STENONIS FRATRIS SUI IN ULFRIKIA·

Saxi moles longitudine eſt novem pedum, latitudine duorum cum ſemiſſe, craſſitie qvartæ unius.

ᛋᚱᚴᚦ, In voce hac mendum eſſe neceſſum eſt, vel enim

nim qvippiam hic poſitum, qvod notet templum huic ſaxo vicinum in memoriam Stenonis exſtructum eſſe à Gautero, vel indicabit ſaxum hoc templo ſaltim vicinum locum obtinuiſſe. Prius magis arridet. Forſan legendum ᚦᚼᛘᛅᛁᚱ ᚢᚠ, ut nos expoſuimus.

ᚢᛚᚠᚱᛁᚴᚱ; Ubi locorum tractus aút prædium ſit, qvod *Vlfrikr* olim vocatum, non liqvet, extat in provincia Norvagiæ *Sundmöer* dicta, portus *Vlſvaag*, an huic vicina, diſpiciant alii.

XIX.

SKIEFUELANDENSE.

ADeo negligenter excepta ſunt ea qvæ hoc lapide continentur, ut nihil eruere licuerit, oculis literatis dignum, aliis igitur ejus ſenſum rimandum relinqvere cogimur. Lapis alioqvin disjectus jacet, novem pedum longitudine, qvinq; latitudine, craſſitie dimidiæ qvartæ.

XX.

STANGELANDENSE.


IN Parochiâ *Hoiland*, viâ regiâ, qvæ Stangelandiam ducit, collis ſeu monticulus arte extructus cernitur, cujus occidentalem plagam, claudit ſaxum trium ulnarum cum dimidia longitudine, latitudine totidem qvartarum, craſſitie qvartæ unius cum ſemiſſe, coloris cinerei, duabus literarum ſeriebus per ambitum pulchre dotatum, in hunc modum orientem ſpectantibus.

ᛅᚠᛁ ᛋᛏᛁᚾᚦᚢᚱᛁ ᛋᚢᚾ ᛋᛁᚾ ᛋᛅᛏᛅᚾᛘᛅᚱᚴᚢ ᚴᛁᛚᛁᚢ ᚢᚱᛅ-ᛁᚢᛒ! ᛋᚴᛅᛚᛏ ᚱᛅᛁᛋᛏᛁ ᛋᛏᛁᚾᛅ.

Afi Stenthuri ſun ſin ſo Tanmarku kiliu, Vrojubs Skalt raiſti ſteina.

SUPRA STEINTHURUM FILIUM SUUM IN DANIA OCCISUM LAPIDES EREXIT UROIUBUS SCALDER

ᛁᛅᛁᚴ



ᛋᛆᛁᚴ ᚦᚢᚱᛁ unica vox proculdubio erit, malè interpunctione in duas diviſa. Crebro enim occurrunt ejusmodi appellationes à Thoro traductæ, ſic *Bergthor* Montanus Thoro, *Stenthor* lapideus Thoro &c:

ᛏᛆᚾᛘᛆᚱᚴᚢ Daniam diſtincte notat.

ᚴᛁᛚᛁᚢ Occidere, verberare, percutere, innuit eum in Dania occiſum.

ᛋᚴᛆᛚᛏ Priſco ævo Poetam notabat. Cujus qvodnam officium, qvænam conditio, pluribus diximus in appendice Literaturæ Runicæ. Titulus erat valde illuſtris, tunc non in minori precio, qvam jam Doctoris aut Magiſtri. Hinc factum ut qvi hac facultate præditi erant ut promptè & eleganter vernacula carmina fundere, & Epitaphia bene meritis concinnare potuerint, eorum nomina in perpetuam rei memoriam ſaxis mandare haud erubuerint.

XXI.

KLEPENSE I.

IN ambitu templi Klepenſis, parte aqvilonari, aſſeri duo literarum ordines ſunt inſculpti, ejus longitudinem ab imo ad ſummum perreptantes: qvorum prior hæc exhibet.

ᚼᚢᛅᚱ : ᛅ : ᛘᛅᚦᛅᚱ : ᚱᚢᚿᛅᚱ : ᚦᛁᛋ : ᛋᛁᚱ : ᚦᛅ : ᛋᛅᚴᛅ : ᛒᛅᛏᛅᚱ : ᚿᚮᛋᛏᛅᚱ : ᚠᛦᚱᛁᚱ : ᛋᚮᛚ : ᚼᛅᛁᚿᛅᚱ : ᚼᛁᛅᛚᛒ : ᚠᚢᚦ : ᚦᛅᛁᛘ : ᛅᚱ : ᛋᚢᛅ : ᚠᛅᚱᛅᚱ.

Huer a madur Runar dis ſeer, da ſage Pater noſter fyrer ſol hedner hialpi gud deim er ſua gerer.

QVICUNQVE HAS ASPICIT RUNAS, ORET PATER NOSTER PRO ANIMABUS ETHNICORUM. DEUS EORUM MISEREATUR QVI ITA FACIUNT.

ᚱᚢᚿᛅᚱ. Nomen hic habes priſcum noſtrarum literarum; ex qvo etiam hoc loco poſito, colligere licet, non ſolum eos characteres, qvibus ad maleficia & incantationes uſi ſunt veteres, dictos fuiſſe Runas, ſed & qvasvis literas ſeptentrionales, piis uſibus accommodatas.

ᛒᛅᛏᛅᚱ. Qvo ævo hæc exarata ſint, qvivis hinc facile collegerit. Mox ſcilicet ab abrogato ethniciſmo. Jubet enim inſcriptio ut pro animabus ethnicorum preces fundantur, eorum ſcilicet, qvi adhuc ſuperſtites erant; ut converterentur, ad Chriſtianam religionem. Qvod vero jubentur Orare *Pater noſter*, omiſſo *Ave Maria*, arguit eo ſæculo apud nos Sanctorum cultum non viguiſſe, in tenellæ Eccleſiæ primordiis.

Ordo alter hæc exhibet:

ᛅᛚᛏᛁᚦ : ᛅᚱ : ᛁᚴᛁᛒᛅᚱᚼᛅᚱ : ᚴᛅᚱᛅ : ᛏᛅᛏᚱ : ᚦᚱᚢ : ᚿᛅᛘ : ᛅᛒᛏᛅᚱ : ᚴᚱᛅᛋᛘᛅᛋᛁᛏ : ᚢᛘ : ᚢᛅᚱᛁᛏ.

Altid er Ingibabr Kara toter dru nom efter kroſmeſit um varit.

SEMPER RECOLITUR MEMORIA INGEBURGIS KARÆ FILIÆ CIRCA FESTUM CRUCIS VERNALE.


ᚦᚱᚢ ᚿᛅᛘ. Senſum harum vocum non ſatis aſſeqvor: interim non abſurda videtur conjectura hic poſita. Ingeburgis namq; aut templum ædificaſſe, aut dotaſſe videtur, ut

in

in animæ ſuæ ſalutem qvotannis circa feſtum Crucis, miſſæ aut vigiliæ celebrarentur; qvod innuere voluit hacce inſcriptione. Feſtum autem Crucis vernale cujus hic fit mentio, incidit in tertium diem menſis Maji, recolebatur enim eo memoria inventionis ſanctæ crucis.

XXII.
KLEPENSE II.

IN ejusdem templi atrio, lapis extat ſeptem pedum cum dimidio, latitudine ulnæ unius cum ſemiſſe, craſsitie dimidiæ qvartæ; cujus per ambitum utrinq; transcurrunt notæ, hanc exhibentes inſcriptionem.



ᚦᚢᚱᛁᚱ!. ✱ᛅᚱᚦᚱ: !ᚢᚴᚱ: ᚱᛅᛁ!ᛏᛁ: !ᛏᛅᛁᚴ: ᚦᛁᚴ. ᛁᚠᛏ. ᛅ!ᚴᛅᚱᚦᛁ. ᚴᚢᚾᛅ !ᛁᚾᛅ. ᛋᚢᚾᚢᚱ. ᚢᚾᛁᚱ.


Thurirs Hardar ſunr raiſti ſtain dis eſt Osgardi kuna ſina ſunar uner-

THORO HARDERI FILIUS LAPIDEM HUNC POSUIT IN MEMORIAM OSGARDÆ UXORIS FILII SUI UNERI.

XXIII.
TANGERENSE I.

IN eodem diſtrictu, parochia *Borenſi* tumulus ſeu collis viſitur, *Tangerboi* dictus, cui impoſita crux lapidea qvatuor ulnis cum qvarta una ſupra terram eminens, duabus lata, craſſa qvartæ ſemiſſe. Hæc tam parte ea qvà Auſtum ſpectat,

qvam qvæ Aqvilonem reſpicit, literis exornatur, ab imo ad ſummum excurrentibus, qvarum difficilis eſt interpretatio, cum omnes non aſſecutus ſit is qvi deſcripſit, ea qvæ capere nobis integrum fuit, exhibebimus. Crux autem ipſa hujus fermè eſt ſtructuræ.



ᚢᛚ RITᛅ ᛋᛏIᚴ ᚦIᚴᛋI ᛂᚠᛏIR ᛅᛚ Bı ᛋᚢᛅᚴᛘᛅ ᛋᚢᚴ X ᚢᛚᚠᛋ.

Vl rita ſtin'denſi eſtir Albs Svanma ſun Vlfs.

ULFO EXARAVIT LAPIDEM HUNC IN MEMORIAM ALBI SVANMÆ FILII, ULFONIS.

RITᛅ differt à RIᛋᛋI, hoc enim erigere & ponere, illud exarare & ſculpere notat.

ᚠᛏIR. E*ſtir* prima vocalis omittitur quam includit ᚠ noſtro more prolata EF.

Se-

Series illa literarum quæ à ſummo ad imum transcurrit recurrendo, adeò depravatè excepta erat, ut difficile ſit quippiam ex datis notis eruere. Pari modo & ea qvæ parte averſa crucis extant, ex quibus horum ſaltim colligere licet veſtigia.

ᛡᛁᛅᛚᛒᛁ: ᚠᚢᚦ. ᚼᛅᛚ, ᚦᛡᚱᛅ.

Hialpi gud ſal dera.

DEUS ANIMÆ EORUM MISEREATUR.

Ethnicis majoribus à poſteris Chriſtianis poſitum videtur hoc monumentum. Illi enim qvia in tumulis more ejus ſæculi, ſepulti erant, poſteri & hæredes cum aliud facere in eorum honorem nequiverint, crucem hanc erigendo, iis benè precati ſunt.

XXIV.
TANGERENSE II.

EXtat in eodem diſtrictu, viâ regiâ quæ *Tangerſhoi*, & *Figgen* intercurrit, lapis quadratus duarum ulnarum cum una quarta longitudine, duarum quartarum cum ſemiſſe latitudine, craſsitie dimidiæ quartæ, cujus notas ad legendum plane ineptas, præterire cogimur, cum ne unius quidem voculæ ſenſum ex transmiſsis colligere datum ſit: aliorum igitur curioſitati relinquendus.

XXV.
SKROTVALDENSE.

PRovincia Walders inter reliqvas parochiam obtinet Dedals cui ſubjacet templum Skrotvaldenſe, qvod pergulam obtinet, in cujus pavimento ligneo fœminæ exſculpta cernitur effigies, binas haſce habens characterum ſeries, à limbo veſtimentorum in caput usq; excurrentes hoc modo:



ᚼᛁᚱ ᚼᚢᛁᛚᛁᚱ ᛁᛚᛁᚿᚿ ᚱᛁᛁᛋ ᛏᚮᛏᛁᚱ ᛆᛚᛏᛁᚦ ᚼᛁᚿᚿᛆᚱ ᛁᚱ ᚵᛚᛁ ᛘᚮᛁᚦ ᛘᚿᛁᛋᚮ ᛆᚠᛏᛆᚿ.

Her huiler Elinn Reis toter altid hennar er gle moid Mneſo aftan.

HIC QVIESCIT HELENA REISI FILIA, SEMPER EI GAUDIA CIRCA MISSARUM VESPERAM.


Qvid ſibi velint poſteriora hujus inſcriptionis verba non ſatis aſſeqvor, niſi indicent in ejus memoriam olim decantatas fuiſſe vigilias, ut hac de cauſa anima ejus meritò lætari deberet.

Qvidam pro ᚠᛁᛋᛁ legunt ᚠᛁᛋᛁ qvod convivium notat, forſan ſtatuto tempore ſingulis annis, ex legato in ejus memoriam convivia celebrata & conventus: vide Mon. IX.

UR-

XXVI.
VRDALENSE.

IN Ejusdem provinciæ Parochia Vrdal/templum eſt turri exornatum, in qva campana viſitur in hunc modum priſcis noſtris literis exornata.



ᚴᚢᚧᛘᛅᚾ ᚴᛂᚱᚧᛁᛘᛁᚴ.
Gudman gerde mig.
GUDMANNUS ME FECIT.

Qvamvis plura hinc ad me delata ſint, tamen mendoſa adeò, ut nihil prorſus inde colligere datum, Aliorum qvocirca induſtriæ aliqvid relinqvendum video.

NIDROSIENSIA.


EX tam vaſto ac amplo Nidroſienſi Epiſcopatu non niſi tria

tria accepimus monumenta, eaq; antiqvitatem penè nullam redolentia. Interim qva transmiſſa facie hic exhibeo.

PRIMUM.

STODENSE.

IN præpoſitura Indhærrit dicta, cum ſepulchrum demortuo cuidam pararent, in ſaxum terra coopertum inciderunt, rude qvidem, ſed qvod in ambitu literarum haſce continebat notas, in medio verò crucem ductibus variis exornatam hujus fermè modi:



ᚼᛁᚱ ᚼᚢᛁᛘᛁᚱ ᛋᛁᚱᛅ ᛁᛚᛏᛅᛘᛁᛏᛏᛁᚱ ᛒᚱᛁᛋᛏᛁᚱ ᚠᛅ-
ᚦᛁᚱ ᛘᛅᚱᛁᚢ ᚱᛁᛁᚾᛁᚱ ᚠᛅᛚᛚᛅᚢᛁ ᚱᛅᛚᛁ ᛅᚴᚴᚢ ᚱᛁᚦᛁᚱ ᛒᛁ-
ᛏᛁᚱ ᚾᛅᛋᛏᛁᚱ ᚠᛁᚱᚱᛁ ᛋᛅᛚᛁ ᚼᛅᚾᛋ ᚦᛅᚱᛋᛏᛅᛁᚾ ᚴᛁᚱᚦᛁ
ᛘᛁᚴ.

Her huiker ſira Ildametter Preſter fader Mariu Reinir. follavi Roli akku rider Pater noſter firi ſali hans. Torſtein gerde mig.

Hic

HIC QVIESCIT DOMINUS ILDAMETTER PRESBITER PATER MARIÆ REINUR, SOCIUS ROLVONIS. OMNES ORATE PATER NOSTER PRO ANIMA EJUS. THORSTEINUS ME FECIT.

Chriſtianum eſſe hoc monumentum & qvidem medii ævi, ſatis conſtat. Qvi primo illud deſcripſit non ſatis aſſecutus eſt omnes ejus ductus; qvocirca non pauca reliqvit nobis dubia. A voce ᛘᛆᚱᛁᛂ usq; ad ᛂᚴᚴᚢ non ſatisfacit. Speramus futurum ut alius hæc & plura ſuo tempore emendet.

SECUNDUM.

TINGVOLDENSE.

Ejusdem cenſus eſt inſcriptio illa qvæ lapidi albicanti in templo *Tingvoldenſi* inſculpta eſt, & muro ſupra aram inſerta hujus tenoris.

ᛂᚵ ᛒᛁᚦ ᚠᛁᚱᛁ ᚴᚢᚦᚱᛋ ᛋᛆᚴᛆᚱ ᛆᚦᚱ ᛚᛂᚱᚦᛆ ᛘᛂᚿ ᛂᚱ ᚢᛆᚱᚦ ᚢᛂᛁᛏ ᛆ ᛋᛏᛆᚦ ᚦᛂᚿᛆ ᛆᚵ ᛆᛚᛚᛆ ᚦᛆ ᛂᚱ ᚱᛆᚦᛆ ᚴᚢᚿᚢ ᛒᛂᚿ ᛘᛁᚿᛆ ᛘᛁᚿᛁᛋᚴ ᛋᛆᛚᛆ ᛘᛁᚿᛆᚱ ᛁ ᚼᛂᛚᚵᚢᛘ ᛒᛂᚿᛂᛘ ᛂᚿ ᛂᚵ ᛂᛏ ᚴᚢᚿᛆᚱ ᛆᚵ ᚵᛂᚱᚦᛁ ᛂᚵ ᚼᚢᛋ ᚦᛂᛏᛏᛂ ᚢᛆᛚᛂᛏᛁ.

Eg bid firi Gudrs ſakar andr lærda men er vard veit a ſtad denu og alla da er Rada kunu bón mina, minisk ſalo minar i halgum bónòm en eg et Gunar och gerdi eg hus dette. Valete.

ROGO PROPTER DEUM UT ALII VIRI DOCTI QVI HUIC LOCO FUERINT ORDINATI, ET OMNES ETJAM ROGAT UXOR MEA RADA UT MEMINERINT ANIMÆ MEÆ IN SANCTIS SUIS PRECIBUS, NOMEN MIHI ERAT GUNERI, ET HANC DOMUM FABRICAVI. VALETE.

Inſcriptio difficultatem habet nullam, videtur enim ab architecto ad aræ locata faſtigium ut in Miſsis & orationibus pro defunctis, locum qvoq; ipſe haberet; qvod hic expetit.


Combinationes litterarum haud infrequentes hic occurrunt ᚿ duplex N, ᚢR, ur, ᚯ diphhongus ø, ᛆᛚ al, ᛆR ar,

Ejusdem ætatis cum templo in qvo reperitur eſſe videtur.

Tertium.

FRØENSØENSE.

IN *Iemptia*, inſula eſt Frøſøe dicta, parochia & templo dotata, in hac ſaxum reperitur, prope mare hujus figuræ, qvod ut ad me tranſmiſerunt, ita hic exhibeo.



ᛏᚱᚢᛁᚿ ᚱᛅᛁᛋᛏᛆ ᛆᚢᛋᛏᛘᚬᚦᚱ ᚴᚢᚦᚠᛆᛋᛏᛆᛦ ᛋᚢᚿ
ᛚᛁᛏ ᚱᛆᛁ ᛁᚦᛁᚿᚢ ᛆᚢᚴ ᚴᛁᚱᚢᛆ ᛒᚱᚢ ᚦᛁᛋᛆ ᚢᚴ ᚼᚢᚿ ᛚᛁᛏ
ᚴᚱᛁᛋᛏᚿᚮ ᛁᚮᛏᛆᛁᛆᚿᛏ ᛆᛋᛒᛁᚢᚱᚿ ᚴᛁᚱᚦᛁ ᛒᚱᚢ ᚢᚴ ᛋᛏᛅᛁᚿ
ᚱᚢᚿᛆᛦ ᚦᛁᛋᛆᛦ.

Truin, Reiſta, Auſtmodr, Gudfaſtar ſun lit rai dinu augkirva bru diſa ug hun lit Kriſtno Iotaiant. Osburn girdi bru ug ſtein Runor diſar.

TRU-

TRUIN, EREXIT, AUSTMOTERUS, GUDFASTERI FILIUS LAPIDEM HUNC PONI CURAVIT ET PONTEM HUNC SCULPI, SACRISQVE CHRISTIANIS INITIARUNT JOTEIMNT. ESBERNUS PONTEM FECIT ET SAXEAS HASCE RUNAS.

Nugæ ſunt & fabulæ qvæ de ſaxo hoc narrant accolæ, Magum videlicet qvendam Runicis hiſce incantationibus ſerpentem ligaſſe, qvi damna qvamplurima indies incolis attulit. Credo hujus fabulæ occaſionem ſumptam ex ductu angvino huic ſaxo inciſo, in qvo etiam hujus inſcriptionis lineæ ac ductus continentur.

Qvia juxta mare poſitam dicunt hanc molem, & mentio pontis cujusdam fit, duumvirûm vel triumvirûm ſumptibus ædificati, id ad poſteros hoc monumento propagatum volunt; ſed in primis hoc; qvod eorum opera Jotheimnt Chriſtianis initiata ſit ſacris.

ᛏᚱᚢᛁᚴ Jam Truid,

ᚱᛅᛁ. Lacuna hic eſt, qvam ſaxi particula avulſa peperit. At facili negotio ſuppletur, hæc enim deſiderari ſenſus docet. ᚱᛅᛁᛋᚦᚢ ᛋᛅᛅᛁᛘ lapidem poſuerunt.

ᛒᚱᚢ Pontem notat, qvi absq; dubio, hoc in loco ubi ſaxea hæc moles poſita, communibus ſumptibus ab hiſce duobus exſtructus fuit. Alioqvin per ᛒᚱᚢ etiam crepidinem & coronam ſaxeam qvâ tumuli magnatum olim in campis cingebantur, denotari alias diximus, adeo ut lapis hic ᛒᚱᚢ dicatur

ᛁᛅᛏᚼᛁᚼᛘᛏ: Regionem arbitror eſſe vicinam Jemptiæ Jøtum Heimar diſtinctius dictam, de qva paucos qvidpiam annotaſſe video, præter amicum meum ſingularem Arngrimum Jonam Crymogææ lib. 1. cap. 4. ubi de gigantibus diſſerit, in hunc modum. *Adde qvod provincia qvædam Norvagiæ ſeu Finmarchiæ contermina,* Riſaland */ id eſt Gigantum terra (nam en* Riſe *&* Reſe *gigantem ſignificat) antiqvitus dicta eſt. A qva non longè abeſt* Jotum Heimar*; id eſt gigantum habitatio, unde etiamnum* en Jæt *gigas.* Hanc igitur regionem ab hiſce ad

Chri-

Chriſtum converſam eſſe arbitror; mutatis namq; duabus literarum notis, hanc vocem planiſsimè hic invenies ᛁᛆᛏᛅ-ᚼᛅᛘᛏ. Non eſt qvod de Cimbria ſeu Jutlandia, olim, eodem autore, Jøtumland dicta, hic qvicqvam ſuſpicemur; cum longiſsimè diſtet ᛘᛆᚴᚦ ab ᚼᛆᛁᛘ; & noſtra abundè, à qvibus & qvando hæc ſacris Chriſtianis imbuta ſit, doceant hiſtoriarum monumenta. Hæc præterea longè ante Jemptlandiam Idolorum abrogavit cultus, & ſe vero Deo devovit.

ᛆᛋᛒᛁᚢᚱᚴ. Tertius hic architectus & Runiſta fuit, qvi inſcriptionis lineas duxit & operi præfuit, reliqvis ſumptus conferentibus.

ᛋᛏᛅᛁᚴ ᚱᚢᚴᛆᛦ. Lapideæ dictæ ſunt Runæ hæ, eò qvòd lapidi huic inſculptæ, raró alioqvin in aliis hoc additum invenies epitheton.

Nondum ex hiſtoriis certò expiſcari mihi datum, qvo tempore Jemptelandia & vicinæ regiones ad Chriſtum ſint converſæ, alioqvin & de ætate hujus monumenti certius qvid proferre poſſemus. Ex rebus geſtis Regis Olai Haraldi f: (qvi inter Divos tandem relatus, eò qvòd convertendis ad Chriſtum Norvagis ſe totum dederit) conſtat, circa annum Chriſti MXX multos adhuc in tractu Nidroſienſi fuiſſe, qvi Idolis ſacrificaverint, & veri Dei cultum totis viribus excluſerint. Ab eo ſæculo certum eſt hoc poſitum fuiſſe monumentum, & vix ante.

Hæc ſunt benigne Lector, qvæ tecum, hac vice è patriæ ruderibus communicare licuit. Si poſthac ab amicis alia transmiſſa fuerint, aut ex adductis accuratius annotata, ea non gravabor hiſce ſubnectere, ut tuo ſatis fiat appetitui. Apud exteros extare qvædam hujus generis novi, qvorum ſpecimina addidiſſem ſi in vota proclives inveniſſem amicos. *Italica*; Volaterrana nempe, Peruſina, Chimeram Florentinam à L. Scradeto productam, aliaq; ejus generis, an huc re-

referam neſcio. Vaticanam ſi excuſſerint Bibliothecam ii qvibus eſt facultas, forſan qvæ huc qvadrent invenient. Gothos enim noſtros tractus iſtos diu incolentes, Cimbrosq; nullam poſt ſe ſuis literis reliqviſſe geſtorum memoriam, vix mihi perſvadeo. Qvod & de iis in *Hiſpania* aliisq; provinciis degentibus ſuſpicor. In *Galliis* prope civitatem Locljenſem in Abbatia *Bealieu* pyramidem extare duodecim ulnarum altitudine, Gothicis literis inſignitam, referunt ii qui res memorabiles Galliæ deſcripſerunt. Hujus delineationem licet promiſerint qvidam, nondũ tamen mihi obtinere eam licuit. Plura in Galliis inveniri non dubito, quibus utinam, inter præclara ejus Regni lumina, eſſent qui operam aliquam locarent. *Anglica* quædam produxit G. Cambdenus: ſed plura Beucelſtriæ & alibi extare monuit me amiciſsimus Spelmannus. De *Sicilia* qvid dicam? Meminit in Siciliæ & objacentium inſularum tabulis antiquis, Meſſanæ ære publico editis, Georgius Gualterus, inſtrumenti cujusdam Wilhelmi II Regis Siciliæ Meſſanenſibus communicati, cui ſigillum appoſitum ipſius Wilhelmi fuit, *in ſigno rotundo ſpecie literarum Gothicarum, ruſo colore.* Vicina nobis non tango, quibus manum admoviſſe virum literatum intellexi. Optandum certe quisq; ſuo loco hiſce ut invigilaret, ne penitus pereant apud eos relicta patrum noſtrorum veſtigia. Qvod jam minori cum difficultate fieri poſſe confido, qvod via per me facta ſit plana & expedita, eaq; quæ alios abſterruerunt obſtacula, remota eſſe credam.

Nota ad paginam 396.

De cornu Oldenburgico, hæc nuper ad me perſcripſit Clariſsimus vir Dominus D. Henricus Cuſterus, ſereniſsimi Principis Chriſtiani V. Archiater, amicus meus dilectus. *Cornu Oldenburgicum tibi ex Chronico Oldenburgico notum vidi, & vino repletum evacuavi. Ex qvo metallo*

fabricatum nemini conſtat. Pes unus diffractus à nullo aurifabro reparari poteſt, qvia non patitur agglutinationem; ſed qvam primum igni apponitur (qvo ſolo mediante agglutinandus) diffringitur. Potus in eo, vinum in primis, aliqvandiu contentus pravum acqvirit ac valde nauſeabundum ſaporem. Qvæ annotanda duxi qvod Hammelmannus, qvem ſupra ſecutus ſum, expreſsè ex argento deavrato fabricatum ſtatuat non ſimplici vice, ut & Epigramma iconi appoſitum hac forma.

Cornu heic videto argenteum,
Auro oblutatum, eiconibus
Celatum, & arte inſignibus, &c.

Sunt præterea haud pauca in narratione Hammelmanni qvæ ſcrupulos cordato Lectori injicere valent, qvæ aliis examinanda relinqvo.

Monumentum Klepenſe pag. 514.

Ad verba illa: ORET PATER NOSTER PRO ANIMABUS ETHNICORUM. Notandum; qvod licet in primitiva eccleſia Reges tàm Dani, qvàm Norvegi, ſubditis ſuis ad Chriſtianam religionem convertendis operam dederint ſedulam, obtinere tamen longo temporis tractu id non potuerunt. Sed Chriſtianis diu permiſti fuerunt pertinaciores Ethnici ut ex hiſtoria S. Olai & Regum inſeqventium in Norvegia patet. In Dania licet felici ſucceſſu ſub Rege Haraldo Klak circa annum Chriſti DCCCXXVII plantata ſit Chriſtiana Religio, permiſti tamen Chriſtianis manſerunt Ethnici ad imperium Haraldi Blatand, ultra annos CLX, ut vult Alſtedius in Chronologia converſionis populorum ad annum CMLXXXIX. *In Dania,* inqvit, *ſuperſtiones Ethnicæ prorſus exſtirpantur Haraldo V regnante, ante cujus tempora Dani plæriq; promiſcue religionem Chriſtianam & Ethnicam colebant.* Qvin imò ſunt qvi hanc periodum ad Canutum Magnum Daniæ & Angliæ Regem extendant, ut annis fere CLXXX confusè hic vixerint Chriſtiani cum Ethnicis. Non igitur mirum ſi à devotis & de majorum ſuorum ſalute ſollicitis Chriſtianis vota & preces pro eorum converſione fuſæ ſint.

INDEX

Index rerum memorabilium & verborum in hoc opere contentorum.

AAkierenſe monumentum. 224. 226.
Aakirkebyenſe Mon. 223.
Aaſa Ildrada. 294.
Aaſum pagus. 175.
Aaſvoren eed. 82. 84.
Abſolon archiepiſcopus. 172.
Abſolonis epitaphium à Saxone conditum. 173.
Aciei cornua 358.
Adelingi. 164.
Adels Sveciæ Regulus 14.
Ægyptiorum diſciplinas duplex tradendi ratio. 407.
Æſar. 11.
Æra tres 40.
Ætas aurei Cornu. 429.
Æternitatis ſtudium. 2.
Ætte qvid. 468.
Agnus Amalonius. 450.
Agriculturæ laus 423.
Agrigentini eqvis & aviculis tumulos ſtruxerunt 39.
Albeccenſe Monum. 248.
Alburgenſis Dioeceſis. 290.
Alexander M. cornutus. 365.
Alf. 194.
Alfblot. 26.
Alfur qvid. 20.
Allerupenſe Mon. 241.
Allingenſe Mon. 288.
Allodiarii. 508.
Alphonſus I. Portugalliæ Rex. 435.
Alrumenſe Monum. 175.
Alſtedenſe Mon. 130.
Amali. 164.
Amalthea cornu. 369.
Amazones. 189. 274.
Ammon ubi ſepultus. 167.
Amphiarai cornu. 420.
Anderneſenſe Mon. 506.
Anglica monum. Runica. 525.
Anglorum familiæ multæ à Danis ortæ, 193.
Angves in galea Tiberii nidularunt. 409.
Animæ immortalitatem credebant veteres Dani. 95.
Animalia proprie cornuta qvæ, 364.
Annulus aureus Molde dictus. 486.
Aqvila hominem dilanians qvid notet. 477.
Aqvilina plaga 421. 434. 437.
Antennarum cornua. 360.
Ara in Birke. 8.
Aræ ex cornubus 384.
Aræ Deorum in Friſia. 9.
Ararum cornua. 361.
Ararum ſtructura. 7.
Arceſilai ſtatua. 393.
Archeologus Spelmanni. 162.
Arffoll qvid 36.
Arhuſia. 275. 277.
Arhuſienſe Mon. 272.
Arma qvibus in monomachia, pugnabant. 70.
Armadillo. 372.
Armorum tractatio. 417.
As. 11.
Aſini cornuti. 393.
Asloenſia Monnmenta. 467.
Aſpides qvid notent. 411.
Aſtræa ſeu ſidus Iuſticiæ. 426.
Aſtrita mater S. Olai. 475.
Aſumenſe monum. 172.
Aſur. 148.

Ati-

Atidis ſtatua. 405.
Atramentum ſeptentrionalium. 505.
Attilæ tumulus. 36.
Avelſnenſe Monum. 497.
Auguſti Cæſaris Monum. 254.
Avindsloenſe Mon. 245.
Aune R. Sveciæ novem filios Odino immolavit. 28.
Avo Dyre. 382.
Axelſtandenſe templum. 130.

B

Bacchus cornutus. 386.
Bacchus Taurus vocatus. 386
Balderus. 319. 14.
Balderi buſtum violatum. 51.
Balderi ſaxum 318.
Balthei. 164.
Banner. 315.
Becco cornuto. 364.
Bellorum atrocitas. 422.
Biergesoenſe mon. 177.
at Bere fult. 28.
Beſtiis ex cornibus olim potum præbebant. 393.
Bibliotheca Hafnienſis. 300.
Bildenſe Mon 473.
Birgerus Archiepiſcop. Lundenſis. 143.
ex Biurn compoſita. 196.
Blekingia. 211.
at Blotte. 25.
Blotkilda. 7.
Blotmadur. 26.
Blodrefil. 421.
Bloaórn. 421.
Boenſe Monum. 491.
Bonta qvid. 233
Boreales omnes an ſimplici uſi appellatione. 163.
Boringholmica Mon. 223.
Boves in Phrygia cornua moventes. 370.
Boves cervorum cornubus. 371.
Bragebeggere. 28.
Brignicenſe monum. 261.
Brittanni ex cornibus bibebant. 388.
Bru qvid notet. 124. 126.
Bruno. 231.
Brynderslevianum Mon. 295.
Buſta Regum qvalia. 53.
Byglandenſia Mon. 494. 495.

C

Cadavera cremandi ritus. 41.
qvando apud Svecos inceperit. 46.
qvando apud Romanos. 52.
Caadut idolum. 19.
Cælum qvid. 402.
Cæli cornua. 357.
Cæmeterium ſupra templum vearenſe. 498.
Calcaria veterum. 49
Cæſar Daniæ Haraldus klak. 737.
Campana Ludenſis. 143.
Campio qvid. 62.
Cantilena de Signe & Hagbarto. 136.
Capillorum cornua. 362.
Carl bonde. 449.
Caſeus execratus. 87.
Caſparus Markedaner. 329.
Caſtella ſeptem qvando ad inſignia Portugallenſium acceſſerint. 437.
Caſtellanum monumentum. 255.
Cavitates montiũ cornua dicta. 359.
Centauri. 422.
Ceratæ veterum tabulæ. 300.
Ceroſtrata. 377.
Cervorum cornua ſolida. 370.
Cervorum caſtratorum cornua mira. 374.
Ceſpitia purgatio. 37.
Ceſpitis ſubitio pæna. 71.
Chinenſe vallum à qvo ſtructum. 61.
Chriſtendoms old. 45.

chri-

Chriſtiani I Regis electio. 89.
Chriſtophorus urne 160.
Cimber. 62.
Cimbria jotumland. dicta. 524.
Cimbriæ deſcriptio & partes. 272.
Cimbriæ Leges qvando latæ. 86.
Cimbriæ qvatuor Epiſcopatus. 276.
Cimbrorum Toparchiæ. 276.
Cimbrorum in exteris ſacra. 29.
Cimersberga. 275.
Circulus duelli. 65.
Circus Idololatricus Islandiæ. 27.
Clementinum Monum. 230. 232.
Codex Runicus Legum Scanicarum. 81.
Cognomina apud Danos. 197.
Cognomina gentilitia an olim in uſu. 159.
Cognomina in monumentis nullis reperiuntur. 156.
Cognominum ratio apud Danos. 165.
Colophoniorum equitatus. 416.
Comes qvid. 283.
Comites Hallandiæ. 209.
Confratria. 500.
Conſtantinopolis dicta myklegard. 133.
Conſulatus domus antiqva Hafniæ 259.
Copiæ cornu. 369.
Corda novem in Daniæ inſignibus qvid notent. 434.
Cornicularius. 358.
Corniculum. 358.
Cornu qvid. 357.
Cornu Amboiſenſe. 372.
Cornua Aſinorum cornutorum. 393.
Cornua aurea. 390.
Cornu aureum Danicum. 344.
ex Rugia non allatum. 430.
verè Danicum. 431.
qvomodo inventum. 351.
ejus fabrica. 334.
Magnitudo. 355. uſus. 356. 431.
ejus Emblemata non fortuita. 405.
Doctrinæ. 406.
buccina fuit. 306.
non poculum. 398.
non deſtinatum venatoribus. 398.
non ſacris. 398.
non Regum inunctionibus. 401.
Cornu Brittanicum. 392.
Cornu mirandum Cluſii. 272.
Cornu Oldenburgicum. 395.
non ex argento. 525.
fractum jam. 525.
pravum ſaporem vino conciliat. 526.
Cornu plantabile. 375.
Cornu poculi vices olim obtinuit. 431.
Menſuræ genus. 431.
Cornu qvod Gryphis putatur ungvis 294.
Cornu Rolandi. 380.
Cornu Svantoviti qvale. 399.
Cornu Wormianum tubam referens. 383.
Cornua Chriſto tributa. 363.
Cornua Florentina. 432. 434.
à Luſitanis poſſeſſa. 437.
in triremibus Turcicis buccinarum vices ſupplerunt. 437.
à Chriſtianis fabricata. 433.
Cornua qvid olim notaverint. 403.
Cornua metallis ornata. 394.
Cornua Naturæ purgamenta. 370.
Cornua portentoſæ magnitudinis. 372.
Coruuum varietas. 371.
Cornuum materia. 370.
Cornuum uſus in haſtilibus, arcubus, armis, tragulis, ſcutis. 376. laternis, ceroſtratis, pectinibus, atramentariis, imaginibus. pro buccina 377, tuba, lituo. 378. vaſis variis, Medicorum

inſtrumentis.383. aris, aqvali, loculis olei menſura; nobilium ornamentis 384. machinamentis, poculis. 386.
Cornuta monſtra. 367.
Cornutus Grammaticus & Philoſophus. 365.
Corſnet. 87.
Corona unde dicta. 363.
Crater unde dictus. 386.
Crodo. 76.
Crucis feſtum. 515.
Cruſtarii qvi. 403.
Crux an in uſu apud Danos ante Chriſtianam Religion. 93.
Crux Arabibus ſtellarum vim notat. 94.
Crux Ægyptiis vitam futuram deſignat. 95.
Crux Elementa indicat. 94.
Crux Luſitanica unde ortum traxerit. 436.
Crux Thoronis malleum notat. 93.
Crux vetus Romanis ſupplicium. 93.
Cryptæ in tumulis. 44.
Cultellus æneus in tumulo repertus. 49.
Cuml. 227.
Cymbali figura. 432.

D.

Dala Gulbrandus. 13.
Danebod qvid. 341.
Danerliung. 89.
Danewirke 336.
Danewirke pagus. 61.
Danewirke ab Henrico Leone oppugnatum. 59.
Dani ab Iſraelitis orti. 149. 159. 165.
Dani ex cornibus olim bibebant. 386.
Dani qvomodo ad Chriſtum converſi. 55.
Dani unde dicti Voſſio. 11.
Dania parva, Hiſinga. 209.
Daniæ Regnum olim in tria diviſum. 88.
Danica Hieroglyphica. 408.
Danus I qvando imperavit. 97.
ubi inauguratus. 89.
ubi tumulatus. 46.
Decanus. 265.
Degn. 265.
Delubrum Upſalenſe. 5.
Denarii argentei è tumulis eruti. 47.
Dentes balenarum Runis notati. 306.
Diagn qvid. 264. 322.
Diar. 264.
Dii cornuti. 368.
Dii ſeptentrionalium. 18.
Dii veterum dubii ſexus. 10.
Digitus aſſervatus ubi cadavera cremabantur. 52.
Diſablot. 121.
Diſie aa. 118.
Diſæ leges. 120.
Diſting nundinæ in glacie celebratæ. 117.
Divinitatis ſtudium. 1.
Divitiæ olim in armentis ſitæ. 423.
Diurshorn. 391.
Doral. 194.
Dracones qvid denotent. 191.
Drotten. 230.
Drudes. 199.
Druchte. 199.
Drut. 199.
Duodecimvirale judicium à Danis ad Anglos derivatum. 72.
Duelli leges. 66. 70.
Duellorum indicia. 67.
Duellum qvando abrogatum. 73.
in Holſatia. 261.
Dumbrunæ. 217.
Dynenſe Monum. 467.

Dyrendal gladius. 382.
Dyſer qvid. 121.
Dyſia. 113.
Dyſſe, donſe. 179.

E

Edvardi Regis Angliæ mater per IX candentes vomeres inceſſit. 80.
Egilli Scallagrimi compotatio. 391. *Carmen.* 191. *Monomachiæ.* 69.
Egillus ulfserk. 488.
Eiſtanenſe Monum. 453.
Ellen. 19.
Elpenor cum armis combuſtus. 54.
Emblema Lundenſe. 144.
Enalli poculum. 349.
Epiſtola Henr. Spelman. 159.
Epitaphia qvomodo fiebant. 91.
Epitaphium regno remuneratũ. 104.
Epochæ à ſepeliendi ritibus ſumptæ. 40.
Equitationis præſtantia. 416.
Eqvus cornutus. 371.
Eraſmi Læti deſcriptio monumenti Grondalenſis. 306.
Ericus juſtus Daniæ Rex. 427.
Ericus Raudur. 241.
Ericus Roſæcrants ubi tumulatus. 152.
Esberni Mule genealogia. 174.
Esbernus Snare. 103.
Eſchilli agilitas. 132.
Ethelbalderus. 319.
Evindus Scaldaſpiller. 489.

F

Fœdera ut olim ſancita. 74.
Fœderis formula inter Ludovicum Pium & Carolum M. 440.
Fœmina ab angve adamata. 414.
Fœminæ venationi deditæ. 418.
Fanum in Laden. 6.
Faſti Danici. 162.
Fennie ſoſ. 494.
Ferri candentis geſtatio qvomodo adminiſtrata. 78. 79.
Ferri judicium triplex. 81
Ferro qvomodo controverſiæ decidebantur. 68.
Ferrum ſemilunare è tumulis erutum. 47.
Fersborg. 293.
Feulingenſe Monum. 442.
Fidegaſt. 20.
Fidiſſimi numinum arbitri. 95.
Fie qvid. 186.
Filage. 171. 186.
Flemloſenſe Mon. 246.
Flikefiordenſe mon. 502.
Fluminum cornua. 358.
Flynt. 20.
Fons S. Helenæ. 14.
Fons Regius Landerupenſis. 446.
Forum Orethinganum. 68.
Fortunii Liceti ſententia de aureo cornu. 431.
Foſsienſe Monum. 205.
Framvardenſe Monum. 504.
Franciſcus Travillon cornutus. 366.
Fratria qvid. 500.
Freja. 225.
Frejus. 11.
Fricco, Frigo, Frigga, Frea, Freja, 10.
Friggæ idolum. 16.
Frigedag. 16.
Fro. 16. 25.
Fro blot. 25.
Froco. 268.
Frode hoj. 105.
Frotho rex Daniæ. 271. *ejus divitiæ.* 430. *monumentum.* 104.
Froelandenſe Monum. 508.
Froesoenſe Mon. 522.
Frue unde dicta. 225.
à Furtis qvomodo ſe purgabant rei. 83.
de Furto lex. 83.

Fyonica Monum. 238.
Fyoniæ deſcriptio. 238.

G.

Gallica monum. Runica. 525.
Gaſter. 19.
Gelderi exſeqviæ. 53.
Gellerſloenſe Mon. 297.
Germani cornua & ferarum rictus in capite geſtabant. 385.
Giallarhorn. 390.
Gierdiſenſe Mon. 457.
Gieſingholmenſe Mon. 286.
Gilda qvid. Gildoria. 500.
Glenſtrupenſe Mon. 284.
Glibir. 201.
Gode, God. 11.
Goea. 16.
Gommor eng. 219.
Gormo. 1. 95. 207.
Gormo. 111. 335.
Gormo ante conjugem Thyrã obiit. 339.
Gorſtangenſe Mon. 169.
Gothia. 139.
Gothi qvi juxta Procopium. 274.
Gothicarum literarum ſpecies. 161.
Gothicæ literæ in Angliæ. 161.
Gotlandiæ deſcriptio. 456.
Gothlandica Monum. 456.
Gothlandiæ Provincia. 451.
Gõtricus primus valli Danici fundator. 57.
Grammenſia Monum. 468. 470.
Grenſtenenſe Mon. 313.
Grindemſenſe Mon. 459.
Gròndallenſe Mon. 304.
Grònlandi jacula & arma cornibus armant. 376.
Gulfilas. 161.
Gunderupenſia Mon. 317.
Gundingenſe Mon. 316.
Gunginci. 164.
Guta. 264.
Gyldengardenſe. Mon. 236.

H

H. litera aliis ſæpe addebatur à medii ævi ſcriptoribus. 440.
Haborinæ planitiei delineatio. 138.
Haborinum patibulum inventum. 138.
Hadingus. 16.
Hadriani Imp. Monum. 254.
Hæredes ex cognatis conſtituti. 153.
Hafnia. 120.
Hagbardus moriturus ex cornu bibit. 389.
Haldanus Biergram. 17.
Hammelmanni narratio de cornu Oldenburgico ſuſpecta. 526.
Hallandiæ deſcriptio. 208.
Hallandica monum. 208.
Halmſtadium. 209.
Haqvini templum. 499.
Haqvinus Ladejarl. 16.
Haqvinus R. proprios filios idolis mactat. 27.
Haraldus Hybernicus per candentes inceſſit vomeres. 80.
Haraldus Hyldetand. 222.
ejus ſaxum. 442.
buſtum. 53.
ſepultura. 31
Haraldus Blaatand. 333.
primus Regum Chriſtianam amplexus eſt Religionem. 429.
ejus obitus. 334.
vallum Danicum munivit. 37.
An ordalium ſuſtulerit. 85.
cur imperator dictus. 334.
Haraldus klak Alradus dictus. 76.
Haraldskier. 334.
Hasbites. 418.
Haſta lapidea è tumulis eruta. 47.

Haſtilu-

Haſtiludia in honorem Diſæ. 118.
Heiner. 14.
Helgo. 451.
Hellelandenſia Mon. 509.
Helmſtad Idolum. 20.
Helſingburgum unde dictum. 140.
Helvetiorum cornua. 379.
Hemmingus Rex Daniæ. 257.
Henrici II Galliæ Regis Emblema 385.
Hercules angves in cunis trucidavit. 413.
Herculis clava cum eo combuſta. 54.
Herde qvid. 180.
Herehorn. 380.
Herdal, Herjulfdal. 344.
Hermindauum. 302.
Herlia, Herulia. 275.
Herjulfr hornbrioter. 344.
Hermandsvad. 198.
Herſloenſe Mon. 341.
Heſus. 15.
Hiarnus ob epitaphium Regno dotatus. 82.
Hieroglyphica Danica. 92. 406.
Hieroglyphica variis modis explicari poſſunt. 408.
Hieroglyphica in monumentis qvid notent. 91.
Hieroglyphicis variæ gentes ſunt uſæ. 407.
Hierupenſe Mon. 208.
Himmeria, Cimmeria. 278.
Hiſpaniæ Mon. Runica. 525.
Hiſtoria mira de ordalio. 78.
Hithini & Higini duellum. 69
Hludur. 379.
H Ludovicus Imper. 440.
Hobroenſia Mon. 279.
Hobyenſe Mon. 181. 206.
Hoigold. 43. *qvando incepit.* 46.
Holmenſe Mon. 209.
Homines vivi cum amicis tumulati. 50.
de Homicidio Lex. 83.
Hornenſe Monum. 325.
Hougerenſe Mon. 479.
Houſenſe Mon. 461.
Holmia. 229.
Holmenſe Mon. 480. 481.
Holocauſta. 21.
Homo belluino capite qvid notet. 410.
Homines cornuti. 364.
Hopperſtadenſia Mon. 461. 462.
Horlef vel Hotterslef. 109. 116.
Hoſtes victos tumularunt. 32.
Hoſtia qvid. 21.
Hotterus. 116. *ejus epitaphium.* 108.
Hunenſe monum. 290.
Huneſtadenſe Mon. 187.
Hylletandi rupes. 222.

I

Jæt qvid. 523.
Idola tuguriolis tecta. 4.
Jellingenſia Monum. 338. 326.
Jerntegn. 76.
Immervad Jammerſvad. 342.
Imperatores in patenti campo electi. 38.
Infantis titulus Portugaliæ Principibus proprius. 436.
Innocentius III Ordalium abrogavit. 86.
Inſtrumentum Muſicum ancum in tumulo repertum. 48.
Inſtrumentum R. Erico Pomerano datum. 89.
Inſcriptio Epiſtilii crucis Beucaſtrienſis. 168.
Inſignia Regum Cimbrorum. 278.
Inſulæ duellis deputatæ. 66.
Jobi divitiæ. 423.
Judut. 19.
Joannes deſignatus Rex Daniæ. 89.

Joannes urne. 258.
Jomala. 17.
Jomſvikinger. 270.
Jotumheimur. 523.
Irmenſenl idolum. 20.
Italiæ Monum. Runica. 524.
Juleſcoenſe Mon. 243.
Judæi in hortis ſepeliebantur. 160.
Judicium Dei. 76.
Jupiter cornutus. 368.
Juramenta veterum. 13.
Juramentũ contra teſtes valebat. 73.
Jurun. 486.
Juſticiæ Emblema. 425.
Juti, Vitæ. 295.

K

Kalbiorn. 492.
Kalegatum. 60.
Kempe. 62.
Κενοτάφια. 2.
Kiuſenſe Mon. 472
Kiobingenſe Mon. 181.
Klepenſe Mon. 514. 515.
Kone Reginis aptatum. 340.
Kongſtolen in Selandia. 88.
Korpeklinte. 451.
Κρηπῖδαι. 35. 126. 197.
Krodan. 19.
Kvinar hoj. 285.
Kullen. 18.
Κώδων *qvid.* 408.

L

Lago urne Epiſcop. Roſchild. 259.
Lalandica Mon. 249.
Landerupenſia Monum. 445. 447.
Langorum familia. 442.
Lapidum qvadrata ſeries, qvid notet. 65.
Lapis ſupra Moraſten poſitus. 89.
Lararia, Qvillenſe, Aſchinenſe, Vatzdalenſe, Kiarlaneſenſe. 6.
Laudania unde dicta. 141.
Laurentianum Mon. 234.
Laut & Lautboller. 28.
Leburgenſe Mon. 439.
Lecticæ cornua. 361.
Leges Frothonis de ſepulturis. 51.
Lenenſe Monum. 301.
Lepus & canis cornutus. 371.
Leragrienſe Mon. 215.
Lethra. 21. 22.
Liba qvid. 170.
Librorum cornua. 359.
Ligna Danis chartæ loco. 298.
Lille Thule. 151.
Lindebergii deſcriptio Monumenti Jellingenſis. 326.
Lienſe Monum. 455.
Lilium & flos qvid notent. 426.
Linthingi. 164.
Liſtria. 211.
Liſterbyenſe Monum. 218.
Literæ Alchymiſticæ. 448.
Literæ aulæis & tapetibus intextæ. 477.
Literatorum in Dania olim penuria. 92.
Loca electioni Regum dicata. 87.
Lochenſe Monum. Runicum. 525.
Loden de mandvig. 475.
Loden qvid notet. 475.
de eo ænigma Islandicum. 475.
Lojebarhoi in Scania. 88.
Longenſia Monum. 311. 313.
Longobardi è Dania egreſſi. 321. 151.
Longobardorum Monumenta. 91.
Lororum Regio. 276.
Loſenenſe Monum. 212.
Lother. 195.
Ludovicus infans quis fuerit. 435.
Ludus gladiatorius Romanor. 417.
Ludus ſeptem ſapientum. 482.

Lunæ idolum. 117.
Lunæ cornua. 357.
Lundenſe templum. 143.
Lundenſe Monum. 499.
Lupi figura in Monumentis. 184.
Lyſimachus cornutus. 65.

M

Magnates in prædiis olim ſepulti. 31.
Magnates olim Claſsicum canebant 380. 382.
Magnus Rex S. Olai filius. 507.
Malleus Thoronis. 13.
Manaſſes ubi ſepultus. 167
Maren. 18.
Margareta nigra quæ. 58.
Marſorum quatuor genera. 272.
Mauſolæum Auguſti. 125.
Matthias urnæ. 258.
Merk quid, 475.
Meſsenii error de planitie Haborina. 134.
Meſsenii in Geographicis error. 137.
Meſsenii deſcriptio lapidis Grondallenſis. 310.
Michil. 133.
Milvii natura. 412.
Minde. 29.
Mithothin. 12. 16. 24.
Mitra Trojanorum. 404.
Mitra venetorum. 432.
Mitrarum cornua 361.
Monachi duello certarunt. 71.
Monachi Chriſtianis conceſſerunt ut in tumulis ethnicorum ſepelirentur. 167.
Monomachia in dolio. 70.
Monomachiæ leges. 69.
Montium cornua. 359.
Monumentum quid. 3.
Monumenta lapidea quotuplicia. 62.
Monum. literata cur rara in Selandia. 100.
Monumenta a Danis in Anglia erecta. 67.
Monum. Danica difficilia lectu. 98.
Monum. ab ipſis defunctis poſita. 254.
Monumenta teſtamento legata. 115.
Monumentorum Danicorũ genera. 3.
Monumentum in Anglia prope Biſcopswoune. 90.
Monumentum Melandenſe. 63.
Monum. Patavinum. 254.
Monum. Regi Chriſtiano IV. poſitum Landerupii. 447.
Moraſteen in Svecia. 89.
Morſingia. 273.
Mortui in propriis fundis tumulati. 152.
Moſes cur cornutus fingatur. 363.
Munera defunctis oblata. 46.
Muri in vallo Danico quantitas. 58.

N

Naturaliſsimum opus. 2.
Navium cornua. 360.
Νεκροκαυςία. 44.
Neſſe. 502.
Nicolaus urnæ. 201.
Nicolaitanum Monum. 228.
Nidroſienſia mon. 519.
Nidroſienſium furvæ hoſtiæ. 27.
Nierumenſe Monum. 510.
Niordur primus Norvegiæ Monarcha. 14.
Nocca Nicca Deus aquaticus. 17.
Nobilitas veterum qualis. 133.
Nobiles aqueo ordalio ſubjecti. 78.
Nobilibus igneum ordalium exhibitum. 77.
Nobilium Danorum cognomina. 165.
Nomina propria veterum ſignificativa. 193.
Norvegi quando ordalium abrogarunt. 86.

Norvegia tributum ſolvit Haraldo. 337.
Norvegiæ inſignia Leo. 337.
Norvagica Monumenta. 457.
Nova domus univerſitatis. Hafn. 260.
Nucerinum Monumentum. 255.
Numus mortuis in os datus. 52.
Numus Ludovici Imperatoris. 440.
Numus Rhodii. 432. 404.

O

ꝍ pro diphthongo Æ poſitum. 172.
Obetria, Obeſyſſel. 275.
Oculi exſpiranti operti. 52.
Oculus Ægyptiis juſtitiam denotabat. 425.
Odal qvid. 507.
Odumenſe Monum. 323.
Offa judicialis. 87
Ois qvid. 169.
Olafr. 195.
S. Olai hiſtoria. 507.
S. Olaus Rex Norvegiæ. 6.
 pyrata. 269.
 è tumulis anteceſſorum theſauros eruit. 46.
Olo Rex Daniæ. 151.
Olaus Hunger. 158.
Olaus Tretelge diis immolatus. 25.
Oldgarenſe monum. 501
Olivant cornu Rolandi. 381.
Ollæ ſeu urnæ ſepulchrales à G. Bartholino erutæ. 41.
Omlidenſe Monument. 496.
Orbi inſcripta. 482.
Ordalium vel Ardelium qvid. 76.
Ordalium ſimplex. 77.
Ordalium aqvarium. 77.
Ordalium ignitum. 77.
Ordalii diviſio & uſus. 77.
ad Ordalium præparatio. 80.
Ordalium qvando abrogatum. 85.
Ordalii memorabile exemplum. 86.
Orething. 117.
Orethingburgum. 118.
Orm. 195.
Orthographiæ ratio apud veteres exigua. 203.
Os aſſervatum cum cadavera cremabantur. 52.
Osbiurn. 195.
Othin hin gamle. 12.
Othini plures. 12.
Othin ſenex monoculus. 12.
 ejus ſacra. 24. 25.
 habitus. 11.
Othino ritus cremandi cadavera apud ſeptentrionales aſcribitur. 52.
Otteſund ab ottone imperatore dictum. 336.
Otthonia à qvo condita. 17.
Otium vitandum. 415.
Otto II. imper. Danevirke perrumpere tentat. 60.
Otto I. comes Oldenburgicus. 395.

P

Pacis commoda. 423.
Pacta de ſepulturis inter hoſtes 32.
Pœnæ neceſſitas. 415.
Parthi veſtibus literas mandarunt. 477.
Patricii qvi. 147.
περιοικομίδαι. 157.
ad Perticas locus. 96.
Pertica in pagis Danicis. 96.
Pes aqvilinus qvid notet. 257.
Petrus Osbernus. 191.
Petrus Tot. 151.
Philippi M. Regis prudentia. 424.
 Phiala. 369.
Philoſophi Gothorum. 406.
Piſces qvid notent. 411.
Piſcoſa loca Diis ſacrata. 411.

Plinii ævo nullus erat qvi in auro cælabat. 402.
Planities Hagbarti. 136.
Pocula cælata. 401. *ſigillata.* 402. ἄποδα, 402. *Hoſpitalitia.* 403. *cruſtata.* 403. *Emblematica.* 403.
Poculis in cornu formam elaboratis cur uſi veteres. 404.
Poculorum genera. 401.
Pons Froenſenſis. 522.
Poppo ignitum ferrum geſtans. 75.
Porticus cornua. 361.
Portugallenſia inſignia qvid notent. 437.
Prim. 456.
Princeps in Luſitania qvis primo vocatus. 436.
Prono. 20.
Prudentiæ ratio. 424.
Pueros edentulos non cremabant. 52.
Pugio æneus in tumulis repertus. 48.
Pugnandi ratio veterum. 63.
Pyramides. 125.
Pyratica antiqvitus licita. 269.
Pyrrhus hircina cornua geſtabat. 385.

Q

Qvammenſe Monum. 463.
Qvercus cornutæ. 369.

R

Rafn. 113.
Rafnhilta. 114.
Ragnhilta inter Divas relata. 476.
Ragnwald jarl. 455.
Randruſienſe Mon. 278.
Redigaſt. 17.
Reges Daniæ qvomodo olim in augu- rabantur. 401.
Reges eligendi ratio. 88.
Reges inter Deos relati. 17
Reges Judæ in hortis tumulabant. 167.
Reges in bello qvomodo electi. 90.
Reges Pæonum cornuum labra auro vel argento operiebant. 394.
Regia Haborina. 137.
Regio Cornu copiæ dicta. 369.
Regneri Lodbrog monument. 92. 96.
Rhitis ſacerdos. 411.
Rinkarigi in Norvegia. 487.
Rinuci. 161.
Ripenſis Dioeceſis. 323.
Ripenſia Monumenta. 322.
Riſaland. 523
Riſe. 523. 266.
RIИÞI *qvid notet.* 254.
Rodelinda. 96.
Roenſe Monum. 234.
Roeſchildia. 102.
Roiſer. 40.
Rolſi krake ſtratagema. 384.
Rollo Norvagis Grangerolf. 344.
Rolrichſtones in Anglia. 343.
Romani in domibus ſepeliebant. 31.
Romanorum tumuli. 34.
Roningenſe Monum. 239.
Runæ. 257.
Runemo. 221.
Runer. 441. 148. 514.
Runicæ literæ qvæ. 168.
Runakieſle. 300.
Runarum duplex ratio tradendi ſapientiam. 407.
Runarum habitus. 29.
Runicæ literæ qvomodo aliis lingvis applicatæ. 176.
Runefield. 501.
Runehöi prope valkieram. 146.
Rupes Haraldina in Blekingia. 91. 221.
Rupes Scanilenſis literata in Svecia. 92

S

Sacerdotes Ægyptii marinis abſtinebant 411.

Sacra Euchariſtia. 87.
Sacrificium qvid. 20. 21
Sacrificia magna. 21. parva 23.
Sacrificandi ritus. 28.
Sacrificium novendiale. 23.
Sacrificia Romanorum. 400.
Sacrificandum ter in anno. 25.
Sagas per aqvam frigidam explorandi ritus unde ortus. 80.
Sagitta ærea, calcar æreum, fuſus æreus in tumulis repertus. 48.
Salingii. 276.
Salomonis eqvitatus. 417.
Sanctorum cultus in primitiva eccleſia Danica non viguit. 514.
Sandbyenſia monumenta. 124.
Sarmatarum ſepulturæ. 45.
Sater idolum. 16.
Saterdag. 16.
Saxa ſepulchris impoſita. 54.
Saxa erigendi ritus ab Iſraelitis ortum traxiſſe. 92.
Saxenſpigel. 334.
Saxo Grammaticus. 186.
Saxonum idololatria. 30.
Saxum ſepulchrale Thyræ Reginæ. 340.
Scaldri. 241.
Scalt. 512. 513.
Scalevoldenſe Monum. 502.
Scaniæ deſcriptio. 139
Scaniæ gentes. 24. 139.
Scæniæ leges qvando rogatæ. 85.
Scandia civitas. 141.
Schavenia. 273.
Scavo Raudum. 240.
Schytarum eqvitatus. 416.
Schytica provincia. 202. 141.
Schyticorum Hieroglyphicorum exemplum. 407.
Scolengenſe Monum. 263.
Scopulus in lacu literis Runicis exornatus. 92.
Scorbyenſe monumentum. 183.
Scoringa. 223.
Sejerſtene. 343.
Selandica monumenta. 100.
Selandiæ deſcriptio Lyſcandri. 102.
Selon. 21.
seltiere. 505.
Sepelire in civitatibus Romanis prohibitum. 31.
Sepeliendi ritus. 40.
Septem primaria idola ſeptentrionalium. 15.
Sepulchra in propriis fundis veteres habebant. 156. 160.
Sepulchra communia. 199.
Sepulchra lapidibus olim cingebantur. 157.
Sepulchris olim habitus honos. 153.
Sepulturæ Danorum. 31.
Sepulturæ Regum juxta aulas ſuas. 31.
Sepulturæ qvandoq; in arvis frugiferis. 167.
Sepimenta tumulorum. 35.
Serapidis pectori crux inſculpta. 94.
Serpens Delphicus. 409.
Serpente qvid indicaverint veteres. 409.
Sexaginta hominum millia in præſidio Danevirke. 59.
Siciliana Monumenta Runic. 525.
Sigari ſepulchrum. 31.
Sigari & Sivaldi prælium. 130.
Sigari Urbs & tumulus. 135.
Sivaldus Scald. 26.
Signa & ſigilla qvibus differunt. 402.
Sigrida storrade. 26.
Silvisburgenſe Mon. 219.
Siltenſia Monum. 453. 454.
Sive. 20.

Skibern. 196.
Skiervaldenſe Mon. 512.
Skioldus. 22.
Skioldungi. 164.
Skirſla. 76.
Skrotvaldenſe Monum. 517.
Skudtsjern. 82.
Skurguder. 4.
Snio ſeu Snigur. 321.
Socii ſocios tumularunt. 33.
Solis idolum. 15.
Somni cornua. 462.
Somni portæ. 363.
Soranum monaſterium ab Abſolone conditum. 172.
Sorboenſe Monum. 492.
Sorupenſe Monum. 185.
Sortes ſaxonum. 30.
Spaka qvid. 292
Spakiuſu. 123.
Spartanorum ſepulchra. 31.
Speculum qvid notet. 424.
Stangelandenſe Monum. 512.
Starchateri ſepultura. 32.
Statuarum diverſitas. 402.
Statuæ mortuis poſitæ. 125.
Stavangrienſia Monum. 490.
stedienſe Monum. 465.
stein Runer. 524.
stenhaltenſe Mon. 289.
Stenhaltum. 290.
stenthor. 513.
stodienſe monum. 520.
storkianum Monum. 214.
strandbarnenſe Mon. 460.
strava qvid. 36
stroenſe Monum. 146.
svantoviti idolum. 398.
svantoviti ſacerdos. 417.
svein. 196.
sveno Rex dolo tranſivit Danevirke. 69.
svenonis Tiuskeg votum. 37.
sufridus Corneus. 377.
sviagris annulus dictus. 384.
sumptus in tumulis facti. 39.
sundag, søndag. 15.
suſa amnis. 121.
suſur. 124.
sylſa. 123.
syllesburgum. 211.
syllogiſmorum cornua. 361.
symbolum crucis. 87.

T

T. & D. ſæpè convertuntur. 199.
Tago Tot de Erichsholm. 146.
Tangbrandus ſacerdos s. Olai. 71.
Tangerenſe Monum. 515. 517.
Taranis. 13.
Templa ex ſepulchris orta. 5.
Templum mirabile. 489.
Tenkeſtoel. 299.
Terræ cornua. 359.
Teves. 14.
Teutas Mercurius. 30. 14.
Teutadis ſacrificia. 30.
Tiis, Thiſa, Diſa. 14.
Tiisdag. 14.
Tiſathing. 14.
Tiſevelde. 14.
Thor Deus. 9. 10. 149. 16. 510.
A Thor derivata propria. 195.
Thoronis ſacra. 24.
fons. 285.
Thorild. 123.
Thorsdag. 16.
Thoraldus. 488.
Thoro Tot. 156.
Thraces cornibus pro poculis utebantur. 387.
Thrunt. 510. *Thruntheim.*
Thyra. 335.
Thyra Danebod. 55.

Tileſenſe monumentum. 249.
Ting. 68.
Tingvoldenſe Monum. 521.
Tiraqvellum. 106.
Tirſtedenſe Mon. 267.
Toche. 256.
Torchillus adelſar. 207.
Torchillus Neſle. 475.
Tore af Stegn. 507.
Toreborg. 452.
Torupenſe Monum. 303.
Toſſogonenſe Monum. 482.
Tottenſe Monum. 485.
Tottiorum genealogia. 150.
Tottiorum à Saxone fit mentio. 150.
Trajani columna. 125.
Treleburgum ſive Trileopolis. 142.
Trolliebarolhöj. 89.
Trophæa Danorum. 96.
Trutin. 441.
Trutning. 441.
Trygveldum. 106.
  unde dictum. 112.
Trygveldenſe ſaxum. 111.
Trygiern. 81.
Tuba cecinerunt Principes Romani. 382.
Tuſa in exercitu Odoacri. 182.
Tuisdag. 15.
Tuiſconis idolum. 15.
Tuke. 196.
Tulshöj Monumentum. 163.
Tulſtrupenſe Mon. 200.
Tumba ex ordinatis ſaxis. 44.
Tume. 196.
Tumi Veliſicator. 189.
Tumuli Barroves dicti. 33.
Tumuli in ſilvis. 37. *juxta viam.* 38. *in montibus.* 39.
Tumuli magnatum. 34.
Tumuli Regii. 43.
Tumulis illata ornamenta. 45. 46.
Tumulus Langbeenriſer. 8.
Tumulorum præſcriptus modus. 40.
Tumulorum varietas. 33.
Tumulorum violatorum pœna. 51.
Tunenſe Monument. 478.
Tunſtadenſe Monum. 498.
Tuordrupenſe Mon. 292.
Turres in Danevirke. 59.
Tuta vallis. 106.
Tycho Brahe. 106.
Tymo Banner. 315.
Tyr. 15.
Tyrsdag. 15.
Tyranni ſepulturis indigni judicati. 33
Tythonia. 273.

V

Vagnoſtus. 16.
Valkieranum monum. 145.
Valköſtur. 43.
Vallum barbaricum Brittaniæ. 61.
Valli Danici ſtructura. 56. 57. 60.
Vallum Dan. à Gotofredo Rege inchoatum. 55.
Vandali ſeu vinuli. 140. 273. 274.
Varcburgum. 280.
Varini, varinia. 276.
Vaticinium Grondalenſe. 305.
Vedmanshöjenſe Mon. 195.
Velorum cornua. 360.
Venationis exercitium. 418
Venationis finis apud veteres. 418.
Venationes Romanorum. 419.
Venatricia feſta. 419.
Venetorum Dux cornu pro diademate geſtat. 404.
Verrucæ cornua dictæ. 362.
Uffo contra duos pugnat. 66.
Ugartiloch. 16.
Ugartilochi cornu. 393.
Viburgum. 275. 17.

Viburgenſia Monum. 301.
Viccingi unde dicti. 269.
Victimæ. 21.
Victimarum humanarum origo. 26.
Vidricus Willandſon. 220.
Viig. 271.
Vikarus. 269.
Villa Axelſtada. 130.
Vindelici. 274.
Vinilia, Vandalia. 273.
Virgula Erotica. 298.
Virtutis ſemita. 416.
Viſepolis ſeu Visbya. 451.
Vitishorn cornu. 390.
Ulf. 196. 202.
Ulfsvaag. 512.
Ulfvilda. 114.
Ulfo Svenonis Eſtritii pater. 202.
Ulfstandi. 196.
Ulfriker. 512.
Umbilicus librorum. 360.
Umbricii. 276.
Vodanus. 11.
Vodani ſtatua. 16.
Vodensdag. 10.
Volumina librorum. 360.
Vomeres igniti. 81.
per vomeres candentes inceſſus. 79.
Vota ſucceſſorum in Regnis. 37.
Upſalia Sveciæ. 187.
Upſaliæ Regnum. 337.
Upſalienſe fanum. 13.
Upſalenſia ſacra. 29.
Vregerſloenſe Mon. 290.
Urbani Pontificis factum. 482.
Urdalenſe Monum. 519.
Urna Giorſleviana. 42.
Urna Lindholmiana. 42
Urnorum familia antiqva. 257.
Urorũ cornibus bibebant veteres. 391.
Uteri cornua. 362.
B. Vulcanii Jellingenſis Monumenti deſcriptio. 326.
Vulturis natura. 412.

W

Waldemarus I Vallo Danico murum addidit. 57.
Waldemarus II antiqvitatum ſtudioſus. 98.
Ordalium abrogavit. 85.
Wamdrupenſia Monument. 443. 444.
Waſſer Nichts. 18.
Welde qvid. 113.
Were broe. 105.
Werenſe Monumentum. 103.
Wig Deus. 17.
Wigant. 267.
Wigletſdor. 60.
Wilhelmi II Regis Siciliæ ſigillum Runicum. 525.
Wormo. 335.
ᛦ *literæ poteſtas.* 314.
ᛦ *literæ ſitus in vocibus.* 314.

FINIS.

Corrigenda.

Prior numerus paginam, poſterior verſum deſignat.

Pag. 4. v. 21. dirimentes 7.32. alium, v. 33. excuſſnm. 10. 3. *veneficiorum, adde* autoribus. 28. 1 *dele* colligebantur. 32. 32. impenderit. 33. 7. impendebat. 42. 12. Wolſtrup. 49. 14. Spinæ, 52. 8. mæſtas. v. 10. *verſum ita reſtitué.* Ultima plorato ſubdita flamma rogo eſt. v. 24. operire. 56. 13. munitionem. 59. 2. MCLXVIII. v. 29. firmiſsimis. 60. 3. foſſarum. 80. 17. deputatum. 81. 29. qvaliterq;. *Quæ pagina 84. ex codice legum Runico adducuntur, juxta M. S. exprimere ob notarum defectum non potuit Typographus. Poſt qvamlibet enim vocem duo puncta poſuit Codex meus, & ubi T S exprimendum* ᛋ *dextra linea mutilatum ſcribit, qvod hic per* ᛋ *integrum notatur.* 86. 34. intercesſerat. 90. 1. infraſcriptns. 91. 22 publicas. 92. 11. poſita. 94. 20. diſciplinis. 95. 33 Diaconus. 102. 35. campeſtria. 112. 4. ᚼᛁᚦᛆᛁ: 117. 31. qvarum. 118. 21. fuerit. 125. 18. extructo. 153. 21. ᚦᛁᛋᛁ. 158. 21. ſepelire. 164. 8. *poſt cedunt adde*, dubitatur. 169. 25. traducens. 170. 11. multæ. 174. 24. MCCXXXI. 177. 10. rudi. 190. 2. Leifrudam. 199. 32. ſic. 216. 3. invicem. v. 24. *omiſſa nota.* ᚼ. 242. 16. 19. 24. *legendum MCDXLV. quo* Chriſtophorus Bavarus nuptias Hafniæ celebravit cum Dorothea Bradeburgica. 252. 12. conſtans. 261. 16. editi. 285. 3. *omiſſum poſt ſtin,* deeſi. v. 18. *omiſſum* ᚦ. v. 24. ut & ᛅ cum R. 290. 2. nuncupatam. 293. 13 Regulum. 294. 2. ſuperaddita. 295. 17. nempe ᛆ v. 16. vulgari ᛅ. transverſa. v. 19. ᚦᛂᚴᚢᛂᛋᛏᛆᚱ. 309. 1. ſaxo 313. 14. *pro THVRA lege* CHARO. 317. 27. Viburgenſia. 321. 33. judicio. 322. 19. certiorem. 325. 3 qvoddam. v. 12. dele 328. 4. *adde* niſi illa ſit quam ſub litera F. innuit. 329. 19. Keiſer. v. 28. Kungr. 332. 10. qvantum. 333. 30. encomium. 335. 2. ſtruxiſſe 336 13. Norveg. 353. 36. accurate. 354. 28. lævis. 356. 10. ipſius. 386. 11. cornua. 398. 35. cæterum. 401. 9. unctiones. 403. 22. ſpiſſas. 421. 29. ᚠᚱᛅ. 425. 28. γιγνόμενα. 426. 35. conatum. 429. 1. χρῆσθαι. 30. ut. 431. 28. omiſiſſe. 24. Eqvid. 35. Plinius. 432. 11. hodieq;. 434. 11. denotare. v. 13. ſignificari. 435. 10. contra. 439. 10. tranſmitteret. 441. 23. impreſſa. 443. 27. imago. 447. 1. *allecti* eo *qvandoq;*. 451. 24. abimm. 452. 26. ab. 457. 16, Ex. 473. 7. videntur. 483. 10. ſimile. 17. ſaxum. 495. 11. JURUN. 493. 12. excerptæ. 503. 1. ᛅᚠᛘᚢᚴᛏ. 510. 15. probabilius.

Collated & complete

SPECIAL 05-B
1758

THE J. PAUL GETTY CENTER
LIBRARY